TRACTATUS
DE
STUDIIS MONASTICIS
VOLUMEN TERTIUM.

TRACTATUS
DE
STUDIIS MONASTICIS
VOLUMEN TERTIUM
COMPLECTENS RESPONSIONEM
DOMNI
ARMANDI BUTHILIERII
DE RANCE'
ABBATIS MONASTERII TRAPPÆ
ORDINIS CISTERCIENSIS
AD EUNDEM TRACTATUM;
Quæ nunc primum prodit è Gallico in Latinum sermonem conversa.



VENETIIS, MDCCXLV.
Ex Typographia Andreæ Poletti.
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

ADMONITIO
TYPOGRAPHI
AD LECTOREM

In hanc Reſponſionis ad Tractatum de Studiis Monaſticis Latinam Editionem.



Uo tempore abhinc annis duobus Tractatum de Studiis Monaſticis P. Jo: Mabillonii denuo editurus, de adjiciendo altero Volumine cogitaram, quod Vindicias ejuſdem Tractatus ab eodem Auctore conſcriptas complecteretur; vix aliquatenus tunc animum ſubiit, novam inde ſubnaſcituram neceſſitatem, tertio quoque Volumine augendæ totius de Studiis Monaſticis celeberrimæ Controverſiæ. Ecce vero, ut publicam lucem videre Animadverſiones Jo: Mabillonii in Reſponſionem *Trappenſis Abbatis, quas nos e Gallico in Latinum ſermonem converſas dedimus, ſtatim mibi a graviſſimis, magnique nominis viris aperte ſignificatur, ipſius quoque* Reſponſionis, *quæ ſola Volumen reliquis ex æquo reſpondens confecerit, latina interpretatione Litterariam Remp. carere jam non poſſe. Valde ſe mibi probabiles præſtiterunt ab iis allatæ conſilii ipſorum rationes, juſtæque flagitationi propterea ſatisfeci; eo prom-*

ptius atque alacrius, quod Auctoris bujus Responsionis *dignitas & fama, non solum apud litteratos sed etiam apud pios & religiosos viros passim ac merito confirmata, menti obversaretur. Nempe ille ingenii sui excellentia, stili puritate, & penitiori Philosophiæ atque Theologiæ notitia, quod maximum vero est, vitæ sanctimonia in Galliis præsertim, sed & quacumque Christianus Orbis patet, summopere inclaruit. Is ille est, Armandus Buthillierius de Rancè ex nobilissimis parentibus anno 1626. Lutetiæ ortus, vir in sæculo præclaris ad Philologiam præsertim Græcam pertinentibus ingenii monumentis editis, a prima adolescentia notus, & magno pretio habitus. Qui feliciter emenso liberalium studiorum curriculo ad graviora paulo post, atque statui Ecclesiastico, quem elegerat, convenientiora Theologiæ studia conversus, eousque in his profecit, ut sacras ad populum conciones habere permissus fuerit, atque in hoc munere eximia cum laude se gesserit. Cetera de ejus vita persequi non est nostri instituti: quæ de illius præclaris gestis scripto mandata fuere, vulgatiora sunt & luculentiora, quam ut mihi aliqua inde sit delibare necesse, ad præstantissimum piissimumque Virum magis magisque illustrandum. Satis hic fuerit obiter, & ad rem nostram propius meminisse, de homine illo agi, qui conceptum animo arduum sed æque nobile opus renovandæ & ad originem priscam reducendæ Monasticæ disciplinæ, feliciter, quantum in eo fuit, confecit; cum Cisterciensem in primis Ordinem, cui, relicta Aula, nomen dederat, renovaverit, & Trappensis Monasterii Abbas creatus exemplo suo veterum institutorum praxim, jamdudum abolitam, revexerit. Ex his institutis unum,*

atque

atque illud præcipuum, ab ea Lucubratione, quam latinam factam nunc publicamus, respicitur, & valide hic pro mira Auctoris dicendi vi atque asceticæ disciplinæ peritia asseritur. An ille tamen in sua circa Monachorum Studia opinione modum excesserit, & a media via paululum abierit, quod aliquibus visum est, definire non est bujus loci, nec meæ tenuitatis. Liberum erudito Lectori judicium super hoc dissidio, quod utrinque magnos piosque viros, nostrum hunc scilicet Trappensem Abbatem, & doctissimum Mabillonium exercuit, relinquitur. Eo porro magis, quod eruditus idem Lector nunc tandem latinis litteris proposita omnia illa habens, quæ de hac quæstione (utrum Monachis conveniat nec ne ad Studia incumbere) hinc inde scripta sunt, ad æquabilius de tota re statuendum paratior reddetur. Ad ultimum haud modicum ad pietatem momentum illi ex lectione bujus Operis rediturum spero, in quo subinde Auctor ad potiora Christianorum morum capita oratione excurrit, quorum tractatio non solum ad Monachos, sed & ad omnes Fideles accommodari potest. Nimiam quoque in universis, quos scientiarum amor ad studia impellit, eorumdem studiorum intentionem remittet ac moderabitur hæc lectio: quæ utilitas haud sane spernenda est hoc tempore, quo frænis magis quam calcaribus in suorum ingeniorum exercitatione homines egent. Denique omnium fere commodis me serviisse vix dubito, Trappensis Abbatis Responsionem ad Tractatum de Studiis Monasticis *latino sermone redditam typis meis vulgando, atque eam propterea benigno favore & plausu exceptum iri confido. De ipsa Operis versione non est cur dicendo Lectores distineam; cum eundem in hac* Responsio-

ne *vertenda interpretem mihi adsciverim, quo in Animadversionum Mabillonii versione usus sum, eum scilicet fidum & dilucidum, ut ex priori labore satis apparuit. Id te monitum volebam, Lector, ut consilii mei rationes tibi in antecessum probarem. Vale, & conatus meos æqui bonique consule.*



RES-

RESPONSIO
AD TRACTATUM
DE STUDIIS MONASTICIS.

PRÆFATIO.



Um Deus me, pro Superioris officio, quo in hoc Monasterio fungor, vigilem & assiduam curam animabus vestris, Fratres mei, impendere jusserit; cumque id apprime muneris mei sit, quam diligentissime curare, ut ad illum perfectionis gradum, quo ex Dei nutu tenditis, evehamini; omniaque removere ac prævertere, quæ obesse possunt, quominus divina circa vos consilia compleantur: Illud a me requiri sentio, ut vos moneam, vulgatum fuisse nuper Librum, qui unam ex potissimis, tuendæque in Monasteriis regulari disciplinæ maxime necessariis veritatibus impugnat. Quam videlicet nos, ut humilitatis & animorum collectionis conservatricem, dissolutionisque, quæ numquam est a pietatis & religionis extinctione sejuncta, expultricem, summa ope vobis tradidimus.

Nova in hoc libro, Fratres mei, & quæ vos non mediocriter percellet, opinio stabilitur. Consilium est Auctoris probare, scientiarum Studia statui Monastico necessaria esse; sine horum præsidio subsistere illum non posse; hancque Studiorum necessitatem probe exploratam, atque perfectam fuisse Monachis totius Orientis, S. Benedicto, totique Monasticæ Traditioni.

Illud mihi, fateor, in exequendo hoc munere explicandi super hac re animi mei, ut vos ab opinione periculi plena caveatis, molestiam præbet; quod ego Scriptorem hujus Operis magni facio, & apprime observo, quodque ille pro sua virtute & doctrina multi nominis magnique pretii sit apud omnes.

 Cum

Cum vero hoc mecum reputo, Patremfamilias, si eam quam speraverat in suo Grege utilitatem non invenerit, ab eo rationem repetiturum, cujus solicitudini & curæ gregem suum commisit; & JESUM CHRISTUM supremum Pastorem ex Præpositorum manibus sanguinem animarum, quas illis regendas tradidit, exquisiturum; quilibet respectus illico facessit, omnesque cogitationes uni cogitationi cedunt, satisfaciendi muneri meo, quo cogor istud Opus ad trutinam revocare, vosque de periculo & detrimento, quæ inde redire possint, perspicue & aperte monere: ne, si illud unquam in manus vestras devenerit, opinionem facile animo imbibatis, quæ documentis vobis præstitis, & institutis quibus imbuti fuistis, omnino sit aliena.

Sed ut rem, de qua agitur, Fratres, distincte vobis aperiam; scitote, illud mihi persuasum omni tempore fuisse, Religiosis in solitudine degentibus abunde esse, quod legant, intelligant & meditentur S. Scripturam, & Expositiones SS. Patrum, S. Jo. Chrysostomi, S. Augustini, S. Hieronymi, S. Gregorii; hisque addant scripta eorumdem SS. Patrum ascetica, in quibus perfectionis doctrina traditur, ad quam jugiter aspirare debent: cujusmodi sunt ea S. Basilii, S. Ephræm, Cassiani, S. Isidori Pelusiotæ, S. Nili, S. Dorothei, S. Joannis Climachi, S. Bernardi, & de Imitatione JESU CHRISTI Liber: licet vero intra hos fines sese contineant, omnia quæ tum ad illustrationem, tum ad doctrinam spectare valent, in iis lectionibus ipsi suppetere.

Sententia huic contraria in hoc sita est, Fratres mei: Pag. 242. & seq. *Oportere Monachos litteris humanis, Philosophiæ, & Linguis operam dare: præterea Theologiæ & scientiæ Ecclesiasticæ omnino peritos esse: Historiam Ecclesiæ, ejus Disciplinam & Canones probe callere: quidquid SS. Patres & Scriptores hisce de rebus tradiderunt, attente legere; Denique Inscriptionum antiquarum, Manuscriptorum, & numismatum notitiam sibi comparare.*

Ut huic sententiæ fidem astruat, sequentibus Rationum momentis utitur Auctor, quæ rem plane extra controversiam ponere, & totius scriptionis scopum attingere ipsi quidem viden-

dentur: Quarum Prima est, *S. Pachomium propinquis sui Monasterii populis præcepta institutionesque dedisse*. Frustra vero id in exemplum adducitur; tum quia præter communem consuetudinem evenit; tum quia scientiæ, quæ ad ejus generis institutiones requiri poterat, cum illa quam Studiorum Monasticorum Auctor invehere nititur, nulla est convenientia. Pag. 10. & p. 342.

Secunda eo spectat, *quod Præpositos intra Claustra habere, doctrinaque & scientia informare necesse sit*. Hac vero ratione nihil plane conficitur. Potest enim Monachorum Præpositus, quatenus est officii sui, doctrina & eruditione valere, quin omnes illas scientias attigerit, quarum omnino indigere perperam existimatur. Pag. 16.

Tertia, *quod Monachi Orientales scientiarum studiis olim operam dederint*: Quod sine ullo penitus causæ emolumento affirmatur, cum nulla Orientalium Regularum Studii hujus meminerit. Pag. 10. & 122.

Quarta, *quod S. Benedicti Regula Studiis auctoritatem conciliat*. At in ea de hac re ne verbum quidem. Nihil illa aliud memorat, præter *Lectiones divinas*, quæ ad asceticum institutum pertinent; quibus binarum horarum tempus dicatur; quod Monasticorum Studiorum Auctor minime diffitetur. Unde evidenter colligitur, numquam S. Patri propositum fuisse, ut discipulos suos ad scientiarum studia conferret. Pag. 39.

Quinta in hoc sita est, *quod Cœnobitis jus fuerit in Conciliis adesse*. Hoc argumentum inane esse pluribus de causis ostendemus. Primo, quia id juris non habebant quidem Monachi; sed ad Concilia tunc solum veniebant, quoties ad ea vocarentur. Secundo, quia magis ob vitæ eorum sanctimoniam, quam eruditionis ac doctrinæ famam, ut interessent Conciliis, urgebantur. Tertio, quod satis essent eruditi, dummodo Scripturas intelligerent. Quarto tandem, quia de millibus in solitudine abditis, vix, ut ita dicam, viceni ad hos cœtus conveniebant. Pag. 18. & 19.

Sexta, *quod Monachi e Monasteriis ad Episcopatum assumebantur; adeoque doctos eos esse oportuisse*. Haud vero hæc ratio solidiori, quam reliquæ, fundamento nititur. Primo scilicet, quia Scripturarum intelligentia eruditionem Episcopo convenien- Pag. 20. & 28.

venientem sola tunc temporis absolvebat; & quia plerique eorum, qui ad hanc dignitatem evecti fuerunt, nullo alio doctrinæ genere excellebant. Secundo quia Solitariorum exiguus quidem numerus Claustris relictis in Ecclesiasticis Thronis constituti fuere; innumeri vero in angulis Monasteriorum delituerunt: atqui ex majori numero æquius est, ut de quopiam statu judicemus, quam ex paucioribus exemplis, atque exceptionibus. Ii, qui publicam Sæculi lucem fugiebant, aliis in mundo agentibus & decertantibus præsidio erant: quin & aliquando orationibus, pœnitentiis, & vitæ sanctitate utiliorem Ecclesiæ operam navabant, ac cœlestem ei favorem magis conciliabant, quam ceteri in publicum prodeuntes; quemadmodum Auctor Tractatus pluribus locis, ac præsertim in ultima Operis sui pagina ultro testatur.

Pag. 28. Septima, quod *Viri egregii, & Sancti quoque eruditionis præstantia celebres ex Ordine Monastico profecti Ecclesiam illustrarunt*. Sed ne ex hac quidem ratione quidpiam conficitur. Nam primo de certis quibusdam viris agitur, qui communes abjecere regulas propter varias causas, ut docebimus: Ex particularibus vero exemplis nulla Lex sequitur. Deinde Monasticus Ordo tunc maxime labi visus est, cum Monachi splendore nominis & singularis doctrinæ fama vulgo magis innotuerunt. Nempe cum suis illi rationibus tunc servirent, Claustrorum regimen penitus negligebant; ac discipulos suos præceptionibus, exemplis, aliisque sui muneris solicitudinibus fraudabant, quærendæ existimationi ut plurimum intenti.

Pag. 69. Octava, *ex magno illo Academiarum & Scholarum numero, quæ in Ordine S. Benedicti institutæ fuerunt, Studiorum necessitatem patere*. Cui argumento bifariam respondemus. Primo, has fundationes S. Patris spiritui & Regulæ esse contrarias: Deinde per eas dissolutionis Monasticæ cursum haudquaquam cohibitum fuisse: ex quo sequitur, eas neque opportune, neque valde utiliter invectas, ut Auctori videtur.

Pag. 34. & seq. Nona, *quod in pluribus Monasteriis magnæ extiterint Bibliothecæ*. Qua in re ad Studiorum causam tuendam parum esse momenti ostendemus. Primo constat, Monachos in iis locis, in quibus affatim librorum est, non secus ac alibi in otio vi-

tam

tam agere, & a lectione abhorrere. Deinde librorum larga supellex, quæ in aliquibus Monasteriis invenitur, nihil est, si ad universa Ordinis S. Benedicti, qui tam late patet, Monasteria referatur. Postremo libros Monachi contenti erant olim excribere, quin iis ullatenus uterentur. Quod & hodie videre est in plerisque Cœnobiis, in quibus licet magnus extet librorum numerus; Monachorum hi quidem otiantur, illi vero libros lectitant, ex quorum lectione neque doctiores neque sanctiores evadunt.

Decima probatio in eo sita est, *quod olim & a primis usque temporibus Monachi ad Prædicationis munus designabantur:* Nos vero e contrario, eorum statum & vocationem ad solitudinis & silentii observantiam pertinuisse convincimus. Pag. 336.

Porro illud notatu dignum est, Fratres mei, quod prisci Monachi nulla alia lectione detinebantur, quam Sacrarum Scripturarum, & quorumdam forte asceticorum Scriptorum: Perrari eo tempore libri; quique iis exarandis aut exscribendis navarent operam, pauci admodum inveniebantur. At nos his temporibus hac in re illos vincimus, quod ii omnes libri nobis suppetant, quos supra memoravimus, quique ad hoc mire faciunt, ut Monachi qui nativam pietatis formam assequi student, eadem optime imbuantur, qui vero illam assequuti sunt, caute custodiant.

Ceterum vos, Fratres mei, monendos existimo, imprimis me mihi ipsi vim facere, dum quibusdam loquendi modis utor, a quibus vix abstinere possit ille, qui de Opere Dogmatico judicium affert: ut hi e. g. *Hæc argumentatio minime est accurata: Falso id colligitur: Hac probatione nibil conficitur: Suo illa Auctori magis adversatur, quam patrocinetur: Isthæc ad rem inepte citantur;* atque aliæ hujusmodi locutiones. Invitus ergo huic ita loquendi necessitati cedere cogor, quæ ceteroquin existimationi Auctoris, cujus sententias expendo, nihil apud me penitus detrahit.

Deinde ego quidem in hoc examine seriem capitum Auctoris, atque ejus argumenta e vestigio sequutus sum, neque alium, præter hunc, ordinem servavi: ratus videlicet, fore, ut ejus Opus funditus convellerem, si quæ ipse ad faciendam

suæ

suæ opinioni fidem affert, evertere singillatim atque infirmare studuero.

Tertium est, Fratres mei, de quo vos monitos volo: nimirum cum nulla sit tam probata sententia, quæ non in aliquam difficultatem incurrat, eventurum fortasse, ut ad ea, quæ in hanc scriptionem contuli, denuo aliquis respondeat. Sed cum mihi hæc scribenti consilium non fuerit, ut in numquam desituras concertationes descenderem, cui rei neque voluntas neque tempus suppetunt: postquam veritati testimonium perhibui, & satis conscientiæ feci, Deum ulterius a me aliquid requirere vix credo.

In hoc denique scripto res easdem iterum dici sæpius, atque inculcari deprehendetis: Cui incommodo obviam ire nequivimus; cum nobis Tractatus Auctorem pedetentim sequi propofuerimus: ast ille pluribus locis de rebus iisdem sæpe disseruit.

Et hæc hactenus, Fratres mei, ut quod nostrum fuerit in hac Responsione consilium probe sciatis; nec non ut singula rationum momenta ad asserendam Studiorum necessitatem in medium allata, nulla niti certitudine, uno velut intuitu percipiatis. Ex quibus facile patebit, dummodo quævis anticipata opinio procul facessat, cuilibet persuasum iri, hanc circa Studia Monastica sententiam nimis fluxis hærere fundamentis, quam ut fidem invenire, & fautores accersere possit.

Pag. & notæ arithmeticæ, quæ margini adjectæ sunt, ad paginas Libri Gallice scripti P. Mabillonii referuntur.

IN-

INDEX CAPITUM

PRIMÆ PARTIS

RESPONSIONIS

Ad Tractatum de Studiis Monasticis.


X. Resp.



PARS

PARS SECUNDA.

XVIII.



PARS

PARS TERTIA.

Finis Indicis Capitum.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di Revisione, ed Approbazione del P. F. Tommaso Maria Gennari Inquisitore, nel Libro intitolato *Tractatus de Studiis Monasticis Volumen Tertium*, non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza ad Andrea Poletti Stampatore che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 10. Marzo 1732.

{ Alviſe Piſani Kav. Proc. Ref.
{ Zan-Pietro Paſqualigo Ref.

Agoſtino Gadaldini Segret.

RE-



RESPONSIO
AD TRACTATUM
DE STUDIIS MONASTICIS.

PARS PRIMA
CAPUT PRIMUM.

Auctor Tractatus de Studiorum Monaſticorum ratione, *falſum*, ait, *quorumdam commentum fuiſſe, qui præcedenti ſæculo ſcripſere, Monachorum Cœnobia non aliter ab initio inſtituta, quam ut inſervirent tanquam Lycea, aut publicæ Academiæ, in quibus ſcientiæ humanæ traderentur.* Pag. 5.

NOn ſine graviſſima ratione, Fratres mei, ſic ſtatuit Auctor adverſus eorum ſententiam, qui ſuperiori ſæculo ſcripſere, Monaſteria videlicet eo fine fuiſſe inſtituta, ut eſſent quaſi Scholæ & Lycea, in quibus Monachi ſcientias humanas profiterentur: nullo quippe fundamento nititur eorum aſſertum; ſanctæque adeo inſtitutionis dignitatem extenuat, dum eam deſtinat uſibus plane contrariis menti Sanctorum virorum, quos Deus ad Monachatus Ordinem in ſua Eccleſia fundandum adhibere voluit.

Quemadmodum verò illi, quibus Monaſtici ſtatus ſumma probe fuit perſpecta, quippe norunt quæ ſint præcipua Monachorum

officia, sine ulla prorsus dubitatione Scripturarum Sacrarum lectioni in Monasticis officiis primas detulere, proque certo habuere, Monachos legendis Scripturis in privatæ pietatis augmentum olim operam dedisse: ita alii econtra, qui ad scientiarum studia illis incumbendum fuisse arbitrati sunt, pro singulorum ingenio & voluntate, vel relate ad proximi utilitatem; haud satis attenderunt animo ad Regularum de legendo Verbo Dei præceptionem, in qua scilicet quidquid necessarium esse potest evehendis ad eum perfectionis gradum Monachis, ad quem divinitus vocantur complexæ sunt: Quin imo ne simplicitatem quidem & sanctitatem hujus status secum reputarunt, qui Dei ordinatione ad hominum sanctificationem unice fuit institutus; cujus sectatores nulla alia re sæcularium hominum bono, quieti, & utilitatibus favere debuerunt, quàm sanctitate vitæ, magnitudine pœnitentiæ, atque orationum vi: nisi forte ex peculiari Dei nutu, ad hoc ut Ecclesiæ utilem navarent operam, populorumque eruditioni servirent, via passim trita discedere cogebantur.

Id ipsum tam aperte & conceptis verbis fassus est Auctor Tractatus, Sanctorumque, Gregorii Nazianzeni, Basilii, Gregorii Nisseni, aliorumque multorum exemplis valde ita probavit, ut vix intelligam, quo tandem modo a tam firmo principio declinare potuerit, ac sibi ipsi contrarius postea sanxerit, a Monacho dandam esse operam studiis, & acquirendas scientias, consilio & voluntati alienas primarii Institutoris, videlicet JESU CHRISTI, qui ut Monasticæ institutionis grande opus perficeret, Sanctorum suorum opera & ministerio usus est.

„ Quomodo licuit ei affirmare (pag. *6.*) tam longe abesse, ut so-
„ la cupiditas humanas acquirendi scientias majores nostros impule-
„ rit ad Cœnobiorum Monasticorum fundationes, ut potius ipsæmet
„ scientiæ sub rerum omnium contemptu, quem profitebantur, fue-
„ rint comprehensæ?

„ Quid erat cur scriberet (p. 7. & 102.) divinarum Scripturarum
„ studio totam Monachorum scientiam concludi?

„ Cur alibi dixit (p. *9.*) Monachos olim præcipue studuisse,
„ ut ad Mundi fugam & contemptum, Christianarum virtutum,
„ piarum exercitationum & pœnitentis vitæ frequentem usum ad-
„ jungerent: scientiarum vero & ipsiusmet Scripturarum notitiæ
„ eatenus rationem habuisse, quatenus ad hunc finem facilius per-
„ venire illarum præsidio possent? „ Quid erat, inquam, cur hæc & similia quidem asseveraret, posthabita vero nihilo secius tam perspicua gravique veritate in oppositam illico sententiam transiret, favens studiorum necessitati, eaque inter præcipua Monachorum officia collocans, sine quibus videlicet Monasticæ Sodalitates diutius stare nequeant. Tam luculentis & totam controversiam dirimentibus testimoniis priorem sententiam roboraverat, ac Sanctorum

viro-

virorum, quos protulerat, tam gravis erat auctoritas, ut nemo non arbitraretur, eorum judicio stare illum debuisse, quin damnatam ab eorum usu & agendi ratione sententiam doceret.

A veritate quidem non abest, Fratres mei, Monachos olim extitisse, qui ad studia scientiarum animum adjecerunt: sed & illud certum est, sic agentes Regularum menti fuisse contrarios; quæ res argumento est, eas in sua puritate minime fuisse servatas, filiosque a Patribus descivisse. Quod alii quidem sponte sua, alii vero Dei, qui regularum Dominus est, ab iisque quos vult eximit, peculiari vocatione compulsi fecere.

Ne vos ergo decipiat, fratres, quædam veritatis species, quæ huic argumento ceteroquin inani videtur inesse, cum ait magnum Solitariorum numerum scientiarum studiis sese dedisse. Neque enim ab eorum exemplo, qui studio operam dederunt, judicium sumere debemus, utrum hæc exercitatio illis conveniat nec ne, sed ex consilio eorum, a quibus Ordines & Observantiæ Monasticæ institutæ sunt, illud quærendum: inspiciendæ videlicet sunt Regulæ, quas ii composuere, ipsæ etenim eorum spiritum ac decreta continent.

Facite me scire velle, utrum Opus manuale sit ejus generis exercitium, cui vi proprii status Monachi mancipentur: Regulas consulo, quæroque an sit in illis de Opere manuali cautum, necne: Statim ac verò hoc illas jubere comperio, fit mihi exploratum, cum earum Regularum professione manuale Opus penitus esse conjunctum.

Si nosse cupiam, utrum Monachi oratione, divinæque Legis meditatione sese exercere teneantur, annon: Regulas iterum consulo, in quibus utramque videns expresse mandari, non dubito quin eorum instituti ac muneris sit orare ac Dei Legem meditari.

Si scire velim, utrum Monachi Sacras Scripturas olim lectitare consueverint, ad Regulas confugio; quarum cum nulla sit quæ hoc illis exercitium non districtè præcipiat, facile adducor ut credam, Scripturarum Sacrarum lectionem iis apprime esse consentaneam.

Haud aliter si scire lubet, an studium scientiarum ceu quoddam officium a Monachis requiratur, sedulo Regulas inspicio, ut quid de hoc statuant, certior fiam. Cum vero ne verbum quidem, quod ad scientias & studia pertinet, ibi reperiam, ut ut omnes has Regulas diligenter perlegerim; hoc jam tamquam exploratum cogor inferre, illorum mentem, quos omnibus his Ordinum Monasticorum observantiis in Ecclesia instituendis Deus præficere voluit, nequaquam fuisse, ut qui easdem Regulas amplecterentur, studiis scientiarum incumberent.

Proclive est quidem dicere, hos & illos scientiarum studia ex consuetudine non intermissa coluisse, suisque illos studiis bene de Ecclesia fuisse meritos: id vero frustra est, indeque aliud nihil conficitur, nisi hos & illos ab Institutorum suorum consilio descivisse,

a via Patrum deerrasse, & novas semitas magnis illis sanctisque viris ignotas invenisse.

Nihil confert ad causæ Studiorum patrocinium exemplorum prolatio, causarique difficultatem Monasticas observantias diutius retinendi sine Studiorum adminiculo; satius est namque ex animo fateri, tunc, cum Deo in solitudinis quiete ac silentio servire Monachos piguit; cum eorum instituti sanctimonia oneri illis fuit; cum simplicitatis in qua Deus illos produxerat, puduit; cum denique notitiis statui illorum convenientibus, quas scilicet ex Scripturarum Sanctarum lectione & suorum Patrum documentis haurire poterant, animum suum non explebant; tunc, inquam, quosdam ipsorum ab exoticis scientiis oblectamentum quæsivisse, tædiumque obscuræ vitæ studendo leniisse; alios vero in hac generali disciplinæ dissolutione a Deo fuisse servatos, ac pro illius consuetæ bonitatis œconomia cœlitus afflatos, ita ut ab hoc ipso in deteriora lapsu, & ab hac late patenti ruina peculiaria quædam bona Deo dante perciperent.

Quod si quis dixerit, Fratres mei, Monachos bene multos extitisse, qui doctrinæ nomine excelluerunt tunc quoque, cum Monasticus Ordo adhuc maxime vigeret: promptum erit ad id respondere, cum triginta fere aut quadraginta numero fuerint, quos usitatas vias prætergressos fuisse cognovimus, reliquos in hominum ignoratione & Claustrorum silentio versatos, ad quadraginta millia, quid narro? ad decem centena millia, & amplius fuisse, qui in mortificatione cordis & sensuum, in paupertate spiritus, quam suis verbis, suoque præconio JESUS CHRISTUS commendavit, in divinarum lectione Scripturarum, in compunctione, & mortis spe vitam exigerent: quique hac tanta vitæ obscuritate, orationum fervore, puritate & perseverantia Ecclesiam roborarent. Hi fuerunt mores, hæc instituta Monasticarum sodalitatum, tantisper dum prisca sanctitas inibi incolumis substitit.

Sed postquam irrepsit dissolutio; ac vel extincta penitus vel remissa fuit disciplina, pauci quidem Solitariorum utilia loquebantur, & ab omnibus laudata scribebant; innumeri vero interea vitam in otio & desidia, in nugis & vitiis agebant, quòd priscarum exercitationum regularitate haud amplius sustinerentur, quòdque ex suis lectionibus fructum capere vix possent. Ita graves populis, & Reip. inutiles fiebant. Quod si tunc data fuisset opera, ut in antiquas consuetudines reducerentur, ac juxta prisca instituta vita eorum renovaretur, quod misere perdiderant, facile recepissent. Id neutiquam fieri poterat, inquies: assentior; sed exhinc immedicabile malum erat, nec ullam ei medicinam afferre Studia valebant.

CAPUT II.

Contendit Auctor Tractatus, *Rectum ordinem, sive œconomiam, quæ in Monachorum sodalitiis ab initio stabilita fuit, sustineri non potuisse absque Studiorum subsidio.* Pag. 9.

Ægre fit ut intelligam, Fratres mei, quo jure Studia, quæ in Sodalitiis Monachorum minime fuerunt ab Institutoribus commendata aut instituta, inter ea exercitia numerentur, sine quibus pietas in illis nequiverit sarta tecta servari. Et credet quispiam, hos viros divinitus afflatos, superno spiritu ductos, Deique lumine collustratos, rei tam eximiæ, sine qua bonum, cujus auctores erant, subsistere non poterat, jussionem prætermissuros fuisse! Id sane veri nemo putet simile. Quod si quis diceret, sequiores Monachorum Patres experiri voluisse, an damna ab infidelitate & negligentia in majorem Monasteriorum partem illata, ope Studiorum reficere possent, non abesset ille quidem a veritate. Sed cum insolens hujusmodi medicina morbo, cui applicabatur, ex se non quadraret, ut paulo ante observavimus; mala obduxit aliquandiu, texitque, sed non sanavit: Dumque exiguus Monachorum numerus doctrina inclarescebat, reliqua multitudo nihil inde capiebat emolumenti.

Si favor cœlestis, ut quispiam putat, Studiis aspiravit, & magnæ ex illis utilitates effluxerunt, quid est, Fratres mei, quamobrem nostra hac tempestate, qua libri præ manibus tot Monachorum & Cœnobitarum sunt, qua omnes vix aliud quam studia scientiasque crepant, pietas illa Patrum, ac religio prisca obsoluerint, & perraræ adeo sint, ut merito exclamare cum Propheta possimus: *Salvum me fac, quoniam defecit Sanctus.* Quomodo id factum, inquies? Nimirum quod cum Studio ea facultas non insit, ut sanctitatem alicui conferat: solitudo verò, pœnitentia, silentium, Scripturæ Sanctæ meditatio, adde, & manuum labor, si recta fiat cum ratione, ad sanctificationem animarum aptissima sint instrumenta; nihilo tamen secius hæc singula ad praxin revocare vix unus aut alter sibi proposuerit. Ps. 11. v. 1.

Nullum momentum ad probandam veterum Monachorum animi applicationem ad scientias, afferre mihi videtur auctoritas S. Pachomii, ex nonnullis vitæ ejus gestis deprompta, qui alio plane sensu, ac in quem trahuntur, explicari debent. Sciendum etenim, a S. Pachomio omnes quotquot Dei servitio sese mancipare, & professionis ab illo institutæ jugum amplecti in animum induxerant, nullo delectu habito receptos fuisse. In ejus itaque Monasteria usque ad septem millia hominum confluxerant, in quibus Pagani, peccatores, rustici, adolescentes, & viri, litterarum rudes, Linguæ Græcæ & Christianæ doctrinæ ignari; qui in tanta denique rerum omnium inscitia versabantur, ut ne dexteram quidem a sinistra ma- Pag. 10. 11.

nu dignoscerent, referente vitæ illius Historico. Hic erat Monasteriorum status, quæ Sanctus ille vir fundaverat: ex id genus hominibus conflatum est celebre & frequens illud Institutum, sanctitate potius quam scientia adeo commendabile.

Pag. 10. Allegat Auctor, *fieri ibi solitas tres quotidie lectiones; cunctisque onus impositum Novum Testamentum atque Psalterium addiscendi: Priorem uniuscujusque Domus ter in hebdomada collationes habuisse, quæ Disputationes aut etiam Catecheses dicebantur: exinde Monachos quidquid ex iis Collationibus perceperant, ad invicem conferre & agitare in more positum habuisse. Denique singulas Domus Bibliotheca instructas fuisse.*

Speciosa sane Monasteriorum S. Pachomii descriptio hic sistitur, & quæ prorsus alienam a rei veritate opinionem de illorum Disciplina ingerere valet iis, qui cursim illam leviterque inspexerint.

Facile profecto sibi fingent, has Collationes & Catecheses aliud nihil fuisse, quam docta Colloquia, sublimesve & eruditione refertas disputationes; at si de iisdem ad veritatis amussim judicium ferre velimus, ex Doctorum eruditione, Discipulorumque captu metiri eas debemus. Ecquid vero tradi consentaneum erat rusticis, rudibus, pueris, quorum alii ne legere quidem aut scribere didicerant, alii apud Gentes & Idololatras fuerant educati; nisi elementa litterarum, hoc est legendi, scribendi, loquendi tyrocinium, & Religionis, quam amplecti volebant, principia; quæ Catechismi nomine hodie veniunt, cujus summa huc redit, ut Deum cognoscere, amare, ad illum confugere, atque orare discant.

Quod vero ad Catecheses attinet, quibus disputationum nomen appingitur, plane congruit hodiernæ praxi, quæ in Parochiis scholisque rudium atque incipientium obtinet, quando scilicet ex pueris primarum veritatum aliqui a notitia imbutis hi quidem interrogant, illi vero respondent, alii reprehendunt & contradicunt, ut illos æmulatio reddat magis attentos, magisque docibiles, atque ut præcepta quæ illis traduntur, memoriæ & cordi altius infigantur.

In dubium venire nulli quidem potest, quin plantæ illæ tenellæ studiose educarentur, docendo non modo quæ Christianis, sed & quæ viris asceticæ vitæ mancipandis sunt necessaria; hujusmodi, inquam, vitæ, quæ evangelicæ perfectionis, sanctæque doctrinæ usum apprime continet.

Bibliothecæ nomen, ambitiosum illud quidem, & errorem incautis offundere aptissimum est. Vix aliquis prima specie se continet, ut non ad nostri temporis prægrandes Bibliothecas animo procurrat. At mirum quantum ab istis illæ veterum Monachorum discrepabant! An alios illæ libros complecti debuerunt præter eos, quorum aliqua esset cum utentibus convenientia; nimirum Catechismos,

mos, Institutiones Christianas, aliquot Sacræ Scripturæ, & Novi præsertim Testamenti Codices, Psalteria? Rari iis temporibus libri, Typographia nondum inventa: perpauci recte norant scribere: & Monasteria præ inopia rei familiaris magnum in libros sumptum facere haud poterant. Sed advertite, Fratres, nihil ista commune habere cum scientiis; neque ex disciplina quæ in Monasteriis Sancti Pachomii vigebat, argui posse, ejus discipulos gravissima illa studia coluisse, quæ inter Monachos constituere hodie quis velit.

Subditur: *Quòd si hanc regularis disciplinæ methodum paulo quis attendat, facile in animum inducet suum, eandem absque studiorum subsidio nullatenus subsistere potuisse.* Pag. 11.

Sane hoc verum est, Fratres, non eam tantummodo, quam instituit S. Pachomius, sed ne unam quidem ex multis in JESU CHRISTI Ecclesia subinde fundatis Regularibus Observantiis, subsistere sine Studio posse. At quodnam Studii genus hoc est? Nempe Studium Sanctorum: quo Sancti efformati, quo enutriti, eodem sustentari ac conservari debent. Nulla alia, nisi ista, studii ratione, disciplinæ remissio, animorumque distractio averti poterunt. De quo autem Studio loquar, iterum rogatis? De JESU CHRISTI & doctrinæ ejus scientia, de Scripturarum Sanctarum intelligentia, de legis ab illo traditæ jugi meditatione loquor; quibus accedere velim suscepti instituti accuratam notitiam, ac illam denique tenacem propositi firmamque persuasionem, ne latum quidem unguem debere nos a Sanctorum documentis, exemplis, institutisque nobis traditis usquam discedere.

Fieri non poterat (inquit) *ut singularum Domorum Præpositi ter in hebdomada de rebus spiritualibus conferrent, si doctrinæ expertes fuissent; ad id verò sola Scripturarum scientia vix satis erat.* Pag. 11.

Qui hæc sentit, Fratres mei, ad tria quæ potissimum consideranda sunt, non attendit. Primum est, Sacras Scripturas thesaurum esse non deficientem, quibus omnia contineri, quò studiosius meditaberis, invenies: Quærendique in iis nullum finem esse præ immensa earum altitudine, juxta Apostoli verba: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus*, nos videlicet a Verbo Dei tamquam a penu inexhausta doctrinam, consolationem, lumen, devotionem, in quibus Religionis summa consistit, affatim depromere posse. Rom. 15. v. 4.

Alterum est, maximos in Ecclesia viros, atque illos præsertim, qui primis sæculis vixere, omnem suam doctrinam, omnem Sanctitatem atque eloquentiam a Sacris litteris, quasi ab immensæ altitudinis fontibus hausisse; exhinc verò dignos evasisse, qui præcipuas

Ecclesiæ dignitates tenerent, quive in sedibus primariis constituerentur.

Tertium denique hoc est, JESUM CHRISTUM, qui sua providentia cuncta moderatur, qui sanctarum Sodalitatum primus est Auctor atque Institutor, qui eas, ut ita dicam, creavit ac de nihilo eduxit, usus ministerio atque opera hominum, numquam eas rectoribus & ductoribus orbas reliquisse, nec posthac relicturum, dum fideles ipsi erunt; fierique vix posse, ut in tanta hominum multitudine, quos Spiritus Sanctus unius communione instituti coadunavit, nemo reperiatur, qui (Deo dante) ingenio & sollertia polleat cum sanctitate conjunctis, ad hoc ut Scripturarum abditissimos sensus rimari, pro re nata explicare, & quamlibet veritatem eloqui possit apte ad permovendos, unaque illustrandos sive legentium sive audientium animos. Ipse & non alius Pastores eligit ac Solitariis præficit, quemadmodum & reliquos populorum Præsules constituit. Hæc nobis ipsa Fides tradit; omnes autem qui ex Fide vivunt, ea ut explorata & certissima habere debent.

Cæterum, cum nostra tempora præsidiis doctrinæ magis abundent, quam prisca illa de quibus loquebamur; licebit ad Sacras Paginas adjicere magnum librorum numerum, qui ad Monachos in instituti sui amore roborandos, ad augendam eorum scientiam, ad inflammandos ad virtutes sibi maxime convenientes eorum animos, plurimum valent, quin eorum cogitationes in diversa trahant, cujusmodi incommodum ex multiplici variaque lectione sine ullo delectu instituta necessariò fere consequitur. In his numeranda veniunt atque laudanda, Fratres mei, S. Basilii Opera, Collationes Cassiani, Vita Sanctorum Patrum in Eremo, Scripta S. Ephræm, S. Isidori Pelusiotæ, S. Nili, S. Dorothei, S. Jo: Climaci, S. Bernardi, Homiliæ S. Jo: Chrysostomi in Sacram Scripturam, Enarrationes S. Augustini in Psalmos, Moralia S. Gregorii, scripta S. Hieronymi, aliaque multa horum similia. Profectò Monachus, cujus animum hæ lectiones non explent, insatiabili sciendi cupiditate laborat.

Quod de Theodoro narratur (pag. 12.) ad argumentum de quo agitur, inutile prorsus est. Quod si ille Philosophorum ænigma quoddam sibi propositum acutè intellexit, enodavitque, prompto, sollertique ejus ingenio, diuturnæque in Sacris Scripturis exercitationi tribuendum est; neque enim ab eo aliquid quæsierunt, quod omnibus fere perspectum non esset: pauci tunc temporis ignorabant, aut etiamnum ignorant, Adam Dei manu fuisse conditum, Enoch vivum e terris sublatum; uxoremque Loth in statuam salis fuisse conversam.

Alle-

Allegatur, *S. Pachomius discipulis suis Scripturæ Sacræ eloquia exponere solitus, si quæ maxime occurrerent intellectu difficiliora, aut magis abstrusa de Domini Incarnatione* &c. Pag. 12.

Non est cur miremur, Fratres, S. Pachomium, qui Scripturas diligenter atque attente perlegerat, quem Deus maximi in Ecclesia Ordinis Fundatorem præordinaverat futurum, earum intelligentiam assecutum fuisse, sive hanc illi a Deo fuisse communicatam, prout aliis viris Sanctis contigit, quos Deus ad magna quædam Opera perficienda direxit, quive illius gloriam propagaturi, cultumque promoturi erant. Accedit, quod S. Pachomius Lectoris munus obierat: videre autem est etiamnum simplices puellas, quæ Scholis præsunt, & Religionis mysteria ita distinctè, luculenterque explanare sciunt, ac si Theologicum cursum studio peregissent.

Indubitatum insuper esse (affirmat) *Sancti Pachomii discipulos nedum Scripturarum Sacrarum lectioni vacasse, verum & Sanctorum Patrum opera sæpius lectitasse.* Pag. 12.

Quamquam vero id probetur (quod est difficile) nihil inde consequitur: Neque enim alicui in mentem venit Monachis Operum a Sanctis Patribus conscriptorum lectionem interdicere; ex qua illi lectione recreari, illustrari, & in officiorum Monasticorum fideli proposito, perpetuoque usu confirmari possunt. Sed cum pauca hujus styli & argumenti Patrum opera tunc extarent, in ea illi exercitatione plurimum versari non poterant. Nemo est itaque, qui non intelligat, nullatenus id referri posse ad amplissimas illas scientias, quæ solitariis a quibusdam proponuntur.

Asseritur, *S. Basilius easdem fere normas præscripsisse Monachis, qui ejus disciplinæ se dederant; cujus rei inde argumentum sumi, quod pueri in ejus Monasteria reciperentur, eousque ætatis erudiendi, donec aliquod vitæ institutum suscipere prudenter valerent.* Pag. 13.

Educari adolescentulos consuevisse inter S. Basilii discipulos, facile assentior; fatendum tamen est, docendi modum ibi usurpatum summa fuisse cum simplicitate & sanctitate conjunctum, in eoque nihil esse quod nostram non confirmet sententiam. Quod patet ex Responsione ad decimam quintam quæstionem Magnarum Regularum. „ Vir sanctissimus expresse monet, considerandum esse, ut „ litterarum commentatio instituto Monachorum conveniens sit; „ ut & Magistri scilicet vocabulis in Sacris litteris usitatis apud „ alumnos utantur, & loco fabularum, historias ipsis rerum mirabiliter a Deo gestarum denarrent; itemque sumptis ex Proverbiis sententiis ad virtutem erudiant.

Fateor etiam ipsummet S. Basilium cum discipulis Collationes habuisse; At summa colloquiorum ejus quæstiones complectebatur a Novo Testamento petitas, eo fine ut Sacris litteris innutriti mores suos Christiana pietate, atque exercitatione virtutum informarent.

Quænam est verò tam simplicium piarumque Collationum, ad immensam illam doctrinam, quam hodie quidam requirunt, proportio? Illud profectò mirari subit, quod cum Studiorum Monasticorum patronus (p. 7. & 13.) affirmaverit, divinarum Scripturarum lectionem satis olim fuisse formandis viris ad Ecclesiastica munia obeunda designatis, atque in ea omnem illorum doctrinam sitam fuisse, idem postea neget, sacras litteras hominibus ad solitudinem factis, & JESU CHRISTO peculiariter addictis sufficere.

Pag. 14. *Veterum Monachorum eruditionem* (inquit Auctor) *ex Collationibus Cassiani perspici posse.*

Duo sunt, Fratres mei, quæ ad id respondere possumus: Unum, quod in plerisque harum Collationum eminent maxime judicium sanum, animi libertas summa, prudens pietas, studiosa Verbi Dei commentatio; valde autem parum eruditionis & doctrinæ conspicitur.

Alterum, quod tribus quatuorve Solitariis ex magno numero lectis, aliosque innumeros singulari virtute antecedentibus, loquendi partes fere ubique in his Collationibus tribuuntur.

Quæ referuntur ab Abbate Josepho (pag. 15.) prolata, aliud nihil evincunt, nisi quod Monachi suomet judicio, suaque intelligentia in lectione S. Scripturæ contenti esse non debent; sed Antiquiorum suorum, quos diutina commentationis exercitatio doctiores effecit, sciscitari sententias. Ad id verò tam late patens & vasta scientia minime requiritur: Adsit modo interpres gravis & doctus, quo præeunte vitentur errores, in quos magnus solitariorum numerus olim impegit: Eorum id munus esto, qui aliis regendis præficiuntur; ad eos pertinet plura & altiora intelligere, quam intelligant qui ab illis reguntur. Id nos docet S. Basilius quæst. 23. suarum Regularum compendio explicatarum, ubi quærit, an expediat multa ex Scripturis ediscere: „ Equidem sic existimo, ait, cui aliorum re„ ctio procuratioque commissa sit, eum quæ apud omnes scripta sint, „ scientia comprehensa habere, ac ediscere debere, ut cunctos do„ ceat voluntates Dei. De cæteris vero qui subsunt, unusquisque „ quæ officii sui sint, studiose discat & persequatur, neque curiosè „ ulterius quicquam inquirat.

S. Gregorii locus, qui (pag. 15.) citatur, ad Solitarios non pertinet; generale autem effatum est a veritate dependens quæ in contentionem venire non potest: Nimirum Litterarum humanarum notitiam aliquatenus conducere, neque esse penitus rejiciendam. Ma-

gni

gni illius sanctique viri hanc esse sententiam ambigi non potest, ut ipsemet Tractatus Auctor agnoscit, cum ait (p. 271.) S. Gregorium in sua ad Desiderium Episcopum Viennensem Epistola, hac de re loqui juxta Decretum quarti Concilii Carthaginensis, a quo Gentilium librorum lectio Episcopis inhibetur, quos Grammaticæ nomine sanctus is Doctor indigitat. Scimus alioquin, sanctos viros litteris humanis usos feliciter & cum fructu, præcipue scribendo ac disputando contra Gentiles.

Hoc Caput, quod hactenus, Fratres mei, per partes vobis exposui, toti Operi præponitur ut basis & fundamentum, unde per firmas illationes erui argumenta putat Tractatus Auctor, idonea ad probandum, dandam esse a Monachis operam litteris humanis, prophanorum lectioni, Philosophiæ, Linguis, Theologiæ, Historiæ, Disciplinæ Ecclesiasticæ & Canonibus Conciliorum, ac notitias hasce universas omnino esse necessarias. Quid aliud hoc est, quam Veterum locis inibi allegatis vim inferre, eorumque dicta factaque in alienum sensum torquere? Luce verò clarius est, ex eorum auctoritate locorum id solum probari, commentationem Verbi Dei, ac Scripturarum studium a Solitariis apprime olim exculta fuisse; S. Pachomium studium hujusmodi discipulis suis commendasse tanquam necessarium ad obtinendam sanctitatem, eorum sive ut Christianorum sive ut Monachorum professioni consentaneam; & nequaquam sibi proposuisse, ut in ampliorem studiorum ac scientiarum messem illos deduceret.

Jam vero intelligitis, Fratres, immerito Auctorem Tractatus videri sibi demonstrasse, disciplinæ Monasticæ œconomiam, prout eam constituere Sancti Pachomius & Basilius, tunc scilicet cum maxime illa vigebat, sine studiorum præsidio non potuisse consistere: nisi forte totum hoc studii genus in sola divinorum librorum lectione ponatur; ambo enim sancti illi viri finibus hujus cognitionis sese continuerunt. Sane quidem S. Pachomius, ne libros Origenis lectitarent, discipulis suis vetuit, quod nempe per solitudines Monasticas maxime libri illi disseminarentur, ac in omnium fere manibus tunc essent; nullibi vero immensa illa studia, quæ hic rejiciuntur a nobis, ab eo fuisse imperata, neque id illi umquam in mentem venisse, novimus. Itaque, ut vera dicam, grande ædificium mihi videtur Auctor moliri, sed fluxa & caduca fundamenta substruere, ex quibus nihil validum nihil firmum exurget.

Illud quidem quasi decretorium allegatur, fieri non posse, ut idonei Superiores Monasteriis præsint, nisi ibi certa Studiorum ratio obtineat. Facile est respondere, in Cœnobiis inveniri sæpe viros, qui antea didicerint scientias, quibus addere illa possunt quæ pro suscepto vitæ instituto scire illos decet: Quod si secus contingat, vix esse aliquam Monasticam sodalitatem, ubi desint omnino qui sollerti ingenio a natura præditi, & ad discendas sacras litteras præ reli-

reliquis magis apti, digni olim futuri sint ut regendis Fratribus præficiantur. Istorum ingenia exercenda interea erunt diligentius lectione Scripturarum, antiquorum Auctorum ac Patrum qui de Officiis vitæ Monasticæ scripsere, Operum denique Ecclesiasticorum Doctorum, in quibus effata continentur apposita ad gubernandas animas, regendasque conscientias. Quod si vel primis Ecclesiæ sæculis studium divinæ Scripturæ consentiente Auctore Tractatus (p. 13.) a viris Ecclesiasticis coli unicè consuevit; cur ulterius aliquid a Monachis requiritur? Vel saltem si huic studio Opera Sanctorum Patrum adjiciantur, cur non erimus hac accessione contenti?

CAPUT III.

Pag. 16. Hoc Capite id sibi sumit Auctor probandum, *Abbates aut alios Superiores sine Studiorum adminiculo rectioni & procurationi Monasteriorum idoneos non esse; Regulas vero Monasticas, scientiam a Præpositis, sapientiam, ac vitæ probitatem requirere.*

FAtemur ultro, ab omnibus, quotquot Monasticarum Observationum Regulas tradidere, illud in primis constitutum fuisse, ut ejusmodi viri Monasteriis præficiantur, qui Fratres suos scientia, prudentia, & exemplo vitæ juvare confirmareque possint. Cum vero anceps sit scientiæ vocabulum, in hoc sita est Quæstio, ut sciamus, quam denique illi scientiam in Superioribus requisiverint. Atque ego quidem securus erroris sic statuo, Præpositos regulares Monachorum necessariis dotibus præditos futuros ad hoc ut cum fructu & benedictione cœlesti gregem sibi commissum regant, si Sanctarum Scripturarum ita periti atque intelligentes fuerint, ut documentis in utroque Fœdere ac præsertim in Novo contentis uti apposite, ut mysticos rimari sensus, divinaque eloquia ad actionum morumque normam subditorum suorum accommodare valeant: si ea quæ Sancti viri de eorum instituto scripsere, noverint; si pias morum institutiones, quæ in Operibus Patrum ac Doctorum Ecclesiæ, puta S. Jo: Chrysostomi, S. Basilii, S. Hieronymi, S. Ephræm, S. Isidori Pelusiotæ, S. Nili, S. Dorothei, Cassiani, S. Augustini, S. Gregorii, S. Bernardi, atque aliorum hujusmodi Scriptis inveniuntur, exacte perlegerint; si denique elocutionis donum, sine quo omnes illæ notitiæ inutiles forent, habuerint. Monachum igitur sollerti ingenio præditum, in horum omnium Auctorum lectione versatum, sinceræ pietatis ac religionis sensu imbutum, quis dubitat, cujuslibet rectionis ac procurationis oneri gravissimo satis parem futurum?

Cur itaque ad alienam suo muneri doctrinam confugiet, cum ista sufficiat, dicique possit haud citra rei veritatem, majorem hac non requiri doctrinam vel in primis Ecclesiæ Pastoribus? Nonne satis

am-

amplam piarum graviumque Exhortationum aut acrium Reprehensionum materiam, in Libris quos memoravimus, poterit invenire? Nonne ibi passim deprehendet quæ ad ingerendum Fratribus suis peccati odium, virtutis amorem, mundique contemptum appositè dici queant? Quam multa denique in recessus solitudinisque commendationem, quam idonea ad excitandam in animis Dei ac proximi charitatem, eosque ad pietatis apicem evehendos, licebit ut legat? Quid porrò majus in Pastore Monastico requiras? Nonne omnia illi suppetunt, si habeat quæ necessaria sunt, ad hoc ut animas sibi a JESU CHRISTO commissas tutò regat, usque dum veniat dies, qua easdem Domino est redditurus?

S. Bernardus, cujus citatur epistola 306., in qua sui Ordinis Abbatem quemdam laudat, cum illum muneri suo rite obeundo non mediocriter aptum fuisse inquit, nihil aliud testatum posteritati voluit, nisi quod is fuerit, qui posset facile suorum Fratrum animos ad pietatem erigere, atque in suscepto vitæ instituto eosdem roborare.

Quamvis eorum, quæ in Novi Testamenti libris tradita sunt accuratam notitiam haud magni facere nonnulli videantur; nihil esse tamen, ad hoc ut Monachi ad solidam pietatem informentur, ea notitia magis efficax, nihil ad augendam quam acquisiverint pietatem aptius, nihil denique ad eos in virtutis fastigium extollendos fortius, existimo. Per ea videlicet quæ ex Novo Fœdere petita tradi poterunt, discent Monachi Deum super omnia, Fratresque suos rite secundum Deum amare; Præpositis, quibus ex Dei ordinatione subjiciuntur, obedire; puritatem, Angelorum ad instar, sectari; pauperes, humiles, docibiles esse; mundum mundique oblectamenta, curas, ac voluptates devitare; scientiarum vanitatem contemnere; de pane illo vivo, qui vitam largitur ac fovet, nutriri; carne & spiritu libenter mortificari; denique solitudinem, silentium, orationem anteferre colloquiis sæcularibus, atque cuilibet hominum consuetudini. Hæc omnia operatur Verbum Dei in illis, quibus fideliter traditur, præsertim si id fiat a Viris, quibus ad hoc munus exequendum character, auctoritas, & Missio non desint.

Minimi sunt ponderis quæ de Serlone subduntur; Scriptor is fuit Pag. 18.
judicio & doctrina S. Bernardo prorsus inferior. Laudat & ipse Abbatem, de quo supra meminimus, sed in ea re laudat, in qua non erat pro ratione ejus instituti laudandus: ait enim ipsum nedum fuisse Sacris Scripturis, sed & liberalibus artibus humanisque litteris eruditum; Quam ille eruditionem haud sibi comparaverat in Cisterciensi Ordine, cujus tunc penitus vigebat disciplina, sed in Cluniacensi, in quo valde remiserat, atque ubi Theroldus (id Abbati nomen erat) vitæ Monasticæ professionem ediderat.

Hoc

Pag. 18. Hoc tanquam maximi ponderis argumentum affertur, *quod Abbates eminentem gradum in Ecclesia semper obtinuerint, quòdque in Conciliis præsentes adesse debuerint.*

Nonnullos quidem Abbates Conciliis aliquando interfuisse non nego; sed ut illis præsentes se sisterent, nulla lege fuisse obstrictos, nisi cum ad ea vocarentur, pro certo habeo. In hac fuit sententia S. Auxentius Monachus celeberrimus, qui cum ab Imperatore atque a Patribus, ut ad Chalcedonense Concilium veniret, rogaretur, abnuit, respondens, id honoris Episcopis tribui non Monachis, quibus doceri quam docere, magis convenit: Verum effractis cellæ qua se concluserat foribus, vinci denique se passus est, Conciliique Decretis subscripsit. (In vit.)

In eadem fuisse sententia S. Bernardum, ex pluribus Epistolarum ejus testimoniis patet: Ad Episcopos apud Senonas contra Petrum Abaelardum coactos scribens, non agi ibi ait causam suam, sed litem pro defensione fidei, ideoque Episcoporum magis propriam; & sane, ut in Notis Auctoris observatum est, ad hanc Synodum non nisi invitus venit. Alio loco de eodem negotio verba faciens, illud ad se nequaquam pertinere ait, sed potius ad Episcopos, quorum est ministerii de Dogmatibus judicare. In eumdem finem se excusat, quod ad Trecense Concilium vocatus non accedat, causaturque imperitiam ac morbos; subditque insuper, quæ in eo erant definienda, ad Episcopos spectare, non ad se qui in silentio & solitudine viveret. Sola eum vicit obedientia, & reluctantem accedere compulit. Testatur alibi, se, quoties negotiis immiscetur, de quibus sua nihil refert, non sponte sua, sed vocatum ac tractum id facere. (Ep. 187. Not. in Ep. 187. Ep. 189. Ep. 21. Ep. 48.)

Sed etiamsi pauci quidam Abbates ac Monachi præsentes adfuerint Conciliis, quid inde consequitur? Triceni aut quadrageni ad Synodos profecti quid sunt ad quadraginta Monachorum millia, qui in obscuro abditoque solitudinum semper delituerunt, quorum firma invictaque fides robur & munimen Ecclesiæ erat; qui spiritus & carnis mortificatione, gemitibus, lacrymis, jugique suimet ipsorum holocausto, quod divinæ majestati, cui sese mancipaverant, immolabant, Remp. Ecclesiamque fovebant. Et credat quispiam, hos Angelos carne indutos de illo sacræ pacis ac tranquillitatis sinu abstractos fuisse, ut evagationi mentis, a qua scientiarum studia disjungi non possunt, obnoxii redderentur; hoc specioso argumento quod ad Synodos cœtusque Ecclesiasticos, quibus alioquin interesse numquam debebant, vocari aliquando potuerint.

Nonne id perinde est, ac ordinem a Deo constitutum velle pervertere? cursum divinæ Providentiæ disturbare? Magdalenam a pedibus Salvatoris avellere, curisque ac solicitudinibus Marthæ implicare? An ista mutare hominum est? (cum hæc dico, absit ut intacta nolim Ecclesiæ jussa atque Decreta.) Scimus, nonnullos olim solitarios.

tarios in corona majorum Ecclesiæ Principum præsentes adstitisse, suasque ibi sedes obtinuisse, sive per se, sive illorum nomine, a quibus illò legati fuerant: ac sæpius affirmavimus, Fratres mei, omne ævum aliquos tulisse doctrinæ laude in Monachatu conspicuos: sed id præter morem & fortuito penè evenisse: a particularibus verò, quæque extra ordinem contingunt, nihil sequitur, juxta regulam Juris Canonici: *Quæ a jure communi exorbitant, nunquam ad consequentiam sunt trahenda.* *In 6. de reg. juris reg. 24.*

Præterea notandum est, si e recessu solitudinum educti aliquando fuerunt, ut in perturbato rerum statu gravibusque negotiis, subsidio Ecclesiæ irent, id accidisse verius quod eorum sanctitati & signorum dono honos haberetur, quàm quod magnus doctrinæ eorum usus speraretur.

S. Antonius ex cacumine montis in quo degebat, evocatus olim fuit, ut Alexandriam proficisceretur, ibique hæreticorum audaciam impietatemque non disputatione, sed sanctitatis auctoritate & fama prosterneret. Etenim constat, nulla eum scientia præditum fuisse, nisi quam ex Scripturarum Sanctarum frequenti meditatione sibi comparaverat, quemadmodum perspicuis verbis testatur S. Augustinus: *Nec propterea sibi ab Antonio sancto & perfecto viro Ægyptio Monacho insultari debere, qui nulla scientia litterarum, Scripturas divinas & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse prædicatur, lib. 1. de Doctr. Christ. in prolog.* *Vit.*

S. Julianus eodem consilio & pari successu Antiochiæ præsens adfuit. Nempe ex quo magni illi viri se Orthodoxæ Fidei defensores profiterentur, continuo maximum causæ momentum accedebat, viresque atque animi addebantur iis qui pro ea pugnabant, adeo ut adversariorum audaciam fortius infringerent. *Vit.*

S. Macarius Ægyptius, ubi cum obstinato hæretico, qui mortuorum Resurrectionem negabat, ad manus venisset, hominem mortuum revocavit ad vitam illo præsente & coram innumera populi multitudine, quam impostor ille seducere nitebatur. *Vit.*

S. Copres pari signorum virtute Manicheum adortus, in ignem data opera accensum insiliens, fidei attestatus est veritatem, atque hujus hæretici errores non doctrina, sed miraculo confutavit. *Vit.*

Memoriæ proditum est, S. Aphraatem Persam, in Syria prope Edessam solitarium, cum turbas & strages, quibus hæresis circa Antiochiam grassabatur, cognovisset, eò sese contulisse, atque in Philosophorum Scholam quæ inerat portis Civitatis, audacter ingressum, græci sermonis in ea regione vernaculi licet ignarum, adversus illos vehementer disputasse, de Spiritus Sancti gratia, ut historicus animadvertit, ceu de altissimo fonte sententias & argumenta quibus ad eos profligandos usus est, haurientem: Quod tam felici eventu peregit, ut omnes eum audituri atque interrogaturi turmatim advenerint. Viri omnifariam omnisque conditionis in eo cœtu *Vit.*

adfue-

adfuerunt, milites, Magistratus, artifices, docti atque indocti, divites & pauperes: vir autem Dei cum sciret, cuinam accepta referenda essent quæ ex ore suo fluebant verba, cum S. Paulo exclamabat, Ego *etsi imperitus sermone, sed non scientia*. Et jure sic ajebat; nam multa vera quæ ipse objectabat adversariis, in ejus animo suscitabat Deus, ut de labiis illius ad configendos errores tanquam acuti gladii procederent.

Vit. S. Macarius Alexandrinus magno solitariorum numero comitatus, eremo relicto, Alexandriam eadem de causa petiit. Ex vitæ autem ejus historia intelligimus, eum cum hæreticis disputasse, eosque non subtilitate sermonis aut eloquentia, sed virtute & efficacia Spiritus, quo plenus erat, prostravisse.

Vit. S. Theodosius, nominatissimus ille Abbas, scientiarum, humanarumque litterarum expers, de rebus divinis tanta vi tantaque eloquentia disserebat, ut vel doctissimos & facundissimos viros facile superaret. Et sane illius verba non ab humana sapientia, sed a divino, quo tenebatur spiritu, prodibant; ut referente historico, dixisse illi Spiritus Sanctus videretur, quemadmodum Prophetæ: *Posui verba mea in ore tuo*. Nempe salutares Regulas, quas a Sancto Basilio didicerat, menti animoque velut infixas alte retinebat, & cujus in se quodammodo delineabat vitam, sanctissima quoque documenta moribus exprimere, atque eloquentiam imitari gestiebat.

Vit. ips. Abstrusiores ille Patrum locos dilucide explanabat, eratque in ore illius ignis quidam consumens, quasi gladius acutus, cui nihil poterat resistere. Imperatori sacra Concilii Chalcedonensis dogmata evertere nitenti invicta constantia restitit; atque Acephalorum detestandis erroribus impugnatis, adversus omnes quæ sibi struebantur insidias mira sapientia superior evasit. Ausus denique est Imperatori libere enunciare, non aliunde quam ab immoderato partium studio quorumdam Ecclesiasticorum ac Monachorum, qui se veram fidem tueri crederent, quive præ ceteris doctiores haberi maxime cuperent, turbas & scandala, quibus Ecclesia jactabatur, orta fuisse.

Hinc apparet, quantam ex una parte afferre possit perniciem vana Monachorum propter scientiam elatio; ex alia vero quid boni valeat efficere sanctitas illorum, qui Deo fidunt, eaque cognitione & scientia contenti sunt, quam Spiritus Sanctus ipsis impertivit.

Non ambigimus quidem, Solitarios Ecclesiæ regimini aliquando fuisse præpositos: sed peculiaria exempla esse ista dicimus, quæ ad summam quæstionis vix aliquid conferunt. Obvium enim est respondere, Ascetas illos, qui de suo abstracti atque avulsi statu olim fuerunt, in Monasteria venisse postquam humanas scientias in cœtu sæcularium addidicissent; qui dum intra Claustra morarentur, sanctarum veritatum studio occupati, divinarum Scripturarum meditatione pietatem haurire nunquam destiterant; qui denique exigui numero, doctrina quadam singulari & a communi Monacho-

chorum usu aliena præditi, vias ab aliis tritas nequaquam ingressi sunt.

Asseritur (pag. 18.) *Sancti Basilii testimonio demonstrari, quod Cœnobitæ Synodis ejus temporis interesse soliti fuerint : Monachum Chilonem ab eo reprehendi, quod cum Anachoretam se fecisset, occasionem sibi eripuerit proficiscendi ad hos cœtus, in quibus dubia & difficultates circa Theologiam divinasque Scripturas disceptabantur.* Epist. ad Chil.

Quod nobis hic objicitur alicujus quidem momenti esset, si a Sancto Basilio objiceretur ; at revera, Fratres mei, quæ quasi ab illo dicta afferuntur, non ab alio quam a mendacii patre diabolo excogitata sunt. „ Nam Sanctus Basilius hoc loco tantummodo „ Chilonem admonet, ut sibi a diaboli versutiis caveat, qui si „ quando cavilletur & dicat : Quæ utilitas est tibi hujus in hoc „ loco conversationis? Quid lucri fers ex secessu a consuetudine ho„ minum? Annon nosti a Deo constitutos Episcopos Ecclesiarum „ Dei, viros familiariter consentientes, & spirituales conventus in„ desinenter celebrantes, in quibus maxima his qui accedunt uti„ litas oritur? &c. si hæc inquam, & similia suggerat diabolica co„ gitatio, Chilonem monet S. Basilius, ut per piam meditationem „ illi se opponat, experientiam rei adducat; & diabolo, bona, ea „ quæ in vita sunt, esse, dicenti respondeat, propterea se illuc „ transmigrasse, quod indignum se ipsum censuerit mundi bonis, „ immista autem mundi bonis mala esse. „ Peculiarem sane meretur animadversionem Auctoris in hoc loco citando hallucinatio, cum minime solemne ei sit ita hallucinari.

Frustra quoque in exemplum adducit Auctor S. Bernardum, quasi ille studiorum causa & ob acquirendas scientias aliò diverterit atque a Monachorum consortio sese subduxerit, quod olim Superioribus fuisse familiare autumat. Nam S. Bernardum id nunquam egisse constat. Dum illi vires & firma valetudo ad opus manuale exercendum suppeterent, pro virili parte cum Fratribus suis laboravit. Cur se ab illis quoad regularia officia distraheret, in causa fuerunt tantummodo morbi, & qua diutius tenebatur incommoda valetudo; Monastico vero regularique operi cum deerat, orando, aut utilia & necessaria ad discipulorum suorum doctrinam & ædificationem scribendo unice occupabatur. Quod enim ad scientiarum studia pertinet, nunquam illis operam dedit, ut ipsemet fassus est, juxta illa verba sæpius a se repetita, *Amplius invenies in silvis, quam in libris.* Ep. 106.

CAPUT IV.

Pag. 22. Hoc Capite assumitur probandum, *Monachos ad Clericalem statum evectos teneri ad studia incumbere.*

NOn inficior, Monachos, qui Clero sunt adscripti, latiori cognitione indigere, quam qui eodem gradu atque ordine minime censentur. Sed illud ambigitur, quibus terminis hæc illorum amplior cognitio claudenda denique sit; cavere enim debemus, ne hoc obtentu genus aptitudinis ab iis requiramus ipsorum instituto inconveniens.

Nullum porro dubium est, quin omnem ad quam, ut Clerici, tenentur, eruditionem sint habituri, quoties Sacrarum Scripturarum intelligentia subtiliori præ ceteris Fratribus præditi fuerint, & quandocumque Religionis principia, & christianæ morum disciplinæ dictata, perspecta habuerint, ita ut latas & spaciosas vias non præferant angustis & arctis, quas Jesus Christus exemplo & verbo nobis monstravit, ac per Sanctorum Doctorum, e. g. S. Basilii, S. Jo: Chrysostomi, S. Hieronymi, S. Augustini, aliorumque hujusmodi præcepta in eorum homiliis, admonitionibus, & tractatibus ad mores spectantibus contenta, nos docuit.

Pag. 7. & 13. S. Greg. Vix mihi subit dubitare ne in hic a me dicta consentiat Auctor, cum pluribus ille locis jam fassus sit, qui se Ecclesiæ mанciparent, olim studiis divinarum litterarum operam unice dedisse. Cujus generis studia si tum Ecclesiasticorum propria & sola fuere, cur adhuc non erunt? Statuendum est itaque, Monachos omnibus numeris scientiæ, quam ab iis Ecclesia postulat, satisfacturos, cum ad eloquii divini lectionem ita diligenter naviterque incumbent, uti proficere & compendium ex ea capere volentes decet. Quæ autem ratio persuaserit unquam, a Monachis qui nunc sunt, plura sciri debere, quam ab Ecclesiasticis qui primis sæculis vixerunt? Quod si forte abstrusa quædam difficultas suboriatur, ad quam enodandam competens eruditio non adsit, quid vetat quominus consilium a doctioribus capiatur? Præterea nullum hodie Monasterium est, in quo libri desiderentur, ad quos subnascentibus dubiis confugere quispiam possit.

Pag. 22. 23. Quod si Cistercienfium Monachorum ille, qui S. Bernardo a secretis esse meruit, Monachis sacro ministerio addictis latiorem scientiæ campum patefecit, in hac re non secus ac in aliis permultis a Patris sui ac Præceptoris sententia longe discessit, cujus hæc verba non dubito quin pluries audiverit: *Scientia Sanctorum est, hic temporaliter cruciari, & delectari in æternum. Et in contrarium scientia malorum relabitur. Ber. ser.* 21. *de diversis.*

Quamobrem, Fratres, hoc velim pro certo habeatis, Monachos Sacerdotio initiatos, qui eum scientiæ gradum attigerint quem iis

con-

convenire paulo ante dixi, non esse commiscendos cum Sacerdotibus, quibus, quòd repulerint scientiam, per os Prophetæ gravia minatur Deus. Ad eos ista non pertinent, neque in eorum recident caput. Abbas Trithemius Monachorum litteratorum encomiastes, cujus auctoritas allegatur, nostram confirmat sententiam; „ postquam „ enim dixerat, Sacerdote indocto nihil esse miserius, subjungit, „ eum, licet nullum prædicationis officium habeat, ratione tamen „ suscepti ordinis ad scientiam obligari Scripturarum. „ Et nos idem prorsus sentimus; nam Monachos ad Sacerdotium evectos ad hanc Scripturarum scientiam, assiduo diligentique studio, quo in iis meditandis versati sunt, ponimus pervenisse. Locus Oseæ: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi*, difficultatem non attingit; non enim ad Monachos, sed ad Ecclesiæ Rectores & Principes minæ istæ diriguntur. Pag. 26. Ose. 4. v. 6.

Cum observantia Sacrorum Canonum (inquit Auctor) *generaliter omnibus Ecclesiæ filiis indicta sit, Monachi soli non excipiuntur: ad hos etiam pertinent quatuor primorum Conciliorum decreta & Synodales constitutiones, quibus in Ecclesia auctoritas est. Secus enim juste timeri potest, ne ipsi quoque sententiæ, ac punitioni divinæ aliquando subjaceant, quam Sacerdotibus quibusque necessariam Ordini suo scientiam repellentibus Deus per os Prophetæ minatur. Quod si S. Gregorius Sanctissima quatuor Concilia confirmans, ita dicit se ea suscipere & venerari, sicut Sancti Evangelii quatuor libros, eadem ratio, quæ ad lectionem & meditationem Evangelii Monachos impellit, ad assequendam pariter Synodalium decretorum notitiam eosdem impellere debet.* Pag. 25.

Hæc propositio, Fratres mei, defendi non potest; neque hactenus quisquam fuit, cui in mentem venerit hac obligatione Monachos onerare, atque ad ecclesiasticorum Canonum studium compellere sub adeo gravi sanctione. Huic obligationi nunquam adstricti fuere Laici, ut vult Tractatus Auctor, & ne Ecclesiastici quidem, quamquam his populorum institutio commissa sit: Non est accurata Auctoris ratiocinatio. S. Gregorius de cultu & reverentia, non de lectione ac studio primorum quatuor Conciliorum Œcumenicorum loquutus est; Cui reverentiæ, & cultui satisfit intima animi submissione, ac motione fidei, quæ quidquid Ecclesiastica decreta continent amplectitur, singularum rerum, quæ Doctoribus subtilius examinandæ reservantur, haud valde curiosa. Monachi propriè dictis & essentialibus officiis atque obligationibus satis sunt devincti, quæ nimium cæteroqui ignorant ac negligunt; prorsus autem intempestivum est novas illis atque imaginatione effictas obligationes superaddere.

Uno verbo, Fratres, quilibet homo sacro baptismatis fonte tinctus, quidquid docet Ecclesia credere debet, idque fidei suæ integri-

tate complet, omnibus quæ in Conciliis ſtatuta ſunt accipiendis paratus, quandocumque illa ſibi proponantur. Ceterum ſcire velim, an S. Benedictus, & ſexcenti poſt illum Monachi ac Superiores ipſi noverint olim quod in Conciliis conſtitutum fuerat? Quod ſi Canonum ſingulorum ignari fuere, nunquid propterea repelli merentur a Deo? Quod ex Auctoris ſententia videtur conſequi. Quam ille ſententiam quomodo tueri poterit, cum toties, ut vidimus, falſus ſit, Eccleſiaſticorum ſtudia non alia prorſus fuiſſe quàm Sacrarum Scripturarum, ſuamque opinionem S. Gregorii auctoritate firmaverit.

Pag. 7. & alibi.

Pag. 26. Quæ de S. Fulgentio narrantur, nihil habent ſententiæ noſtræ contrarium. Fuit ille Sanctus vir, a Deo tuendæ veritati Fidei Catholicæ & gloriæ Nominis illius ſuſtinendæ deſignatus, quem propterea Spiritus Sanctus virtute, zelo, & doctrina Apoſtolorum repleverat. Singulare autem hoc exemplum eſt, ex quo non reſultat regula. Sed vel ex ejus inſtituti ratione (quod notatu dignum eſt) mire confirmatur noſtra ſententia. In Monaſterium ſeceſſit in rupe poſitum, ubi inter cetera Regularia exercitia, quæ Hiſtoricus ſingillatim perſequitur, *communis oratio* fiebat *& lectio*. De Studiis autem ne verbum quidem. Communis porrò iſta lectio per omnia paſſim Monaſteria uſu obtinebat, in quibus ſcilicet viguit aliqua diſciplina. In Sardiniam profectus, Monaſterium Caralis fundavit, ubi Monachos amplius quadraginta coegit: inter quos præ ceteris, refert Hiſtoricus, chariores illi fuiſſe eos, qui ad pietatis exercitia majori aſſiduitate & ſtudio incumberent quam ad exercitia corporis; & propenſiorem ejus voluntatem fuiſſe in illos, qui aliqua impotentia, aut vera infirmitate quominus laborarent manibus impediti, quod ceſſabat operis manualis, Sacrarum Scripturarum meditatione ſupplebant. Atque ipſemet S. Fulgentius impensè adeo in ſacris Paginis fuerat verſatus, ut (quod appoſite obſervat Hiſtoricus) in eo Tractatu in quo Spiritus Sancti divinitatem aſſeruit, ſola Scripturarum auctoritate uſus ſit; quæ res argumento erat (ait idem Scriptor) eum quidquid ſciret ex ditiſſimo illo fonte hauſiſſe. Mirum igitur eſſe cuipiam non debet, eum ſtudioſos lectionis inter diſcipulos ſuos prætuliſſe ceteris hujus ſanctæ exercitationis amore, guſtu aut zelo minime flagrantibus: *Lectionis autem ſtudium non habentes minus diligebat*. Notandum tamen eſt, eum non de Studiis, ſed de ſpirituali ſcientia loquutum; & quos ita ceteris præferebat, manualia opera exercere reipſa non potuiſſe. *Etiamſi virtute corporis deſtitutus, operari manibus nunquam poſſet.*

In Vit.

CA-

CAPUT V.

Ponit Auctor, *viros egregios, qui inter Monachos effloruere, certo esse argumento, studia litterarum impense ab ipsis exculta fuisse.* Pag. 27.

Nihil accurate aut exquisitæ rationis huic argumento inest; ex eoque nihil confici potest, quod Monachorum, qui primis Ecclesiæ Sæculis extitere, Studiis auctoritatem conciliet. Nam si ex his Monasteriis quinquaginta Monachi electi, ad Episcopatus honorem educti sunt; ex adverso centum millia eorum fuerunt, qui ibi totum vitæ cursum absolverunt in humilitate, in silentio, in suæ professionis integritate. Summa igitur redit ad paucos viros, quos Providentia dispositione extraordinaria a reliquis discrevit.

Hi verò (inquit) *in Monasteriis doctrinam & eruditionem consequuti sunt.* Pag. 27.

Duo hic reponi possunt: Primò si hoc demus, verisimile est contigisse, ut viri isti a Deo majori talentorum numero, perspicaciori ingenio, singulari præ ceteris intelligentia, & ad scientias aptitudine donati, his omnibus impensius ac felicius uterentur, ideoque ad majora præ ceteris Fratribus proveherentur.

Secundo, si Monasteria totidem fuerunt Seminaria, ad viros doctrina erudiendos, & dignos Episcopatu reddendos constituta; vere asseritur, necesse fuisse, ut ad consecutionem scientiæ, cujus ope excelsi gradus munera digne exequi possent, dirigerentur. Sed cum id nulli unquam in mentem venerit, frustra hæc ratio adhibetur ad probandum, Monachos teneri in Ecclesiastica scientia eruditionem sibi comparare. Revera enim quòd aliqui virtutum & doctrinæ merito idonei inventi sunt, qui ex Monasteriis ad populorum regimen vocarentur, peculiari Dei providentiæ id tribuendum est: quod raro autem fit, ejus non est habenda ratio. Et falso quidem, ut diximus, colligeretur, ex eo quod centum circiter Monachi extiterint, qui in aliquo gradu & dignitate collocati fuerunt, reliquos ad centum millia omni cura & studio incubuisse, quò his gradibus & honoribus digni redderentur, numquam ad eos ceteroquin vocandi. Vehementer sane & periculose impellerentur Monachorum animi, si Episcopatus ut laborum suorum præmium illis proponeretur; idque perinde foret, ac pietatem Claustrorum penitus abolere, atque exitiali superbiæ malo in ea invecto, humilitatem perpetuo exilio inde exturbare.

Pag. 27. Afferitur, *S. Basilium*, *S. Gregorium Nazianzenum*, & *S. Jo: Chrysostomum* &c. *Monachos fuisse*.

Vit. Id in hunc finem videtur asseri, ut omnem illi suam eruditionem & doctrinam in Monasteriis consequuti esse existimentur. Quod ex Vitæ eorum historiis non constat.

S. Basilius Cæsareæ primum, postea Constantinopoli sub Libanio, atque inde Athenis Studiis operam dedit; atque in tantum cordis ejus puritas, ex adolescentiæ studiis labem tulisse narratur, ut soror Macrina de Fratris salute, quem sæculi vanitate plenum cernebat, facile desperaret. Deus autem, qui magnum hunc Virum magnis incœptis destinaverat, quemque ut vas honoris in Domo sua collocare decreverat, in Eremum secedendi consilium illi injecit. Totum ibi lectioni & meditationi Sacrarum Scripturarum cum se dedisset, profanarum litterarum perniciosa vestigia hac prorsus divina cognitione delere studuit. Discipulis, qui ut ejus ductu regerentur, una convenerant, ipse Monachatu non initiatus Monasticas Regulas tradidit; curaque illius præcipua in hoc fuit, ut scientiam docerentur divinarum Scripturarum, ac præsertim Novi Testamenti: quod ex libro Regularum compendio explicatarum colligimus, ubi omnes a discipulis propositæ quæstiones ex Novo Fœdere petuntur.

Vit.S.Basil. S. Gregorius Nazianzenus Athenis & ipse studiorum suorum cursum exegerat; quod vero Monachus esse quam mundanus, maluisse traditur, id unice significat, vitam illum a consuetudine hominum remotam, sæculi commercio prætulisse. Hoc ille præcipue studuit, non secus ac S. Basilius, ut assidua divini Eloquii cogitatione intellectum animumque mundaret, hanc inde percipiens utilitatem, ut facile posset profanorum librorum amaritiem aversari, & inanem eorum elegantiam alienis & fucatis coloribus conspicuam omnino contemnere.

S. Jo: Chrysostomus inter Monachos aliquandiu vixit, Monasticum vero institutum nullatenus professus est; Omneque tempus, quo apud illos fuit, in oratione & rerum sanctarum lectione transegit, in hoc ut sanctitatem animæ conferret unice occupatus.

Sanctus quidem Athanasius cum juxta Verbum Evangelicum tempori cedere, & eos a quibus persecutionem patiebatur tantisper fugere decrevisset, in Thebaidem se recepit, ut ibi quiescendo ac orando novas majoresque vires resumeret, in certamen rediturus, quoties Ecclesiæ necessitate & veritatis defensione compelleretur. Sed quid ista ad quæstionem faciunt?

S. Hieronymi Monachatus falso asseritur: Quod verò ad S. Gregorium Magnum pertinet, res aliquam patitur difficultatem. Uterque, fateor, erant valde eruditi. Nunquid porro sequitur, ut in Monachorum cœtu docti evaserint, Monachive priscorum temporum ad studia animum adjicere tenerentur?

Res esse notatu digna, creditur, *pœne innumerabilis Episcoporum series, qui de Cœnobiis prodiere: Oportuisse autem, ut intra Claustra degentes scientiam ad id muneris necessariam consequerentur.* Pag. 28.

Animadvertendum est, Fratres mei, de doctrina Episcoporum, qui primis Ecclesiæ sæculis fuerunt, præclare nimis ac præter rei veritatem quosdam sentire. Pauca tunc erant ad discendum proposita, Synodorum anteactarum non magnus numerus, & circa dogmata Christianæ Religionis a paucis ad illud usque tempus Opera conscripta fuerant. Omnino consentaneum veritati est dicere, quidquid olim in optimo Præsule requirebatur, in Sacræ Scripturæ intelligentia, quæ quidem profunda esset atque exquisita, tantummodo stetisse. Ex Evangelico Christi Verbo regendarum animarum præcepta, ex S. Paulo vis, eloquentia, zelus petebantur. Ad hæc verò cum accederent figurarum, eventuum, historiarum Veteris Legis notitia, atque horum omnium scita & ad rem accomodata applicatio; cùm accederent instructiones, verbaque illa a Spiritu Sancto in ore Prophetarum posita, efficacissima quidem ac vehementia; quum denique omnes Sapientialium Librorum divinæ sententiæ memoria tenerentur; his muniti præsidiis ad Dei cultum & fidem revocandis gentibus, regendæque penè infinitæ hominum multitudini pares habebantur. Quid enim amplius continent homiliæ S. Jo: Chrysostomi, Instructiones morales S. Basilii, præter testimonia & auctoritates Sanctæ Scripturæ? Quid porro ad excitandos permovendosque animos, & ad praxim perfectionemque castæ piæque vitæ deducendos aptius hoc institutionis & doctrinæ genere reperiri potest?

Ex numero igitur Episcoporum, quos Monasteria protulere, haud secus quam ex Tractatoribus rerum spiritualium, incassum argumenta quæruntur in hac quæstione, utrum scientiarum studiis Monachi a prima usque Regularum Institutione exerceri consueverint; cum ii, qui è Claustris ad Ecclesiarum regimen educti fuere, nihil sint, si cum innumera penè multitudine eorum, qui intra Cœnobia perstiterunt, comparentur; adeoque illi ut exiguus numerus habendi sint virorum, qui a statis communibusque regulis per quasdam exceptiones discessere.

Si verò quid in hac re certum exploratumque sit cognoscere quis velit, quærendum est quæ mens, quis scopus fuerit illorum, a quibus instituti fuerunt Monastici Ordines. Hæc porro illorum mens scopusque cum in Regulis quas posteris reliquerunt, eminere debeant, quemadmodum filii ex Patrum suorum Testamentis quæ fuerit eorum voluntas dignoscunt; ad has propterea Regulas confugiendum, per quas videlicet solas tota hæc controversia dirimetur.

Sed cum ne verbum quidem mihi occurrerit Regulas diligentissime legenti, quod indicio sit, priscos Cœnobitas scientiarum studiis

operam dedisse ; pro re certa id asseverare vobis possum , studiis scientiarum Monachos non fuisse ab initio occupatos , atque istud exercitationis genus inconveniens illis atque alienum ab eorum professione esse. Quod si forte aliqui præter Verbi Dei lectionem, earumque veritatum commentationem, ex quibus robur, stimuli, & præsidia ad assequendam perfectionem divinitus ipsis propositam comparantur; si præter hoc, inquam, studii genus, alia nonnulli coluere, in hoc a via communi deerraverunt sive impulsu Præpositorum, sive singulari Dei vocatione, seu spontanea quadam propensione.

Quidquid oggeritur in oppositæ sententiæ confirmationem, peculiaria quædam facta respicit, quæ Regularum quidem summam non destruunt , id autem tantummodo ostendunt , aliquando a Regulis descitum esse , hoc est relictas quandoque fuisse vias ab Institutionibus indicatas , ut semitæ illis ignotæ calcarentur . Ego quidem sic statuo , Fratres, si majorum suorum virtutem Monachi imitati fuissent , si eorum exempla & documenta ex animo & cogitatione non abolessent, si moribus similes instituta prisca servassent, si denique ab originis suæ simplicitate & veritate degeneres non fuissent, Ecclesiam majus præsidium & solamen ex eorum secessu, silentio, mortificatione, sanctitate, signorum virtute divinitus indita percepturam fuisse, quam ceperit, & perceptura unquam sit ex eorum scientia, rectione, concionibus, & scriptis.

Pag. 30. Absit quidem ut putemus, Sanctos Ephræm, Isidorum Pelusiotam , Nilum , Theodorum Studitam , Bernardum , &c. adversus Monasticam vivendi puritatem & simplicitatem egisse , aut reprehensione dignos esse , quod multa scripserint . Deo dirigente , qui Regularum dominus atque arbiter est , exemptos illos novimus ; Deique ipsius spiritu ductos fuisse, atque intimæ vocationi obsecundasse credendum est. Hujusmodi exceptiones non impediunt, quominus Regulæ subsistant. Præterea S. Ephræm (ut id obiter dicamus) sola Scripturarum scientia pollebat; Sanctus verò Bernardus si ad Sacrarum Scripturarum intelligentiam , S. Ambrosii , S. Augustini, & S. Gregorii lectionem addidit, id totum fuit circa res, quæ ad ejus statum & professionem pertinebant.

Ex Cœnobitis & Solitariis sunt qui Regularum spiritui , atque Institutorum consilio adversi, ad scribendum, disputandum, atque ad alia extrinseca munera animum adjecerunt ; hos ambigendum non est, ab instituti sui puritate sic agendo discessisse. Sunt etiam qui ex Superiorum jussione legitima , & ex obsequio atque obedientia , de suæ professionis officiis , virtutibus , doctrinis scripserunt; in quo nihil suo instituto alienum fecere. Argumenta, quæ sua nihil intererant, tractarunt alii, de rebus Philosophicis, Theologicis, Mathematicis, de Ecclesiarum statu differentes, quæ sunt Doctorum Presbyterorum , atque Ecclesiasticorum propria ; hos vero quis nescit confinia status sui prætergressos , supra suam sese

con-

conditionem extulisse, & in altiori quam divina de illis Providentia decreverat, sede & statu se collocasse.

Recenset Auctor, ac prædicat *merita, quibus Monachi ab Ecclesia gratiam inierunt, eorum videlicet Scripta & doctrinam.* *Pag. 29. & seq.*

Dicam, Fratres, in hac re quod sentio: Conciones habere, docere, elucubrari, Opera Sanctorum Patrum recognoscere atque emendare, Ecclesiæ Canones colligere, ejusdem Annales perscribere licet & convenit multis. Sed quæ Monachos decent, ista sunt: In Monasteriis vitam agere Dei ordinationi consonam, Institutorum suorum Regulas servare, pro impetranda a Deo Regnorum prosperitate, Rectorum incolumitate, pro Ecclesiæ fide tuenda, pro sustinenda vi atque constantia illorum qui strictis armis cum fidei hostibus pugnant, adhibere orationes, silentium, corporis cruciatus, & jugem cordium suorum ad Dei aras immolationem, hæc facere, hæc pati, instituto eorum convenit, dum Deo fideles se præbent, dum in his omnibus perseverant. Ad solos ista Monachos pertinent; hanc illi a Jesu Christo partem in Ecclesia nacti sunt.

Atque hinc mehercle factum est, ut Diabolus, qui Claustra, donec priscæ sanctitati, & simplicitati adhærere, quasi quosdam aggeres esse putavit suis conatibus objectos, atque inexterminabiles, omnem lapidem moverit, quò inde originariam innocentiam expelleret, & de prospero illo rerum statu, cui cœlestis favor aderat, & in quo Monachi vinci non poterant, Monasteria dejiceret, obliteratis Patrum vestigiis. Qua in re non male illi heu nimium successit; quod collapsæ testantur Scetes, Nitriæ, totius denique Thebaidis Solitudines. Id tunc animo prospexerat Sanctus Abbas Moyses, cum dixit lacrymans, futurum ut Eremus Scetes ideo disturbaretur, quod Regulæ & instituta Patrum deserenda erant. *Rosweid. de vit. Pat.*

Eamdem Diabolus vastitatem intulit Eremis ac Monasteriis Asiæ, Ponti, Cappadociæ, quia ibi desitum est Deo, ut fas erat, fideliter servire, quia mitigationes & laxamenta aucupari cœptum est in ea professione, a qua omnino aliena erant; quia denique a viis antiquorum, novis inventis, turpiter discessum est.

Quandoquidem vero urgemur objectu meritorum quibus Monachi ab Ecclesia gratiam inierunt scribentes multa & docentes; fatendum tandem est, nonnullos quidem in solitudine degentes olim Ecclesiæ sua eruditione & doctrina inservisse; sed innumeros quoque fuisse audacter pronunciandum, qui ei gravissima damna intulere, & profundis vulneribus nondum ad hanc diem coalescentibus, & usque ad mundi exitum cruorem emissuris eam consauciarunt. Quas non movit in Ecclesia turbas Eutyches, quæ dedecora non intulit magna sequacium Monachorum turba stipatus? Quàm illi violenter, quàm audacter conati sunt Incarnationis Filii

Dei

Dei Catholicum Dogma evertere, ejusque propugnatores opprimere? Quæ non excitavit scandala Theodosius in Sedem Hierosolymitanam intrusus? Quid non molitus est Nestorius, ut Virgini gloriosum Deiparæ nomen, ac JESU CHRISTO decus & justam adorationem eriperet? Quas non convicit turbas Severus suis illis impiis erroribus? Quid non crudele gessit Timotheus Ælurus Patrocinator Eutychis & Dioscori in Ecclesia Alexandrina?

Quàm malo exemplo Pelagius & Cœlestius universo Christianorum cœtui fuere, cùm temerario ausu JESU CHRISTI Gratiæ bellum indixere, naturæ humanæ tribuentes, quod Spiritus Sancti operatione fiebat. Quàm propudiosi quàm impii Petri Fullonis & Fausti errores? Quam vana & portentosa Adelphii & Euchitarum, Sergii, Pyrrhi, Sabatii, Henrici, Abbatis Joachimi, Begardorum, Beguinarum & Abailardi commenta? Trithemius Abbas Ordinis S. Benedicti postremis hisce sæculis doctrina clarus, societatem cum Dæmone iniisse postulatus est, & in crimen vocatus quod libros de Magia composuerit. Minime sum nescius, ei non defuisse patronos & Apologistas; dici tamen probabiliter potest, divino ista judicio in ejus caput conjecta crimina, quod præter instituti sui officium ad occultas & curiosas scientias animum adjecisset.

Michael. Casenat. Alphons. de Mela. Denique ut ad nostra tempora propius accedamus, quas non evomuit blasphemias Lutherus adversus Filium Dei, ejusque Ecclesiam? Quanta illius hæreses secuta sunt mala? Hæc pestis ubique fere grassata est, & latissime serpsit. Quàm magnus Cœnobitarum utriusque sexus numerus impia illius Dogmata amplexi sunt? Œcolampadius, Bucerus, Jacobus & Joannes Eremitæ Ordinis S. Augustini, Joannes alter Ordinis Præmonstratensis, *impius Monachus & ad omne opus audax*. *Apud Sreg.* Tempus, quod ut plurimum malis omnibus finem invenit, mala quorum auctor fuit hic Hæresiarcha, in dies magis auxit, amplificavitque. Lugendus rerum status, in quo hodie mundus conspicitur, & latissima penè omnium conspiratio adversus maximum Regem, qui unus pro fidei tutela pugnat summa tum religione, tum animi magnitudine, manifesto argumento testatur, quanto studio Monachus ille Apostata suas falsas & impias opiniones constabilire nisus sit.

Hi sunt videlicet perniciosi effectus, qui a studiis scientiaque Monachorum orti sunt: hanc ruinam subiere eorum ambitiosa ingenia, quæ campum sibi in quo exultare possent dederunt, suæ conditionis oblita: Quæ silentio, humilitati, abiectioni, & obedientiæ pro instituti sui ratione mancipata, aliena ministeria, alienas dignitates sibi in Ecclesia adsciscere temere ausa sunt. Profecto quoties (neque id vereor affirmare) damna, quæ Monachi per scientiæ abusum Ecclesiæ attulerunt, & utilitates, quarum eadem scientia rectè utentes causa esse potuerunt, juxta ponere & invicem comparare libuerit; nemo erit quin fateatur, satius ad Ecclesiæ gloriam, ad quietem & sanctificationem Fidelium futurum fuisse, si

in

in ignoratione hominum, in Claustrorum obscuritate Monachi delituissent; & in perenni silentio sese cohibuissent.

Sancti Fulgentii exemplum, quod toties ob oculos ponitur propter ejus doctrinam atque eloquentiam, nihil probat, ut diximus alias. Vir etenim fuit divinitus electus, ut unus ex celeberrimis Ecclesiæ Pastoribus esset. Neque ullum dubium est, quin ei Deus convenientes huic electioni dotes contulerit; quin hic vir sanctitate longè maximus eas excoluerit assidua S. Scripturæ lectione; & ipsi denique ejus Superiores satius esse duxerint illum ex dispensatione quadam, quæ ad alios non extenditur, studiis Ecclesiasticis admovere, & a communi lege eximere. Vos ipsi scitis, nos quoque ita egisse cum quibusdam Fratribus; neque verò sic contra intimum animi sensum agi a nobis putavimus. Sed eandem viam iniri posse & debere relate ad omnes qui in una Sodalitate vivunt, relatè ad unam quamlibet integram Congregationem, demum relatè ad totum Ordinem, nunquam mihi persuasum fiet.

C A P U T VI.

Studiorum patrocinium quæritur *ex Cœnobiorum Bibliothecis, & veterum Monachorum cura in exarandis libris adhibita.* Pag. 34.

MInime quidem accurata illatio est, quam ducit Auctor ex Bibliothecis Monasteriorum, & ex opera, quam Monachi in exarandis Codicibus ponebant. Omnis librorum cumulus sive grandis, sive exiguus, indiscriminatim Bibliotheca vocabatur, speciosо sane & fallaci titulo, qui fucum facere aliquibus possit. Postquam vero S. Petrus Damiani, relicta Fratribus suis non contemnenda (ut ipse ajebat) Bibliotheca, ut haberent præsidia ad profectum rerum spiritualium fovendum atque augendum, magnum hunc librorum numerum redegit ad utriusque Testamenti Codices, ad Acta Martyrum, ad Expositiones quasdam Sacræ Scripturæ, ad Homilias Patrum, S. Ambrosii, S. Augustini, S. Gregorii, S. Hieronymi, Bedæ, Remigii Antisiodorensis, Amalarii, Haimonis, Paschasii; jam imminuta est aliquatenus species, quam Bibliothecæ nomen ingerere poterat, ne in latiori quam par est significatione sumatur.

Allegatur, *magnam extitisse Bibliothecam in Monasteriis Sancti Pachomii.* Pag. 34.

Fatendum est sane, haud exiguo librorum numero indiguisse S. Pachomium, in cujus Sodalitio centum supra mille Monachi vivebant; quorum unicuique unus saltem Codex tradendus erat. Adhæc in dubium vocari nequit, ut jam dictum supra, eorum Codices aliud nihil fuisse quam Catechismos, Institutiones Christianas, Psalteria,

Novi Testamenti exemplaria, nonnulla Scripturæ Sacræ Volumina; in quibus omnia illorum studia sita erant, prout ex aliquibus Regulæ S. Pachomii locis apparet. Præterea & illud certum est, hujus generis libros subinde in libros alius generis ab eo mutatos, nempe ut in discipulorum suorum manus aliqui traderentur de eorum instituto & professione agentes libri: atque id Codicum summam amplius duorum millium conficere poterat. Hinc autem si arguere velimus, Bibliothecam illis fuisse ex libris scientiarum & omnigenarum disciplinarum conflatam, in errorem ultro laberemur.

Art. 40. & 139.

Profectò si quis animadvertat, S. Benedictum præcipere, ut initio Quadragesimæ sumantur de *bibliotheca* libri, qui in manus tradentur Monachorum, ægrè adducetur ut credat, Bibliothecæ nomine magnam librorum congeriem indicari. Audacter verò & sine erroris metu affirmandum, Bibliothecam, de qua loquitur Sanctus Pater, omninò tenuem & pusillam fuisse, cum ejus Monastica sodalitas tunc velut in cunabulis esset, & inopia rerum omnium laboraret. Hæc satis sunt, ut errorem depellamus illorum, qui Bibliothecæ nomine magni aliquid significari putant. Æque illud competit Bibliothecæ Scorialis, & Vaticanæ, ac illi, quam S. Petrus Damiani suis Fratribus reliquit, è triginta circiter Voluminibus conflatam.

Ratio, quæ ab usu describendi & transcribendi libros desumitur, omnino est rejicienda. Monachi ex opere manuum suarum victum sibi quærebant, scribebantque libros, ut eos divenderent. Eorum multi in transcribendis Codicibus certam & quotidianam operam ponebant. Ecclesiam decreta vulgasse constat, quibus Monachos scribendo operam impendere jubet: hujusmodi vero exercitium publicè omnibus, & privatim Monachis ipsis utile erat, cum lucrum inde facerent ad victum comparandum, & erogandam pauperibus eleemosynam, illos denique ab otio & desidia tunc temporis servabat. Cumque illis sæculis opera amanuensium fieret, quod postea editione typographica factum est, id in publicam utilitatem atque omnium commodum facile vertebat. Hinc porro colligere quis possit, quosdam Monachos exarandorum Codicum artem optime calluisse, minime vero aut doctiores aut sanctiores propterea evasisse: Unum hoc, inquam, colligi inde posset. Hos enim inter Monachos exscriptores & amanuenses, longe plures ceteroquin aderant, qui suorum Manuscriptorum vacua, bonarum æque ac futilium rerum indigesta congerie nonnunquam ad libitum implebant, quemadmodum a tot viris doctis animadversum est, & præsertim ab * Illustri D. Baluzio in egregiis Notis ad Capitularia. Et de his hactenus hoc loco; de eadem enim re alias latius disserendi dabitur nobis occasio.

* *Sciant autem eruditi hunc veterum Monachorum morem fuisse, ut vacantes pagellas implerent interdum malis rebus, plerumque bonis Not. ad Libr. Capitul. p. 1243. & 1244.*

Di-

Dives Bibliotheca a Cassiodoro posita asseritur, *in quam magnum librorum numerum congessit, Operum Sanctorum Patrum, Historicorum Ecclesiasticorum, & Prophanorum, Rectorum, Medicorum, Cosmographorum* &c. Pag. 36. & 37.

Certus sum, Fratres mei, Bibliothecam, qualem conflavit Cassiodorus omni librorum genere refertam, neque a S. Benedicto, neque a S. Bernardo componendam unquam fuisse. Ille se a studio humanarum litterarum vindicaverat, consilio & voluntate, quam sibi Deus injecerat, omnino indignum illud existimans. Hic ex totius vitæ ratione ostendit, se nullam aliam novisse scientiam præter illam JESU CHRISTI crucifixi, quæ sola Sanctos efficit, ad quam addidit ille lectiones, quæ in hunc finem conspirare poterant; uterque longe aberat, ut discipulis suis earum scientiarum, quas ipsi nihili pendebant, amorem & cultum ingererent.

Sed ut de Cassiodoro loquar, fuit ille vir aulicus, ab Aulæ & sæcularis pompæ gremio digressus, ut in secessu vitam ageret. Porro ne discipuli, quos ipse erudiebat, pravas inirent vias, & ne Monachorum, quos ante oculos habebant, dissolutiones sequerentur, opus esse duxit ut illos omni genere lectionum distineret. Oratio, quam fudit Deo, rectitudinem mentis ejus ostendit; at dici potest, illam cum discretione & lumine nondum fuisse conjunctam. S. Petrus Damiani longa experientia atque harum rerum usu magis exercitatus, arctioribus cancellis studia Fratrum suorum circumscripsit. Id enim solum ipsis permisit, quod necessarium arbitrabatur, nolens eos damnis & incommodis obnoxios, quæ multiplex & varia lectio adducere solet.

Prolixa Bibliothecarum series, Lerinensis, Luxoviensis, majoris Monasterii, Montis-Casini, Floriacensis &c. quas Auctor Tractatus enumerat, probat tantummodo, Monachos in scribendi arte fuisse peritissimos atque exercitatissimos. Verum enim verò quibus tandem libris S. Benedictus & S. Bernardus regendi scientiam addidicerunt, iisdem uti debent nostra hac memoria Monachi, ut inde hauriant doctrinam atque usum regendarum animarum. Non infinitis illis quæstionibus, non acerrimis illis studiis, non illa multiplici & nimium late diffusa lectione, sed animo attento ad eloquia Dei scientiam salutis assequentur. Commentationi Verbi Dei addi possunt morales S. Ambrosii & S. Augustini Tractatus, Homiliæ S. Gregorii, ejus Pastorale, Vitæ Sanctorum, atque alia hujuscemodi Opera. Plura his atque ampliora legisse aut studuisse S. Bernardum haudquaquam crediderim.

Falso itaque sic arguitur, Fratres mei: in quodam Cœnobio ingens olim extitit Bibliotheca, ergo ibi studia colebantur. Constat enim esse in Monasteriis Bibliothecas, quibus Monachi nullatenus utuntur. Cujus rei non possum quin aliquod vobis exemplum proferam.

ram. Nostis, Bibliothecam in nostro hoc Trappensi Monasterio esse, in qua licet non magna neque cum magnis Bibliothecis conferenda, satis larga tamen librorum supellex reperitur. Atquí tricenis ad summum exceptis Auctoribus, quos nonnisi de Superioris manu sumitis, aliorum lectione vobis interdictum est, neque iis uti cuiquam vestrum permittitur, nisi gravissimis & extraordinariis de causis. Igitur si forte posthac quis dixerit: Trappenses Cœnobitæ viri extiterunt apprimè scientiis eruditi, in eorum enim Cœnobio dives aderat Bibliotheca; inepta foret & falsa hæc illatio. Interea, Fratres, hoc genere argumentationis in plerisque hujus mundi rebus homines uti translatitium est.

CAPUT VII.

Pag. 32. Asseritur, *Studia ab ipsomet S. Benedicto in suis Monasteriis instituta fuisse; eorumque usum viguisse in antiquissimis Orientis Cœnobiis.*

NOn mediocriter, sat scio, stupebitis Fratres, audita hac propositione; nam patet non esse demonstratum in superioribus (quod affirmat Auctor) primos Cœnobitas, hoc est Orientales Studiis operam dedisse; itemque certum est, Studia non fuisse a S. Benedicto invecta atque instituta.

Illud quidem dubitationem non habet, nosque in progressu Operis demonstrabimus, ne verbum quidem in Regularum Codicibus inveniri, quod Studia innuat, aut unde argui possit, Solitarios Studiorum tanquam regularis cujusdam exercitii rationem habuisse. Præscribunt sane Regulæ Monachis Lectionem: at hæc lectio ad libros Sanctarum Scripturarum, & præsertim Novi Testamenti & Psalmorum referenda est.

S. Benedicti vel ipsa Regula perspicuo firmoque argumento probat, nunquam illi in mentem venisse, ut aliquam Studiorum methodum inter Fratres constabiliret. Nam si hoc illi viro divinitus afflato, & in quo cum sanctitate, prudentia ac Sapientia copulabantur, propositum fuisset, quibus modis res conficienda erat singillatim aperuisset. In his primum sibi locum vindicat tempus: Quoniam vero in regularium exercitationum distributione Studiis ne tantillum quidem temporis tribuit, vel ex hoc patet, ea a Sancto viro inter regulares exercitationes numerata non fuisse. Quì enim voluerit ille, ut ad studia Fratres incumberent, tempus, quod in illis collocandum sit, non assignans?

Fateor, in ejus Regula duarum horarum spatium quotidie, atque trium tempore Quadragesimali, Fratribus ad legendum dari; num quis propterea credat, in animo illi fuisse, ut hoc tempus alia quam piorum librorum lectione transigeretur? an etiam putandum est angustius assignari tempus debuisse iis quos ad virtutis apicem evehere

cupie-

cupiebat, ut Sacras Scripturas & opera Sanctorum Patrum legendo illud impenderent; ex qua scilicet lectione lumen & doctrinam depromerent, & per ea roborati, in via, quam ipse monstraverat, longius proveherentur?

Quod si relate ad tempus Quadragesimale, una hora lectionis spatium adauxit, ideo factum, quod illud tempus pietati præcipue dicatum sit, magis quam reliquum totius anni; & quod voluerit, ut Fratribus commodior opportunitas suppeteret audiendi Deum, qui in libris loquitur unicuique ab Abbate sub hujus sacri curriculi initio tradendis; atque ut documentis piisque doctrinis inibi comprehensis plurimum juvarentur. Nec vero sibi quispiam persuaserit, lectionis tempus alia quam hac de causa ab eo fuisse auctius factum; nempe ut discipulis suis ampliorem materiam & plures vias de Deo cogitandi præberet, eo tempore, quo magis pœnitentem vitam, magisque a rerum strepitu semotam, quam alias, agi decet.

Cujus autem generis libri legendi sint, docuit idem Sanctus Pater, qui ultimo Regulæ suæ capite illos indicavit; & vel eo fatente, cujus Tractatum expendimus, ii libri sunt: Scriptura Sacra, Collationes & Institutiones Cassiani, Vitæ sanctorum Monachorum, Ascetica S. Basilii, & Sanctorum Patrum homiliæ in Sacram Scripturam. Quæ cum ita se habeant, quis denique putet, S. Benedictum Studiorum fundamenta in Monasteriis jecisse, qui ad acquirendas scientias neque satis temporis, nec librorum necessariam supellectilem suppeditat?

Velle dicitur *S. Benedictus, ut in eligendo Abbate pietatis & sapientiæ ratio habeatur.* *Pag. 40.*

Sane verum est, Fratres mei, electionem Abbatis ex virtutis & doctrinæ singulari merito absolvi debere juxta mentem Sancti Patris. Quodnam vero in eo requiratur doctrinæ genus, satis innuit his verbis: *Sapientiæ doctrina*; ex quibus patet hanc ab eo in regula morum, in puritate vitæ, & in Scripturarum divinarum cognitione positam fuisse: *Oportet eum esse doctum lege divina*. Nusquam certius hæc sapientia comparatur quam sanctorum librorum lectione ac meditatione, dummodo cum ea conjungantur humilitas, docibilitas, & sincera voluntas ea solum inquirendi, quæ ad sui aliorumque sanctificationem necessaria sunt. Quod si ad hoc innoxium sanctumque studium accedant Sanctorum Patrum expositiones, omnes numeri implebuntur ejus doctrinæ non modo quam in Regulari Præposito, sed & quam in Episcopo desideramus. Dummodo vero cum hac scientia Superior Monasticus zelum, exemplum, charitatem, & eloquium copulare sciat, satis aptus erit ad Gregem domini ut ut numerosiorem feliciter gubernandum, quin egeat præsidiis earum scientiarum quarum omnimoda necessitas falsò asseritur.

Cap. 64. *Ibid.*

Quod

Quod de Abbate dico, de Prioribus quoque, de Præfectis, atque aliis, quoſcumque in Monaſterio auctoritas aut procurationis officium præſtare ceteris facit, intelligendum eſt. Mihi quidem Sanctus Benedictus, nec modeſtioribus nec ſimplicioribus verbis loqui potuiſſe videtur, cum Superiorum doctrinam definivit, *Vitæ autem merito & Sapientiæ doctrina eligatur*. Quæ verba eatenus extendi non poſſunt, ut putemus propoſitum illi fuiſſe, ut Superiorum ingenia valde exquiſita Sanctorum Patrum lectione, pleniorique intelligentia Canonum, Hiſtoriæ, Conciliorum, & Regularum Eccleſiæ eſſent exercitata.

Cap. 64.

Pag. 41. S. *Benedictus* (inquit Auctor Tractatus) *in Monte Caſinenſi, commorantem circumquaque Infidelium multitudinem prædicatione ad Fidem vocavit, & a S. Gregorio relatum eſt eum aliquot Monachorum ſuorum mittere ſolitum fuiſſe in oppidum quoddam Monti proximum, ut quos ipſe ad Fidem converterat, Exhortationibus confirmarent atque erudirent.*

Non eſt cur valde miremur, a viro apoſtolicis moribus imbuto, Spiritu Dei pleno, felici ingenio a natura prædito, & gratiæ donis roborato, qui denique Scripturarum Sanctarum callentiſſimus erat, rudium populorum corda moveri, intime percelli, & de erroris via deduci, ut in veritatis ſemitam ingrediantur.

Vocatione ordinaria id factum fuiſſe Auctori videtur: At nemo non videt, hoc munus fuiſſe extraordinarium, & a locorum ſtatu ex inſpiratione ſuperna S. Benedictum excitatum fuiſſe, ut prope incolentes populos ad Fidem vocandi provinciam ſuſciperet, ac aliquot ex diſcipulis ſuis mitteret, qui exhortando illos, ad præceptarum virtutum tenax exercitium inflammarent. Ab hoc autem facto concludi nihil poteſt, cum qui ad fidem vocentur Idololatræ, vix nunc obvii ſint; & Eccleſia, cui operarii jam aliunde ſuppetunt, Monachos è ſolitudine abſtrahere, eorumque miniſterio atque opera uti non cogatur.

Pag. 41. *A S. Gregorio, qui id memoriæ prodidit non dicitur* (inquit Auctor) *patratum id fuiſſe peculiari vel extraordinaria vocatione.*

Fateor, id a S. Gregorio non dici; Sed cum ille ne oppoſitum quidem dicat, nullum inde Auctor compendium cauſæ facit; eò magis, quod S. Benedicti Regula non ſolum huic agendi rationi non patrocinatur, ſed etiam plane contrariam inſtituit, dum ſilentium, & ſolitudinem nunquam intermiſſam diſcipulis præcipit. Si voluntas ei fuiſſet, illos prædicationis cauſa a ſilentio & ſolitudine eximendi, ad quæ illos prorſus aſtrinxerat, id indicare non omiſiſſet, & hujus exemptionis articulum Regulæ addidiſſet. Cum verò id prætermiſerit, perſpicuum eſt, conſilium hujuſmodi atque cogitationem ei non fuiſſe: quod ſimplici & nativa inductione mihi videor inferre contra

tra

tra Tractatus Auctorem, cujus inductio coacta prorsus est atque violenta.

Subdit Auctor, *Monachis S. Benedicti facere licere quæcumque ipse fecit, aut in sua Regula non interdixit.*

Falsum est, ac periculi plenum, Fratres mei, hoc axioma. Quædam charismata ac spiritualia officia Ordinum Institutoribus & personæ quam sustinent ita adhæserunt, ut discipulorum conditioni minime conveniant. Quæ illi fecerunt congruenter Regulis a se institutis, nos imitari & sequi debemus. At si quis velit, ut quidquid ab illis gestum est faciamus, pervertit continuò regulas, atque omnia perturbat; Fratres a dependentia atque a simplicitate vitæ deducit, ac eorum Patribus & Magistris pares reddit. Inter ea quæ Institutorum ita sunt propria, ut in eorum personis subsistant, & ea quæ ad Fratres extendi & transferri debent, plurimum semper interfuit. Illi sermocinari, colloqui, sui copiam petentibus facere, cum necessitas postulat, ceteros erudire & possunt & debent. Hujusmodi autem officia & sollicitudines privatis Monachis interdicuntur. Igitur axioma, quod ut certum exploratumque proponitur, adeo non est accuratum, ut eo admisso multa errorum ac turbarum seges oritura sit.

Difficile admodum esse, putat Tractatus Auctor, *invenire Abbatem aut Superiorem, qui ad exhortandos Monachos instruendosque omni tempore sit aptus atque paratus sine ullo scientiarum adminiculo.*

Profecto nisi hanc aptitudinem ex diligenti lectione Scripturæ, quæ scientiæ Sanctorum vere fons est, sibi comparet, iis quoque libris, quos indicavimus in præsidium adscitis, non video quibus præterea modis aptus fiet. Quid? Homiliæ S. Jo: Chrysostomi, licet eloquentissimæ, Instructiones S. Basilii, Enarrationes in Psalmos S. Augustini, ad assecutionem hujus scientiæ non erunt satis? Nunquam id mihi persuasum erit. Clarissimum nostræ memoriæ concionatorem dicere solitum novi, si Enarrationum S. Augustini in Psalmos ii loci in vernaculam linguam verterentur, qui præ aliis vehementes, pietateque & doctrina referti sunt, satis habituros Prædicatores Verbi Dei ad disertam orationem componendam, ad docendum, & quocumque velint trahenda Auditorum corda. Non omnia ingenia, fateor, evadent ad dicendum expedita: at ii, qui aliqua naturali sollertia præditi fuerint, si tempus & operam, quatenus a Regula permittitur, diligenter impendant; si oratione (quod maximum est) ad Deum confugiant, sine quo nec meditari nec dicere utiliter aliquid possunt; nullum dubium est qui sint huic muneri cum fructu & cœlestis favoris afflatu satisfacturi.

Pag. 43. Allegatur, *quòd Eunuchus Reginæ Candacis Philippo Diacono responderit: Quomodo possum intelligere Scripturas, si non aliquis ostenderit mihi?*

Nunquid aliqua horum est societas & justa comparatio? Eunuchi ethnicis commixti, tenuissimis & imperfectissimis notitiis veritatis imbuti; hominis denique in Idololatriæ erroribus nati atque educati, cum viro Christiano Fidei principia edocto, qui animo devote attento Scripturas legit, quique ad eas intelligendas omnia præsidia in promptu habet, seclusis nimium curiosis inquisitionibus?

Nihil opponi valide potest nostræ sententiæ, quam frequens & domestica experientia confirmat. Non adducam extranea exempla, sed vobis, Fratres, æque ac mihi nota. E nostris Fratribus multos, Scripturarum non solum Novi sed etiam Veteris Testamenti intelligentiam lectionis & meditationis studio adeptos esse scimus; ita ut quoties in Collationibus nostris de Scripturis differerent, summa cùm pietate tum etiam perspicuitate id executos admirabundi suspiceremus, & bono exemplo gauderemus. De iis loquor, qui eam litterarum partem tantummodo callebant, quæ Latinæ linguæ rectè interpretandæ sufficit. Quibus denique scientiis & cognitionibus fuisse exercitatos legimus S. Maurum, & S. Placidum, qui omnem doctrinam & consolationem, quibus Fratribus opus erat, solo usu quorumdam Scripturæ verborum præbebant? Sanctus ipse Pater Benedictus, licet maximo ingenio, miraque facultate præditus, eam callebat tantummodo scientiam, quam ex Sacris Scripturis deprompserat, quamve illi Deus contulerat.

Si quod hic ab Auctore Tractatus proponitur verum esset, sequeretur Antonios, Hilariones, Macarios, fere omnes denique Eremi sanctos incolas in omnimoda Scripturarum Sanctarum ignoratione fuisse versatos, hos enim Doctoribus & Magistris usos esse non constat. Verumtamen cum magni hi viri ceu quædam lumina orbi præfulserint, cumque ambigendum non sit, Sanctarum Scripturarum notitiam eos perfecte calluisse, falso asseritur, Verbum Dei intelligi sine Magistro non posse. Fateor, si quis Scripturarum omnes sensus penitius rimari, obscuras quæstiones indagare, genealogias componere, historiæ capita intricatiora dilucidare, litteræ difficultates enodare velit, dux & interpres necessarii erunt. Verum accuratissima hujusmodi Scripturarum notitia Monachis haud convenit; eorum propria tantummodo est, qui scientiam professi sunt. Ne multa; Eloquia Dei non ingeniorum pabulo, sed nutriendis cordibus inservire debent, juxta effatum docti hujus memoriæ viri: Nam sæpe usu venit, eos qui in Scripturis eruditissimi videntur, reipsa illas nescire; qui verò videntur indoctiores, reipsa Scripturarum callentissimos esse.

Nici-

Nititur Auctor probare *ex Regulis S. Aureliani, S. Ferreoli, S. Isidori, & præsertim ex Regula Eremitarum, Monachos scientiarum studiis sese dedisse.* Pag. 44.

Tantum abest, Fratres, ut inde id concludi possit, ut prorsus oppositum ex harum Regularum verbis consequatur. S. Aurelianus in sua Regula hæc habet: *Omnes litteras discant;* quibus verbis studium puerorum elementare proprie significatur, quasi dixerit: *Legere omnes discant.* Cap. 32.

S. Ferreolus idem *litterarum* verbum eodem sensu usurpat, cum ait: *Omnis qui nomen Monachi vult sibi vindicare, litteras ei ignorare non liceat:* & ejusdem Monachi scientiam ita concludit: *Quin etiam totos Psalmos memoriter teneat.* Cap. 11. Ibid.

Nihil quod huc spectet in S. Isidori Regula occurrit, nisi quod libri quotidie Fratribus distribuantur, & liceat unicuique solutionem difficultatum, in quas legendo inciderit, ab Abbate exquirere: *De his autem quæstionibus quæ leguntur, nec forte intelliguntur, unusquisque Fratrum aut in Collatione, aut post vesperam Abbatem interroget.* Obvium autem est credere, his verbis innui quæstiones Sacræ Scripturæ, aut librorum asceticorum. Cap. 9.

Regula Eremitarum, cujus, licet non admodum antiquæ, & in gratiam Ecclesiasticorum magis quam Monachorum compositæ auctoritate præcipue nititur Studiorum Monasticorum Auctor, solam Scripturæ Vet. & Novi Testamenti lectionem injungit: Cum vero ait: *Solitarius debet esse doctor, non qui doceri indigeat;* limitat ejus cognitiones intra Sacram Scripturam, subdens: *Etiam debet esse sapiens & doctor in lege divina.* Et paulo inferius: *ut instructi sint in divinis eloquiis.* Eodem loco dum particulatim explicat, quatenus eorum scientia patere debeat, oportere eos ait, *tractare de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute Continentiæ, de disciplina Justitiæ, scripturas divinas legere, percurrere Canones, exempla Sanctorum imitari.* Non est dicendum, hanc Regulam ad accuratam disciplinæ Ecclesiasticæ & Canonum cognitionem astringere: verba quippe, *Canones percurrere* de levi quadam & perfunctoria notitia intelligenda sunt. Quod etiam si majorem vim haberent illius verba, id totum referendum esset ad tempora, quibus scripsit Grimlaicus, hujus Regulæ consarcinator, non Monachus sed Presbyter, cujus ævo magna dissolutio in Ordinem Monasticum jam irrepserat. Cap. 20.

Ex nullis tamen hujus Regulæ verbis arbitror inferri posse, Grimlaico id fuisse propositum, ut Solitarios ad amplissima scientiarum studia compelleret, cum econtra omnem illorum scientiam, divinarum Scripturarum notitia circumscribere videatur. Et quidem cap. 38. in quo Monachos ad lectionem hortatur, de lectione Scripturæ tantummodo loquitur. Jam videtis, Fratres, nostræ sententiæ has auctoritates non modo contrarias non esse, sed potius patrocinari.

Pag. 44. Adducitur locus S. Gregorii, *qui in Epistola ad quemdam Abbatem conqueritur, eo quod Fratres sub illius regimine constituti nullatenus lectioni vacarent.*

Quod sic conquereretur, non continuò sanctus Pontifex hoc volebat, ut illius Monasterii Fratres scientiarum studia capesserent, aut viri docti & eruditi evaderent: sed jure merito eorum negligentiam reprehendebat; quod non perinde ac debebant, in lectionis exercitium adeo utile, districte præceptum, atque ad propriam sanctificationem conferens, propensi essent. En ejus verba: *In ipsis autem Fratribus Monasterii tui quos video, non invenio eos ad lectionem vacare.* Nemo est quin intelligat, eum de ordinaria & regulari lectione unicè loqui, atque hic de scientiis, studiisque non agi. Auctor ipse, licet imprudens, quoad hoc mecum facit, siquidem, videri, ait, S. Gregorium ejusmodi lectiones ad id solummodo redigere, quod divinas respicit leges, nec aliud lectionis genus ab Ecclesiasticis viris requirere.

Lib. 2. Epist. 3. Indict. 21.

CAPUT VIII.

Pag. 46. Asseritur, *inter causas ruinæ Status Monastici hanc pariter recensendam esse, defectum nempe Studiorum, & amoris litterarum.*

NON ideo, Fratres, in Monasteria irrepsit dissolutio, quod ibi Studiorum cultus defecerit: sed veriùs contra studia illa ampliora inter Monachos constituta sunt, cum mutata in deterius vitæ ratione, Monastica disciplina collabi cœpit. Dum Monachi conditionem suam ritè æstimaverunt, dum in exequendis officiis, quæ sibi Deus mandaverat, fideles se præstiterunt, diligens ac exacta Regulæ observatio in sanctificationem simul & in solatium illis fuit.

Cum verò illos ab Institutorum suorum consilio digressos, & regularis disciplinæ antiquitus traditæ oblitos, tædere cœpit solitudinis, silentii, orationis, sanctarum lectionum, laboris manualis, ceterarumque Regulæ actionum, quibus quotidie exercitati ab otio & desidia, quæ sanctissimas Sodalitates evertunt, retrahebantur; partim quidem illorum communes exercitationes in desuetudinem ire videntes, & spirituali solatio & confidentia cordis, quæ fidelium animarum merces est, nequaquam, tunc roborati, in libros se conjecere, ut vacuum tempus traducerent, & otiosæ vitæ fastidia aliquomodo lenirent: partim verò instrumentis atque præsidiis destituti, quæ pia ordinataque vitæ ratio suppeditat, conati sunt a lectione percipere, quod ab exercitiis & Regulæ observationi-

tionibus jam abolitis percipere non poterant. Ipsa postea Ecclesia, ut omnimodam Monasteriorum ruinam prohiberet, sive ut jam collapsa erigeret, præcepit ut Monachi studiis operam darent. Aliquoties tamen peculiaribus de caufis aliqua etiam decreta sanxit, ut eos in simplicitatem & veritatem suæ professionis quasi postliminio redire cogeret.

Quemadmodum verò diffiteri non possumus, cœpisse Monachos sese studiis dedere paulo post promulgatam S. Benedicti Regulam: ita nemo est quin animadvertat, eos sic agendo ab ejus Regula & spiritu longius discessisse, quoniam nihil in ea reperitur, ut supra demonstravimus, quod ad studia & scientias aliquatenus referri possit.

Sciendum vobis est, Fratres, quælibet Monastica Instituta una eademque via, atque iisdem moribus de primo statu excidisse, & primigeniam sanctitatem amisisse. Monachi a Regulis, quas sibi Institutores reliquerant, sensim sine sensu discesserunt, Patrum exempla & documenta paulatim obliti: ac denique eorum negligentia, quæ initio ut res modica contemnebatur, ruinæ atque infortunii ipsorum causa fuit. Hoc modo ex perfectionis culmine, quo sese extulerant Solitarii Scetes, in profundum dissolutionum atque iniquitatum ruerunt præcipites. Nitriæ, Arsinoes, ac totius Thebaidis Monasteria eamdem vicem passa sunt, quod qui ea incolebant tædio affecti regularis vitæ, cujus exemplum dederant Fundatores, novam & peculiarem vivendi rationem inierint.

Igitur ut certo noverimus, quo tandem modo omnes Ordines maxime conspicui, & quibus in Ecclesia favor cœlestis adesse peculiariter visus est, ita fuimet dissimiles evaserint; unum aliquem illorum seorsim considerare, disciplinam quæ ibi obtinuit examinare, & innovationum causas inquirere sufficiet. Sistamus e. g. in Ordine Cisterciensi, illius vicissitudines, defectus, ruinam considerantes. Patebit jam, in hunc quem videmus miserrimum rerum statum eum non devenisse, quòd in illo studia scientiarum defecerint, sed quòd Fundatorum exemplis, facinoribus, documentis, & regulis sensim obliteratis, horum omnium pertæsi Monachi Cistercienses intra fines ab Institutoribus præfinitos sese continere nesciverint.

Id nobis sit exploratum ex pluribus monumentis, præsertim vero ex Sermone, quem hujus Ordinis Abbas quidam, pietate illustris, habuit olim ad Capitulum Generale. *Noster Ordo*, ait ille, *habuit bonum fundamentum, humilitatis scilicet, & spontaneæ paupertatis: super hoc fundamentum nostri Priores ædificaverunt consimilem structuram, scilicet humiles domos, privata laboris habitacula, tenuissima temporalis vitæ subsidia.* *Abbat Justus Bibl. Cist.*

„ Merito arguimur (pergit sanctus Vir) quod majorum nostro„ rum terminos prætergressi sumus. Quamvis enim morum hone„ statem nondùm abjecerimus, ex quo sustineri adhuc videmur,

„ humilitatem certe reliquimus. Antiquis Domibus quas Patres „ nostri incoluerant, minime contenti, magnificentiores & speciosiores nobis extruimus, cum magnitudine urbium certantes, in „ publicis viis sitas, & juxta compita, quibusvis viatoribus expositas & reseratas.

Patres nostri diverterunt ab urbibus; nos ad urbes sine pudore, detecta fronte revertimur. Curiis regiis & Pontificalibus, negotiis urbanis, & negotiationibus sponte nos immergimus.

Patres nostri ut temporales honores fugerent, modico contenti, ad abdita migraverunt; Nos ambire videmur honores. Nullus enim invenitur nostrum qui si ad Episcopatum eligatur, religioso furto se subducat, ne honoris periculum incurrat ...... Quis ex nobis est qui honorem oblatum sponte abjecerit? Apostolus ait: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit ...... Quare conjungimus Pontificatum cum Monachatu? Quis est hoc tempore qui utrumque valeat simul, & ponere manum suam in ambobus? Et post non multa: *Si ad Monachi officium non pertinet docere; qua ratione sibi usurpat Cathedram Monachus doctrinæ? Contraria contrariis conveniunt: non docere Monacho; docere Episcopo.*

Sed dicetis mihi, quia Regula Beati Benedicti quam professi sumus, non probibet Monachum subire Ecclesiasticum officium: Et ego dico vobis, quia in Regula Beati Benedicti quam professi sumus talia jubentur, quæ nostris temporibus nullus, aut rarissimus conservare potest Episcopus; & tamen ea talia sunt, quæ sine damnatione nullus præterit Monachus.

Hæc abunde sunt, Fratres, ut plane compertum habeatis, magnum hunc Ordinem non ob defectum Studiorum & scientiæ (nisi forte quis de scientia intelligat Sanctorum, quæ propriè est scire Jesum Christum, de qua scientia hic non agitur) de regulari Patrum disciplina multum remisisse; sed hujus maximæ ac generalis perturbationis non aliam fuisse causam, quàm sanctarum & præcipuarum virtutum deperditum usum, nempe humilitatis, simplicitatis, sinceræ in paupertatem, solitudinem & silentium propensionis, ceterarumque omnium virtutum, quæ hujus professionis omnino sunt propriæ: quibus misere neglectis, induerunt se Monachi in affectus & mores sæcularium virorum, vanitatem ac luxum sectantes, honorum cupidi, & dignitatibus Ecclesiasticis inhiantes, curis denique, consuetudinibus, & negotiis, quæ filiis tenebrarum potius quam filiis lucis conveniunt, sese immiscentes.

Quo modo res gesta est in Ordine Cisterciensi, itidem in reliquis omnibus usu venit, ut supra innuimus. Primum agens, quo impellente & excitante omnes istæ Congregationes in relaxationem vergere cœperunt, cupiditas fuit. Hæc illis sanctarum veritatum contemptum ingessit, ad quarum amussim sese componere atque agere debebant; hæc a præcipuis Instituti officiis exequendis illas retra-

retraxit, alienavitque: ac deinceps Monachi morigera vita, quam Patres præceperant, tanquam jugo non ferendo, rejecta, verbo quidem se in libertatem asseruerunt, re autem suarum libidinum servi evasere. Idque factum est, non quod Philosophiæ, Theologiæ, Dogmatum, Conciliorum, Canonum, Historiarum, humaniorum litterarum, & Critices incuriosi fuerint; sed quod Jesum Christum Crucifixum discere ac scire, quæ sola iis erat conveniens scientia, prætermiserint, aut neglexerint.

Rectæ illæ dispositiones (pergit Auctor) *quas Deus per sanctas intellectus illustrationes, piasve voluntatis affectiones nonnunquam nostris cordibus ingerit, variis alterationibus ac vicissitudinibus sunt obnoxiæ; fierique non potest, ut diu quis maneat in cella reclusus, vitamque solitariam penitus degat, nec non silentium servet, orationique vacet, absque ullo studiorum subsidio.* Pag. 46.

Fatendum est, Fratres mei, hæc omnia retineri diutius non posse absque piarum lectionum subsidio; studia verò, ac scientiarum exercitationem iis retinendis conservandisque necessaria non esse. Cujusmodi subsidium quandoquidem ex divinis Scripturis facile comparatur, nec non ex Operibus Sanctorum Patrum, & Sanctorum Monachorum, quæ nos indicavimus, quid est cur aliunde illud emendicemus. An nos Patribus nostris, qui hac lectione contenti fuere, nec nobis ampliorem dedere, sapientiores aut prudentiores sumus? Cur igitur nova nec illis cognita exercitia cudimus? cur iis quæ a nostro instituto prorsus aliena sunt, occupari volumus? cur denique alias, ac ab ipsis monstratas, ingredimur vias? Verba hæc Tertulliani, *Fomenta fidei de Scripturarum interjectione*, quorum sententia est: Fides alitur atque excitatur sacra volumina identidem legendo, numquid ab iis, quæ ego vobis suadeo, diversum aliquid docent, aut veriori illa simpliciorique sensu accipi possunt? Orationem sine hoc subsidio aridam, languidam, & fastidiosam esse, secessum & silentium intolerabilia fieri, prorsus indubium est. Advertite interea, Fratres, subsidium hoc non a scientia, sed a divinis Scripturis desumi. Iterum autem dico, subsidium scientiæ animos dissipat, subsidium Scripturarum colligit & collectos servat, mentemque ad Deum, si forte aberraverit, cito revocat. Tertul. l. 2. ad Uxor.

C 4 Dein-

Pag. 47. Deinde ait: *Libri spirituales & simplicis styli atque argumenti, mediocribus ingeniis abunde sufficiunt; quæ vero perspicaciora sunt, altioris quoque doctrinæ pabulo, graviorique lectione enutriri poscunt.*

Duo ad id reponi possunt, Fratres.; Primum quidem Monachos qui vere sui nominis ac status vim implent, inde dignosci, quod simplicitatem ament, quæ ipsorum est propria virtus, quæve ipsos ab hominibus alius instituti quasi quidam character semper discrevit, ex qua denique in Dæmones hominesque summam potestatem nacti, illis quidem terrori, his admirationi fuere. Hujus ope simplicitatis, quæ dispositio prorsus divina appellari meretur, quòd eam Spiritus Sanctus unice operetur in nobis, Dæmonia ab obsessorum corporibus ejecerunt, animos nimium obfirmatos & rebelles emollierunt, defunctis spiritum, cæcis visum, ægris sanitatem reddiderunt, ferarum denique immanissimarum rabiem domuerunt. Viri hujusmodi adeo simplices, abjecti, & in oculis eorum, qui de rebus humano sensu judicant, parvi; ii sunt, quorum S. Pachomius plena esse sua Monasteria ajebat; Ad illos denique referuntur hæc Christi verba: Matth. 18. v. 3. & 19. v. 14. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Sinite parvulos, & nolite probibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum.*

Dum Monachi hanc virtutem, quam caro & sanguis non novit, in summo, ut par erat, pretio habuerunt, divinitùs protecti, ab omni labe securi, contra omnia quæ vitæ ipsorum sanctitati officere poterant, immobiles atque inconcussi perstitere. Postquam verò illos hujus abjectionis puduit, & unde sua illis felicitas & decor parabatur, inde se ignominiam & dedecus haurire putarunt; Deum illorum, qui se erubuerant, vicissim puduit, & sese illis subtraxit; qui Rom. 1. v. 21. tandem sibi relicti *Evanuerunt in cogitationibus suis:* atque illa Sa- Sap. 13. v. 1. pientis verba in rigoroso litteræ sensu impleri visa sunt: *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Relicta igitur veraci hac scientia, quæ de Christi ore egressa est, eamque ut vivendi regulam sibi amplius non proponentes, heu nimium experti didicere, extra illam aliud nihil esse, quam errores, ineptias, & mendacia.

Monachi conditio, Fratres mei, quod aliàs sæpe inculcavi vobis, Ep. 142. humilis abjectæque vitæ professio est: *Ordo noster*, ait S. Bernardus, *abjectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est, obedientia, pax, gaudium in Spiritu Sancto.* Haud aliam sibi proprii status speciem effinxerunt Sancti; atque in hac sententia, quasi in soliditate petræ S. Benedictus magnum hunc Ordinem, qui præcipuum Ecclesiæ ornamentum fuit, fundavit erexitque; quemadmodum perspicuum redditur argumento duodecim graduum humilitatis, qui totius Regulæ ab eo conscriptæ sunt basis, essentia, & firmamentum.

Præterea (quod erat secundo loco reponendum) haudquaquam percipio, tales ac tantos doctrina & ingenii sublimitate viros reperi-

periri posse, infra quorum dignitatem & doctrinam adeo sit Scripturarum & Sanctorum Patrum, quos indicavimus, lectio, ut inde sibi neque scientia neque consolatio, quibus opus habent, parari possint, quasi jure merito dicturi sint: *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo*, indigna nobis isthæc exercitatio est. Quid enim illustrius, quid sublimius, sive, ut vere magis dicam, quid sanctius, quam quod Basilii, Gregorii, Augustini, aliique Ecclesiæ Patres scripsere? An quæ ex magnorum illorum virorum manibus prodierunt Opera, perinde habenda sunt, ac Tractatus quidam simplices, spirituales & ascetici? Eminet in illis ubique splendide JESU CHRISTI scientia, omnia divinam propemodum eloquentiam referunt, documenta, præcepta, sententiæ, sublimia sunt omnia. Profecto nobis fit suspecta illorum elatio, qui unde sibi in iis legendis satisfaciant non inveniunt; vereri valde subit, ne vanas & inutiles scientias, quæ exercent filios hominum, Sanctæ huic doctrinæ præferant, quæ cibus & deliciæ filiorum Dei est. Abbas Trithemius, quem citat Auctor Tractatus, nostram sententiam confirmat, ubi ait, nihil magis ad gloriam nostri Ordinis contulisse, quam sanctitatem & scientiam Scripturarum: quorum utrumque postquam cessavit, mox Ordinem defecisse: *Hæc ubi neglecta sunt, mox Ordinem ad ima deduxerunt*. Pergit idem Scriptor, & ait, in hoc procelloso ac tempestatibus exposito mari, in quo quaquaversum ex sibillantibus tentationum ventis impetimur, Sacrarum Scripturarum scientiam tanquam unicam & securam ratem nobis inservire; quicumque verò hac uti contempserit, in profundum quamprimum aquarum rapiendum esse.

Num. 21. v. 5. *Pag. 48.* *Trith. Chron. Hirsaug. tom. 1. p. 14.*

Auctor in ea opinione est, *per scientiam Scripturarum intelligi a Trithemio non modo ipsam sacram Paginam, sed & quaslibet notitias, quæ ad perfectam illius perceptionem conducunt*. *Pag. 48.*

Si notitiæ ad Scripturarum intelligentiam utiles, Sanctorum Patrum qui in eas commentati sunt, & aliorum quoque Interpretum lectione circumscriberentur, nihil a ratione absonum diceretur. Sed in hoc, quod Scripturarum scientiam ad penitiores & diffusas notitias Linguarum, Historiæ, & disciplinæ Ecclesiasticæ, Canonum & Conciliorum extendere quis velit, nihil quod veritatis speciem præseferat, inesse mihi videtur: ac tutò affirmari posse arbitror, huic Abbati haudquaquam in animo fuisse, ut scientiam adeo late patentem sub Scripturæ Sacræ nomine complecteretur. Atque ut nulla de illius sententia remaneret dubitatio, satis perspicuis verbis Trithemius eam declaravit. Duo, ait ille, ad gloriam nostri Ordinis multum fecerunt, sanctitas vitæ, & scientia Scripturarum: *hæc ubi neglecta sunt, mox Ordinem ad ima deduxerunt*. Non est hic opus Interprete, & nisi de industria dissimulet,

mulet, cogitur quisque suis velut oculis intueri, quomodo hic Auctor in sanctitatis & divinarum Scripturarum intelligentiæ defectum hujus Ordinis ruinam conferat.

Denique haudquaquam falsi sunt illi, qui propter imminutam in colendis divinarum Litterarum studiis diligentiam florentem Monasteriorum statum inclinasse dixerunt. Nam si juxta Regulæ præscripta iis lectionibus, quæ alendæ pietati, religioni roborandæ, augendoque ferventi regularium observationum amori apprime convenientes & necessariæ sunt, Monachi fideliter addicti mansissent, tam sancti Instituti exercitia in desuetudinem non abiissent, disciplinam & regularitatem retinuissent Claustra, & ne minimam quidem diminutionem aut labem tulissent.

Pag. 47. *Defectum studiorum manualis labor supplere non potest*, inquit Auctor.

Vera esset hæc propositio, Fratres mei, si de divinarum Scripturarum studiis enunciaretur. Profectò enim in horum studiorum locum manualem laborem sufficere, perinde est ac præcipuum Regulæ caput infringere, & S. Benedicti spiritui animoque adversari, a quo sanctæ lectiones institutæ sunt. Legendi exercitium reliquis omnibus anteferri debet; quandoquidem lectio alit mentes, vires addit, robur & salutem animarum sustentat; vitæ demum spiritualis fons & principium est. Interim vero res in tantum mutari non probamus, ut manualis labor tollatur & studia scientiarum ei surrogentur: ex hac videlicet mutatione, quæ certum Regulæ exercitium a S. Benedicto imperatum, ab omnibus Monachorum auctoribus institutum, & tota Monastica traditione confirmatum everteret, non possent non damnosissima mala oriri.

Quod si quis dixerit, Monachos studiis utilius exerceri quàm opere manuali, multum inter duo hæc, Fratres mei, interesse respondebimus. Studia (de regulari piaque lectione hic non loquor) utique exercent Monachos; sed inferunt quoque animæ siccitatem, cor illorum elatione tumidum reddunt, visa & species imprimunt nimium sequaces, quæque media in oratione importuno recursu menti objiciuntur, ita ut oratio a puritate & sinceritate vacet: Quod de Monachis dico, quibus studere ex proprii instituti ratione non convenit.

Econtra manualis labor corpora animosque comprimit, abjicit, mortificat; & ubi quis ei sincero ac pio affectu vacet, inde vires sumit, ut ad Deum sese extollat, & cum illo se conjungat. Ut breviter dicam, Deus homini integro laborem quasi innocentiæ custodem, in peccata verò delapso quasi ejusdem amissæ restitutorem præcepit. Commoda hujusmodi ex scientiarum studiis nequaquam proveniunt; dicique recte potest, propter sciendi cupiditatem peccatum atque ignorantiam Dei in mundum intrasse. Non hæc

dico,

dico, ut scientiam damnem; Deus hunc a me errorem avertat; sed ne ex vestrum animis excidat, quos Deus ad scientiam haudquaquam vocavit, illos in usu ejusdem scientiæ valde circumspectos esse debere, observare in ea modum, nec fines egredi, quos divina illis voluntas præscripsit, juxta Apostoli verba: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, sicut Deus divisit mensuram fidei.* Rom. 12. v. 3.

CAPUT IX.

Sumit Auctor Tractatus probandum, *quod inter varias Ordinis Benedictini Reformationes, diligens semper cura adhibita fuit pro studiorum restauratione.* Pag. 47.

HOc assertum non esse usquequaque verum, in progressu demonstrabimus; interea vero, Fratres mei, & nos, ut sæpe alias, hic fatemur, a nonnullis Reformationibus studia invecta & constituta fuisse. Qua in re illas, non secus ac in aliis permultis a Regula, atque ab Institutoris Patrisque sui consilio discessisse, exploratum habemus. Id me vobis supra Cap. septimo argumentis ineluctabilibus demonstrasse puto, cum rem ipsam oculis subjeci, ostendique, S. Benedictum studia scientiarum pro exercitatione suorum discipulorum propria numquam habuisse, neque ex ullo Regulæ ipsius loco oppositum colligi posse.

In hoc tamen consensus omnium esse debet, celeberrimas Regularium strictiores institutiones, quæ in Ecclesia post S. Benedictum conflatæ fuere, nullam studii scientiarum rationem habuisse. De hoc ne verbum quidem in Regula S. Columbani. Nulla illius mentio in Regula S. Stephani Grandimontensis, quemadmodum neque in Vallisumbrosana, neque in vetustioribus Carthusianorum Statutis, in quibus lectio ad pietatem tantummodo præcipitur.

Congregatio Cluniacensis ab origine constitutionis suæ scientiarum studia neutiquam fundavit, ut liquet ex testimoniis S. Walderici & S. Petri Damiani. In Cisterciensi, quæ sibi eximii illius Institutoris Regulam accurate observandam sumsit, teste S. Bernardo, *Exceptis proinde Cisterciensibus, & qui illorum forte ritu, non tam vivere secundum Regulam, quam ipsam ex integro purè ad litteram tenere curant;* studiorum nulla fit mentio: & prisci Cisterciensium mores, atque antiquissima illorum Statuta nihil præseferunt, ex quo studiorum praxis inferri possit. *L. 3. c. 8. des anciennes Coutumes de Cluni. Tom. 4. Spicil. L. 6. Ep. 5. ad Monach. Cluniac. De præcept. & dispens.*

S. Franciscus Fratres suos studere noluit; atque etiam vetuit, ne quem apud se librum haberent, metuens, ut ipse ait, ne illis aliquando cupido incesseret suggestum conscendendi. *Chro. Fr. Min. l. 2. c. 21. 22. & 23.*

Nullam sive in primis sive in secundis Constitutionibus Canonicorum Regularium S. Victoris, studiorum mentionem factam esse appa-

apparet. In tertiis tamen, cum ita fere comparatum sit, ut cunctæ res quo longius a suis primordiis recedunt, immutentur & in deterius ruant, studia commemorari cœperunt, ac deinceps paulatim invalescere.

Tom. 2. Concil. Gall. pag. 121. Quod citatur ex Epistola Circulari Caroli Magni, eorum quæ hic probanda erant nihil aperte indicat. Illius ætate Monachi eò ignorantiæ devenerant, omniumque adeo litterarum expertes erant, ut ferme nullus linguam latinam intelligeret, aut legere, recteque pronunciare posset. Propterea qui Monasteria adibant, cum bonis exemplis perfundi debuissent, offensionis & doloris causas ibi tantummodo inveniebant, plena ea videntes hominum, qui habitu quem gerebant indigni honorem & cultum Deo debitum persolvere haud poterant. Id nos ex Capitularibus hujus Imperatoris cognoscimus, in quibus Abbates Regulam suam attentè atque accuratè legere verbum e verbo jubentur: Ibid. *Regulam per singula verba discutientes pleniter legant*. Nempe ut plenam illius cognitionem adepti, officia ibi comprehensa explere cum Fratribus suis studeant. At *quomodo* (subjungit) *discutiet*, *quomodo leget*, *quomodo intelliget? Si forsitan oblatus fuerit hujusmodi Codex*, *respondebit illud Isaianum*, *nescio litteras:* hoc est, Latini sermonis ignarus sum, legere nescio. Et ne dubitari possit, hunc esse verborum Imperatoris sensum & scopum, attendenda sunt quæ sequuntur: *Quomodo Apostolum ignorans Regulæ instituta*, *vel ipsam Abecendariam lineam penitus nesciens*, *spiritualem discretionis modum tenebit?* Quid hoc aliud est, nisi quod lingua vernacula dicimus, *ne savoir pas son* A B C. ne elementarias quidem litteras nosse, analphabetum esse?

Origo & causa hujus Decreti omninò videtur fuisse, quòd ex epistolis ad se a quibusdam Monachis scriptis intellexerit Imperator, eos adeo parum in sermone Latio eruditos esse, ut Sacras Scripturas legere, documenta, veritates, sensum, & mysteria earum capere illos non posse judicaret; ac proinde minus idoneos fore crediderit Regulæ servandæ, bonoque conversationis exemplo iis præbendo, qui spiritu Dei ducti, atque ex pietatis instinctu, ad eorum solitudinem sese conferrent.

Ac sane quod Imperator hoc decreto illis apprime commendat, hoc est, ut doceantur Linguam Latinam, quò canere legereque Latinos codices, quin & Latinè loqui, ac latina scripta emendate accuratèque exarare valeant. Cujus rei nulla relatio, nulla convenientia invenitur cum amplissimis ac penitissimis illis scientiarum studiis, quæ intra Monasteria fundari & constitui ab aliquibus vellent: *Optamus enim*, ait, *vos*, *sicut decet Ecclesiæ milites*, *& interiùs devotos*, *& exteriùs doctos*, *castosque bene vivendo*, *& scholasticos bene loquendo; ut quicumque vos propter nomen Domini*, *& sanctæ conversationis nobilitatem ad videndum expetierit*, *sicut de aspectu vestro ædificatur visus*, *ita quoque de sapientia vestra; quam in legendo*, *seu cantan-*

tando perceperit instructus omnipotenti Domino gaudens redeat. Non hoc itaque voluit Imperator, ut Monachi politioribus litterarum studiis erudirentur; sed tantummodo ut latinum sermonem discerent, pro recta ejusdem pronunciatione, & cantu, ac pro lectione cum fructu instituenda, ita ut necessaria illis instrumenta suppeterent capiendi explicandique sensus Sacræ Scripturæ.

Illud profectò certum, exploratumque est, dummodo hoc studium tractetur docili & submisso intellectu, atque a Deo lumen & intelligentia petantur, ipseque rogetur, ut cordium aures reseret, easque purificet, & dignas reddat divino eloquio, verbisque sancto illius Spiritu dictatis, omnes illas dispositiones, quas desideraverunt Sancti, non defuturas: Neque enim umquam audivi credidisse illos aut docuisse, ut contendit Auctor Tractatus pag. 51. Rhetoricæ artem aliquatenus inservire ad Scripturarum captum, quarum non humana est sed prorsus divina eloquentia.

Denique, Fratres mei, sex jam nunc sæcula præteriere, ex quo virtute haud minus quam doctrina illustris vir hæc scriptis tradidit, quæ mire huc faciunt: *Ad Sacræ Scripturæ cognitionem opus est intima compunctione, potius quam profunda investigatione; suspiriis, quam argumentis; crebris gemitibus, quam copiosis argumentationibus; lacrymis quam sententiis, oratione, quam lectione, gratia lacrymarum, quam scientia litterarum; cœlestium potius contemplatione, quam terrestrium occupatione.* Hugo de S. Victor.

Richardus a S. Victore, spiritu Dei repletus, atque eodem zelo flagrans, horum quæ modo attulimus simillima docuit his verbis: *Si ad mysticam divinarum Scripturarum intelligentiam, si ad divinorum judiciorum scientiam erudiri volumus, melius in hoc ipsum orando, quàm investigando proficimus, altiùs devota compunctione, quam profunda perscrutatione illuminamur.* De erud. hom. interior. c. 7.

Quod de Benedicto Anianensi proditur ab Auctore Tractatus, vix aliqua consideratione est dignum. Cum summa esset, dum ille vixit, Ordinis Monastici perturbatio, & pene generalis disciplinæ remissio, magnæ hujus ruinæ quas potuit reliquias collegit sanctus vir, ut quæ collapsa erant reficeret. Verum cum omnia in pristinum statum revocare penes illum non esset, propemodum invitus a priscis consuetudinibus & exercitiis discessit; & loco manualium laborum, quibus primi S. Benedicti discipuli operam dabant, ut corpora subigerent, carnem mortificarent, itemque ut victum sibi compararent; Monachos ad studia compulit Grammaticæ & Orthographiæ, ut libros transcriberent, & Exemplarium numerum augerent, non modo ad privatum ipsorum usum, aut otium & desidiam abigendi causa, sed etiam ad publicam utilitatem, inhærendo Decretis, quæ Imperator nuper ediderat.

Quod attinet ad Congregationem Cluniacensem, quamvis illa magni in Ecclesia nominis, & in summa regularis observantiæ existimatione vigeret; a mente nihilominus S. Benedicti, sensim visa est disce-

discedere, & de Regulæ austeritate in præcipuis Capitibus remittere. Nullibi tamen extat memoriæ proditum, quod ab institutionis ejus origine studiorum praxis aut certa ratio ibi fuerit constituta.

Pag. 34. Animadvertit Auctor, *quod cum Cistercienses multa Cluniacensibus objecerint, nunquam tamen contra studiorum consuetudinem, quæ apud illos vigebat, vel minimum mussitarint; quod indicio est, hanc illos consuetudinem non improbasse.*

Hac animadversione, Fratres mei, nihil conficitur. Neque enim Monachi Cistercienses omnia quæ in ratione vivendi apud Cluniacenses a S. Benedicti Regula discrepabant, singillatim adeo discusserant, ut eorum trutinam nihil penitus effugerit. Et quidem multa sunt, quæ videntur dissimulasse, in quibus recensendus est jejuniorum ritus, qui Cluniaci alius erat a Regulæ decretis, nam solemnibus Festis jejunium ibi cessabat. Nihil oggesserunt circa Abbatis mensam, quæ contra Regulæ ordinationem non amplius una & eadem erat ac Hospitum mensa. Denique S. Bernardus se in illis non reprehendisse innuit, quidquid reprehensione dignum erat, & pauca se obloqui maluisse pace integra, quam multa dicendo turbas & scandala ejere: *Sermonem brevio, præsertim quia utiliora sunt pauca in pace, quam multa cum scandalo.* Etsi ergo S. Bernardi ætate in Congregatione Cluniacensi studia obtinuissent, ex ejus tamen quoad hoc silentio inferri non potest ipsum Cluniacensium studiis suum calculum addidisse.

Bernar. Apo. ad Guill. c. 13.

Sed scientiarum studia in usu apud Monachos Cluniacenses nequaquam fuisse a fundationis initio, evincunt quæ de illis narrat S. Petrus Damiani, qui uno post illorum exortum sæculo vivebat; in eorum enim Observantia prolixas adeo fuisse tradit Sacras Preces, ut vix horæ dimidium longioribus anni diebus superesset familiaribus colloquiis: cujus prolixitatis causam deinceps affert. En Sancti hujus Cardinalis Episcopi Ostiensis verba: *Porrò autem dum tam districtum, tamque frequentem vestræ conversationis usum recolo, non adinventionis humanæ studium, sed sancti Spiritus magisterium inesse perpendo. Nam tanta erat in servandi ordinis continua jugitate prolixitas, tanta præsertim in Ecclesiasticis Officiis protelabatur instantia, ut in ipso Cancri sive Leonis æstu, cum longiores sunt dies, vix per totam diem, unius saltem vacaret horæ dimidium, quo Fratribus in Claustro licuisset miscere colloquium. Hoc autem tam continui laboris exercitium ad hoc est, ut reor, solerti satis ac provida magisterii arte provisum, ut levium atque infirmorum Fratrum fragilitatem reprimat, & delinquendi propemodum occasionem tollat, quatenùs, etiamsi velint, præter cogitationem peccare vix possint.* Libro 3. c.8. Rituum antiquorum Cluniacensium, quos digessit S. Waldericus Monachus Cluniacensis, agitur quidem *de Pueris, & eorum Magistris:* Sed omnia ibi dicta

Lib. 6. Epist. 5. ad Mon. Monach. Cluniac.

con-

convincunt, non ibi his pueris traditas fuisse scientias, sed lectionis tantummodo & cantus rudimentis, rituumque & regularium officiorum præceptis illos exerceri consuevisse. Hic tamen opportunissimus locus erat, in quo de Scientiarum studiis fieret commemoratio.

Proxime sequenti Capite differitur *de custodia Juvenum;* sed ibi quoque de Studiis ne verbum quidem.

Deinceps Capite 10. cui titulus de Præcentore & Armario, leguntur ista: *Armarius nomen obtinuit eò quòd in ejus manu solet esse Bibliotheca, quæ & alio nomine Armarium appellatur;* Sed hic non legimus, Bibliothecam studiis scientiarum inservire, neque a Bibliothecario libros ad studendum distribui. Id solum negotii dabàtur illi, ut notaret præscriberetque quod in Choro erat psallendum, quive ritus servandi. Ea res existimandi copiam præbet, in ea Bibliotheca Ecclesiasticos libros tantummodo fuisse, quos nos appellamus Usuales, nempe Graduale, Antiphonarium, Sacramentarium, Lectionarium, Benedictionarium, Processionale, & aliarum hujusmodi plures Codices. Hinc verò liquidò demonstratur, ingentes Monasteriorum Bibliothecas non esse idoneum argumentum ad asserendam scientiarum in his Monasteriis culturam; Nam Bibliotheca Cluniaci, Monasterii illa ætate celeberrimi, non tenuis quidem & exigua, sed magna & dives procul dubio fuisse credenda est.

CAPUT X.

Cistercienses, inquit Auctor, *redarguere abstinebant Monachos Cluniacenses circa litterarum studia, cum nec ipsi ea proscriberent.* Pag. 51.

MOnachos Cistercienses ab exordio suæ institutionis studiis scientiarum sese addixisse, sine ullo, Fratres mei, fundamento affirmatur. Nempe illi majori cura & sollicitudine Regulæ sibi a Patre traditæ adhærebant, & longe magis cupidi erant instaurandæ veteris disciplinæ, suscitandique, ut ita dicam, Institutoris spiritum, quàm ut credi possit susceptam ab illis fuisse ignotam Patri suo consuetudinem ac praxin. Nova hæc Observantia in simplicitate procedebat, & abjectionis amore, ita ut omnem elationem, & quidquid sibi sæcularem famam & laudem adsciscere poterat, a se omninò prohiberet.

Facile vero est ex iis, quæ nascentis hujus Reformationis inimici novis S. Benedicti discipulis objiciebant, colligere, eorum vitam ita fuisse compositam atque ordinatam, ut vix oblivisci possent, statum suum nihil aliud esse quàm mortificationis atque altissimæ humilitatis professionem, & exercitium. Desides & ambitiosi Monachi, quibus vitæ genus cupiditatibus suis, pravisque moribus quos imbuerant, adeo contrarium, arridere nequaquam poterat, in eorum vitæ ratione ea vituperabant, in quibus apud Deum & apud homi-

homines summa illorum commendatio, omne meritum, atque omne decus proprie residebant. *Quando delectatur Scriptura quempiam sese interficere? Qualis vero Religio est fodere terram, silvam excidere, stercora comportare?* ajebant ignavi illi reprehensores.

Bern. Epist. 1. n. 4.

Sed unde manifestissime patet, Cistercienses Monachos ea lectione fuisse contentos, quæ a Regula præscribitur, & non minus in hac parte, quam in reliquis omnibus Patris sui atque Institutoris præceptis exequendis sedulos ac fideles fuisse; illud est præsertim, quòd in eorum primis Statutis ne verbum quidem occurrat, ex quò, studio illos operam dedisse, inferri possit. Triplex lectionum genus apud illos obtinebat, ut in Regula traditur. Primum quidem illius lectionis erat, quæ in Refectorio absolvebatur, cui inserviebant Bibliorum codices, & nonnullæ Patrum homiliæ. Secundi vero generis lectio Canonicam Completorii horam præcedebat; & ad eam unice referuntur libri a S. Benedicto indicati, puta Sanctorum Patrum Vitæ, & Cassiani Collationes. Lectio tandem, quæ ad tertium genus spectat, statis a Regula temporibus fiebat, & duabus quotidie horis includebatur, per totum anni decursum excepta Quadragesima, qua trium horarum spatium legendo eximebatur. De illo autem Codice legebatur, quem singuli in Capitulo de Præcentoris manu prima Dominica Quadragesimæ coram jubente Superiore accipiebant. Quod in studii censum venire non debet, sed in lectionis asceticæ & spiritualis loco ponendum est. Hariolantur itaque, remque haud probabilem animo sibi fingunt, qui Scientiæ studium inter regularia Cisterciensium Monachorum exercitia numerant. Animadvertendum insuper est, licuisse illis partem aliquam temporis, quæ erat Lectioni dicata, orando transigere.

Id verum esse, ulterius confirmatur amplissimis eorum testimoniis, qui de Cisterciensium vita, dum apud illos adhuc disciplina vigeret, sermonem habuerunt, in quibus Stephanus Tornacensis, Cardinalis Victoriacensis, atque alii complures. Hi enim licet singula, quæ ad eorum vivendi rationem pertinent, persecuti sint, & sibi sumpserint illorum ingenium & mores absolutissima delineatione posteris tradere, de Studiis tamen, sive de eorum scientia nuspiam meminere.

Denique S. Bernardus, qui pluribus scriptorum suorum locis commemorationem illorum habet, inter Fratrum suorum officia studium litterarum recensere passim abstinuit. Ad quosdam Monachos, qui in Cisterciensium Ordinem se receperant, rem illos laude dignam egisse, scribit. Atque illis regularia officia atque exercitationes enumerans, quibus sese adstrinxerant, nulla studiorum mentione facta, hæc habet: *Ordo noster est studere silentio, exerceri jejuniis, vigiliis, orationibus, operi manuum; & super omnia excellentiorem viam tenere, quæ est charitas.*

Ep. 142. n. 1.

Idem

Idem sanctus vir alibi ad rem nostram ait: *Experto crede: aliquid amplius invenies in silvis, quam in libris. Ligna & lapides docebunt te, quod a Magistris audire non possis.* Ep. 106. n. 2.

Ad Thomam de Sancto Audomaro, qui cum relicto sæculo ad Monasterium Clarævallis venire constituisset, propositum tamen exequi cunctabatur, specie absolvendorum, quæ orsus fuerat, studiorum; decipi illum scribit ista obtendentem, quæ promissionis fidem libera-
„ re eum non sinebant. Sed quæso te, ait illi, quod memoriale vir-
„ tutis, quis scientiæ profectus, vel artis fructus, trepidare timore
„ ubi non est timor, & timorem Domini relinquere? Quam salu-
„ brius disceres JESUM, & hunc crucifixum! quam utique scientiam
„ haud facile, nisi qui mundo crucifixus est, apprehendit. Falleris,
„ Fili, falleris, si te putas invenire apud mundi Magistros, quam so-
„ li Christi discipuli, idest mundi contemptores, Dei munere asse-
„ quuntur. *Nec enim hanc lectio docet, sed unctio; non littera, sed* Ep. 108.
„ *spiritus; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini.* n. 2.

„ Sermone 36. in Cantica, postquam dixerat, multa & innume-
„ ra esse, quæ nescire liceat absque diminutione salutis: Quam plu- Serm. 36. in Cant.
„ rimi hominum, subjungit, salvi facti sunt, placentes moribus at- n. 1.
„ que operibus: quantos enumerat Apostolus in Epistola ad He-
„ bræos factos dilectos, non in scientia litterarum, sed in con-
„ scientia pura, & fide non ficta. Omnes placuerunt Deo in vita
„ sua, vitæ meritis non scientiis. Petrus & Andreas, & filii Ze-
„ bedæi, ceterique condiscipuli omnes non de schola Rhetorum,
„ aut Philosophorum assumpti sunt; & nihilominus tamen Salvator
„ per ipsos operatus est salutem in medio terræ. Pergit Sanctus
„ Bernardus, atque ait: Vides quia differentia est scientiarum,
„ quando alia inflans, alia contristans est. Tibi vero, velim sci- Ibid. n. 2.
„ re, quænam harum videatur utilior seu magis necessaria ad salu-
„ tem, illa ne quæ tumet, an quæ dolet? Sed non dubito, quin do-
„ lentem tumenti præferas: *quia sanitatem, quam tumor simulat, dolor postulat.*

Sanctus hic vir Fratrum suorum animis Studii amorem injecisse nullibi observatur. Nunquid tantus Abbas, qui ardenti adeo prudentique Zelo eorum sanctitatis promovendæ flagrabat, qui in tradendis necessariis ad eorum salutem documentis assiduus & diligens per omnia erat; qui summam officii illorum atque omnes circumstantias intime perspexit: Nunquid, inquam, de Studio apud eos loqui omisisset aut oblitus esset, si inter officia Monastica censeri illud judicasset? Evidenter ejus silentio demonstratur, studium ab illo in exercitationibus, quibus Fratres ex instituto occupari debebant, positum numquam fuisse, neque illum existimasse, litterarum studia ad spiritualem profectum quidquam conferre. Studiorum ille nimis pervidebat incommoda & pericula; neque dubitabat, quin Fratres ad respondendum divinæ circa se

voluntati satis præsidii haberent, si statutas a Regula lectiones, extraneis atque alienis cognitionibus procul amandatis, rite persolverent.

Hunc agendi scopum obnixe totus Cisterciensis Ordo tenuit, dum pietas integra, & priscarum consuetudinum vigor substitit. Memoriæ proditum est, Sanctum Stephanum, tertium Cistercii Abbatem ordinaria lectione Sacræ Scripturæ fuisse contentum; ex quo fonte hauserat documenta, quæ Fratribus suis ipse tradebat, omnemque vim sumpserat, qua sibi metipsi opus erat ad rectionis grave onus sustinendum. Post Sacram Scripturam, lectioni quoque Operum S. Basilii incubuisse memoratur.

Introd. ad Annal. Cist. c. 2. Annal. Cisterc. an. 1116. c. 3.

Res consideratione digna legitur in hujus Ordinis Annalibus. Vir quidam genere clarus, Amedeus nomine, qui maximum in Rep. gradum dignitatis obtinebat, cum in Monasterium Bonævallis filiolo comitatus secessisset, puerum hunc suum haud sedula ibi cura erudiri putans, cum Abbate Valentiæ postea Episcopo conquæstus est, a quo id tantummodo reponi sibi audivit: Sophisticam artium doctrinam parvi pendendam viris Religiosis, nec debere tyrunculum Christi mendosis Philosophorum fabulis imbui; quem mundum a sordibus peccatorum, quibus occasione discendi juvenes solent inquinari, Paracliti unctio plus in momento doceret, quam mille Philosophi, mille magistri per multorum annorum curricula docuissent.

Manriq. Annal. Cist. to. 1. p. 129. n. 2.

His auctoritatibus & documentis, ejusdemque notæ aliis quamplurimis quæ afferri possent, certo demonstratur, scientiarum studium priscæ disciplinæ Cisterciensis Ordinis adversari; ac illos, quibus hujusce disciplinæ tenendæ mens erat, scientias nihili fecisse. Objecta hujus Capitis sententiam nostram ne minimum quidem perstringunt; quin potius indicant, idoneas rationes deficere ad eam oppugnandam; quod tam aperte profiteri vel invitus cogor.

Pag. 55. Inquit Auctor: *in Monasteriis Claravallis Monachos extitisse Codicibus exarandis intentos; ac proinde ibi studia floruisse.*

Facile est respondere, Fratres mei, nonnullos Ascetas fuisse, quibus id negotii dabatur, quod illis temporibus necessarium erat, cum in Ordine jam tunc exurgente libri deessent, & quovis pretio comparari deberent. At quales libri? Libri Chorales, & Sacrarum Precum, qui rari adeo tunc erant, ut S. Robertus, qui Cistercii Institutionem auspicatus est, cum ex Abbatia Molismensi, in qua primo vixerat, Breviarinm secum asportasset, quod illud a se enixe reposceretur, restituere postea coactus sit.

Transcribebantur quoque Sacra Biblia, Novum Testamentum, ut apparet ex Codicibus manuscriptis, qui ætatem tulerunt, quique hodie dum in quibusdam Ordinis Monasteriis visuntur; Vitæ Pa-

trum

trum Eremi, Collationes, Institutiones Cassiani, Ascetici S. Basilii libri, S. Jo: Chrysostomi & Sancti Augustini Homiliæ, aliaque hujus notæ scripta, in quibus nihil erat professioni Monasticæ contrarium, & quorum Monachi summopere indigebant, non modo pro magno Ascetarum numero in Clarævallis Monasterio degentium, sed & pro illis, qui inde educti ad novas Fundationes assidue mittebantur.

Epistola Nicolai Emanuensis Sancti Bernardi, quam ille Prioris sui nomine scripserat, nullum auctoritatis pondus habere debet, utpote Monachi, qui animum & mores corruperat, quique dolo malo atque incredibili perfidia Patris sui ac Præceptoris Sancti Bernardi chirographum Signumque ausus mentiri, Prioris sui nomine abuti potuit. Præterea cum extet librorum Catalogus, quos Bibliotheca Præpositi Ecclesiæ Coloniensis, ad quem Nicolai Epistola fuerat scripta, includebat; idoneum hac de re judicium ferre non possumus. *Pag. 56.*

Non video, qnid aliud ex facto P. Vignierii probari possit, nisi quod Codex manuscriptus inventus fuerit, qui in Monasterio Clarævallis fuerat exaratus, sed scire refert quo tempore. Deinde in eo Monasterio quosdam ascetas esse potuisse, quibus illius libri lectio conveniret, non est cur dubitemus.

Permissum fuisse, inquit Auctor, *juveni Principi Othoni, Frisingensi postea Episcopo, in ipsis Cistercienfis Ordinis primordiis ad Universitatem Parisiensem pergere, operam navandi causa nedum humanioribus litteris, verum & Philosophicis ac Theologicis scientiis; atque inde eum illustrem non minus propriis scriptis & Episcopali dignitate, quam generis nobilitate evasisse.* *Pag. 56.*

Nullius est ponderis hoc exemplum; quippe juvenis Principis conditioni, auctoritati & gratiæ Leopoldi ejus Patris, & Domus Austriacæ, iudultum est quod ei denegari non potuit: *Pro parentis Leopoldi, & Austriacæ Domus reverentia, contra morem Parisios missus est.* Sed quæso animadvertite, contra usum, & consuetudinem Ordinis, qui alias hæc nulli concesserat, factum id fuisse. Quin etiam huic agendi contra discipline leges rationi non afflavit divini favoris aura; tantum enim abfuit, ut suis scriptis illustris evaderet, quod Auctor affirmat, ut suæ pietati non minus, si quæ modo illi pietas fuit, quam Monastico amictui, quem in Ordine Cisterciensi gesserat, labem asperserit, favens erroribus Gilberti Porretani, Sancti Bernardi consilium & rationem damnans, atque illum quasi hominem impotentis animi, magnæ credulitatis, & circumveniri facilem traducens. Eo demum ineptæ audaciæ processit, ut eumdem Sanctum Bernardum criminis argueret, quod Grammaticos & Philosophos sæcularibus scientiis innitentes, humanisque ratiuncu- *Ann. Cister. an. 1127.*

lis nimium tribuentes abhorreret. Tandem palinodiam canere morti proximus coactus est, quia scilicet læsa humili reverentia, qua S.Bernardi sanctitatem prosequi debebat, eum verbis contumeliosis perstrinxerat, atque Episcopi illius partes secutus fuerat, cujus opiniones fuerant Catholicis adversæ.

Pag. 57. *Plura* memorat Auctor *Collegia pro Cisterciensi Ordine, Parisiis, Tholosæ, atque alibi fundata.*

Nimium id verum est, Fratres; Quandoquidem vero Fundationis hujusmodi causæ silentio prætereuntur, has ego dissimulare non debeo. *Temporibus etiam sub eisdem*, ait Scriptor celebris, *Cistercienses Monachi ne amplius forent contemptui Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, & Sæcularibus litteratis; præcipue Legistis & Decretis, NOVUM impetrarunt PRIVILEGIUM. Et ad hoc nobiles sibi Parisiis & alibi ubi Scholæ viguerunt, paraverunt mansiones, ut Scholas exercendo in Theologia, Decretis, & Legibus studerent liberius; ne viderentur aliis inferiores. Mundus enim iam in superbiam elatus Religionem Claustralium contemnit, & Religiosos bonis suis contendit spoliare. Et sic propter mundi nequitias rigor Ordinis Monastici in parte est enervatus. Non enim legimus hoc a Regula Beati Benedicti, qui spiritu omnium Sanctorum, teste Sancto Gregorio, dicitur plenus extitisse, aliquatenus emanasse. Quinimo de ipso legimus & cantamus, quod relictis litterarum studiis deserta petere decrevisset.* En vobis quæ scripserit Sancti Benedicti Monachus, sua cum eruditione, tum etiam diligentia & fide passim notus atque illustris. Equidem apparet, in hac illum non fuisse sententia, ut crederet, Sanctum Benedictum studia approbasse, & Academiarum in Ordine fundationes ullum habuisse in ejus Regula, ejusque consilio & ratione firmamentum; cum dicat, non nisi Privilegio impetrato eas constitutas fuisse, quod Juri Communi & veteri consuetudini propterea adversabatur.

Matth. Parif. hist. Anglic. an. 1249. p. 742.

P. Jacobus du Breuil Monachus Sancti Germani a Pratis, de fundatione Collegii Parisiensis Monachorum Sancti Bernardi, loquens, Matthæi Parisiensis auctoritatem adducit, & de suo animadversiones quasdam addit notatu dignissimas. Nos hic ejus verba e gallico in latinum sermonem versa damus: Matthæus Parisiensis (inquit) in libris Historiæ Anglicæ memoriæ prodidit, Cistercienses Monachos (qui pro universo Sancti Bernardi Ordine sumuntur) ætate Henrici III. Regis circa annum 1249. cum ignorantiæ passim arguerentur, NOVUM ab Innocentio IV. Pontifice PRIVILEGIUM impetrasse, quo juxta supplicem eorum libellum Scholas & Collegia in celebrioribus Universitatibus erigere, puta Parisiis & alibi permissum illis fuit, eoque adventare, ibique morari studiorum causa, ut cum liberalibus disciplinis, tum etiam Theologia & Jure Canonico erudirentur, at-

„ que

„ que ut ibi Magistrorum, Baccalaureorum & Doctorum gradus „ acciperent. Qua in re a regulari observantia recesserunt, & San„ cti Benedicti Patris sui exemplo contraria agunt, qui teste San„ cto Gregorio in libro 2. Dialog. cap. 1. *Relictis litterarum studiis deserta petivit*, ab Urbe decedens, quo eum parentes miserant studiis operam daturum; hi vero illius Regulam professi deserta relinquunt; ut ad præcipuarum Civitatum Studia se conferant: *Unde* „ *aliquando evadunt doctiores sed numquam meliores*. Ubi cum Mo„ nasticæ professionis partem nullam implere deprehendantur, non „ solitudinem, non silentium, non abstinentiam a carnibus, non „ denique habitum regularem, vulgo de iis dicitur: *Commixti sunt* „ *inter gentes, & didicerunt opera eorum*. Quod si ad doctoratus „ apicem perveniunt, jam minus pensi habent ad Claustra redire; „ aut eo animo ad illa revertuntur, ut Superioribus obedire am„ plius nolint, sed ut iis resistant, Doctorum allegantes Privile„ gia, quæ proprie vim & summam Monastici status in illis ener„ vant.

Quæ res in S. Ludovici Vita ante aliquot annos scripta luculente confirmatur. „ Integer Auctoris locus in margine citatus videri omnino meretur; nos ab eo hic verbatim referendo, utpote nimis prolixo abstinemus. In idem confluunt etiam mira quædam, quæ in Chronicis Fratrum Minorum narrantur; ex quibus saltem manifestum fit, quid eximii sanctique Viri de Studiis & scientiis relate ad illos, qui non sunt ad ea vocati, olim ubique senserint. Vide omnino loca citata.

Lib. 2. du Theatre des Antiquitez de Paris p. 626. M. de la Chaise to. 2. an. 1255. Lib. 2. c. 23. Chronic. P. Marci Ulyssipon. In Chronic. Cyzicens. apud Altes. l. 1 ascet. c. 14. an. 1254.

Tria hic, Fratres mei, velim vos animadvertere. Primo, quod si Monachi Cistercienses priscam instituti sanctimoniam tenuissent, bonum quoque nomen quod initio sibi comparaverant, diutius tulissent, neque in hominum contemptum incurrissent. Deinde, existimationis & famæ qua digni non erant, desiderium, novis his Studiorum Fundationibus occasionem præbuisse. Unde probatur assertum meum, videlicet Monachos ad scientiarum studia animum non convertisse, nisi per abusum cum pietate deperdita a Patrum Religione degeneres facti sunt. Tertio, hinc maxime falsum videri, quod studiorum præsidio pietas in Monasteriis retineatur, aut restituatur, cum Cisterciensis Ordo introductis Studiis non novum ceperit vigorem, sed in dies magis defecerit; ac tandem disciplinæ Monasticæ depravatio in hoc Ordine tam late diffusa est, ut scandalum & confusio totam Ecclesiam pervaserint.

Pag. 56. *Frustra vero dixeris* (inquit Auctor Tractatus) *quibusdam Monachis, qui jam litteris ingenium exercuerunt, concedi posse, ut libros doctrina & eruditione refertos privatim legant. Parum enim vel nihil refert, privata ne an publica sit hæc lectio, dummodo reipsa peragatur.*

Continuo respondebimus, Fratres mei, maximum inter hæc discrimen intercedere; & vel hinc, quod aliqui sollertiori ingenio præditi studium aliquod privatum instituere sinantur, quasi exceptione quadam regulam confirmari, fierique magis exploratum; scientiarum studium, neque commune neque regulare exercitium Monachorum esse. Quod nos pleno ore semper affirmavimus. Nonnulli enim semper reperti sunt, quos ad ampliores, quam cæteri Fratrum, cognitiones vocavit Deus. Et sicuti falso colligeret quispiam, nos ad jejunium aut manuale opus non adstringi ex S. Benedicti Regula, quod nonnullos non jejunantes, nonnullos etiam non operantes manibus videret: Ita falso argueretur, studium universim ad Monachos pertinere, quod aliqui ex Fratribus ad illud incumberent; æquius enim est judicare, in hoc cum illis dispensari, quin aliquid de Regulæ integritate decedat.

Pag. 57. Objicitur, quod *Abbas Guerricus Ordinis Cisterciensis nonnullos Tractatus scripserit ad exemplum S. Bernardi.*

Nihil inde, Fratres mei, ad protegendam studiorum Monasticorum causam erui potest. Nemo umquam in dubium vocavit, quin liceat Abbati in divinis rebus erudito, aliqua aut scribere aut loqui, quæ a suo non abhorreant instituto, quæque ab aliis nonnisi cum fructu legi possint.

Pag. 58. Memoratur de *S. Stephano tertio Cisterciensium Abbate, quod in emendandis Bibliorum Codicibus studiosam diligentiam adhibuerit.*

Id vero nostræ sententiæ favet; ostenditque, Fratres mei, (quod in superioribus adnotavimus) præcipuum illius studium atque exercitium in divinis Scripturis situm fuisse. Quo studii genere quid convenientius tali & tam pio viro esse poterat?

Pag. 59. Affertur *auctoritas S. Bernardi ex quodam Sermonum illius in Cantica desumpta ubi ait multum abesse, ut scientiarum humanarum studia reprehendat.*

Ea dixit S. Bernardus, quæ dici ab illo fas erat, quæque a me vobis, Fratres, non semel dicta sunt. De inutilitate scientiæ superius disseruerat, utpote quæ nihil conferat ad pietatem; morumque

que sanctimoniam, non doctrinæ meritum a Deo respici dixerat. Ne cui ergo daretur occasio temere credendi, nimium se esse in sugillatione scientiæ, subdit, non hunc sibi animum esse, ut litterarum studia prorsus prohibeat, non enim se ignorare, quantum Ecclesiæ profuerint &c. Sed hæc ab illo in universum dicta ad Monachos non pertinent, nec ad hanc quæstionem quidquam faciunt. Et quamquam suos ille Sermones coram Religiosis sibi subditis recitaret, noverat tamen, illos in quorumlibet aliorum manus perventuros, & nolebat alicui offensionis causam præbere. Nulli magis quam mihi persuasum est, scientiam Monachis non convenire: nihilo tamen setius eum, qui in universum studia reprehenderit, valde erraturum puto.

Quæ de Gilleberto Abbate referuntur, ne minimum quidem difficultatem attingunt. De quibusdam ille Superioribus quæritur, qui ad facile de rebus spiritualibus disserendum comparare se negligebant, ac negotia temporalia impensius quam divinarum Scripturarum studia tractabant, ita ut quibus instructionem debebant inutiles essent. Nos quidem, Fratres, in ea semper sententia fuimus, Sacras Scripturas Solitariorum cibum, consolationem & divitias esse; & quod alibi invenire non possent, tam ad propriam quam ad aliorum sanctificationem, sibi in illis facile suppetere. *Pag. 60.*

Adnotatur etiam, *quod idem Abbas eorum laborem commendavit, qui proprias scriptis cogitationes mandarent, nec non Collationes, in quibus de Scripturarum Sanctarum captu agebatur.* *Pag. 61.*

Hac adnotatione haud quidquam magis quam præcedenti probatur. Nemo est quin fateatur, cum fructu legendi cupidos, eorum quæ legunt, ut altius menti hæreant, quædam quasi Collectanea conficere debere, quæ postea una & altera lectione diligenter recolant, & quorum memoriam jugiter refricent.

Quod de S. Anselmo narratur, meretur magis ut de memoria excidat, quam ut allegetur. Quis umquam probet, Monachum, cui ex Regulæ prescripto Dei judicia jugiter obversari debent, ita ut oculis & facie humi defixis hæreat, & in assidua animi & sensuum custodia vivat, legendis Virgilii carminibus occupari, & Scriptores prophanos evolvere, qui facillime intentionem mentis adeo a Regula commendatam abrumpere atque exturbare possunt, immo & notiones ingerere omnino contrarias illis, quas S. Benedictus discipulis suis conatur injicere. *Exceptis iis*, addit S. Anselmus, *in quibus nonnulla reperiuntur honestati & puritati contraria.* Heu quænam exceptio! In primis enim nihil tam aptum est perturbationes animi, quæ fugiendæ sunt, excitare, quam Virgilii lectio, *Pag. 62.*

cujus Operis summa in turpissimo vilissimoque affectu firmatur ? Deinde nunquid animi vitia, superbia scilicet, vanitas, sævitia, ambitio, philodoxia, pro nihilo reputantur ? Denique Virgilianum Poema cum fabulosa hæroicorum facinorum narratio sit, neque ejus lectio periculo vacet, quomodo est Monacho permittenda?

Ibid. Ac ne ea quidem, quæ de Reformatoribus Monasteriorum Angliæ subduntur, nostram lædunt sententiam. Novas has Reformationes saltem pro majori parte a priscis Regulis longe discessisse, mihi semper est visum. Atque ut sic crederem, illud impulit, quod qui Reformationis provinciam susceperunt, rebus in pristinum Institutionis statum revocandis, propter insuperabiles obices nequiverint pares esse.

Pag. 62. *Monachi Carthusiani a primæva* (inquit Auctor) *sui origine studiis operam dederunt.*

Ut quid illi de studiis senserint, perspicuum fiat, Fratres, consulendus est Guigo, quintus eorum Generalis, qui hujus Sancti Ordinis statuta scripto digessit. Ac sane ille tam modeste & pie de Lectione loquitur, ut facile pateat noluisse eum, ut qui post se futuri erant, ad scientiarum studia animum adiicerent. Quæ ipse ait in Epilogo illius Exhortationis cedro dignæ, atque omnibus solitariam vitam professis præceptionis efficacissimæ loco semper
Stat. c. 80 futuræ, hic ego referam: „ Jam ipsi per vos considerate, quantum „ in solitudine Sancti ac Venerabiles Patres, Paulus, & Antonius, „ Hilarion, Benedictus, & ceteri nobis innumerabiles, mente profecerint; & probabitis suavitates psalmodiarum, studia lectionum, fervores orationum, subtilitates meditationum, excessus „ contemplationum, baptismata lacrymarum, nulla re magis „ quam solitudine posse juvari. Est ne aliquid in his verbis, quod scientiarum studiis faveat ? De mera hic dumtaxat lectione fit sermo.

Stat. c. 28. Alibi idem Guigo ait: *Libros tanquam sempiternum nostrarum animarum cibum cautissime custodiri, & studiosissime volumus fieri; ut quia ore non possumus Dei verbum, manibus prædicemus.* Et in hunc locum legitur in Annalibus Ordinis Carthusianorum anno 1687. impressis hoc modo: *Qui sic de libris loquebantur, & eis scribendis*
Ann. l. 3. cap. 83. Guig. c. 28. Stat. *operam dabant, certe studio sacrarum Litterarum incumbebant, quia ab eis attente legendi erant sacri Codices, ut possent illos transcribere, & transcribendo mente complectebantur quæ ibi continebantur.*

Nihil hic est, unde colligere possis, Carthusianos scientiis studuisse; sed hinc potius arguas, in Sacræ illos Scripturæ lectione unice fuisse versatos, cui Sanctorum Patrum Homilias atque Interpretationes addidisse illos ambigendum non est. In id Auctor Tractatus consentire cogitur, cum ait, „ Guigonem suos discipulos,

„ qua-

„ quatenus eorum professioni convenire videbatur, in Ecclesiasti-„ ca scientia erudiisse. Accuratius tamen juxta Guigonis mentem dixisset, *in sanctarum litterarum intelligentia*, seu in divinarum Scripturarum cognitione, quæ ab Ecclesiastica scientia plurimum differt, nam hæc sine dubio latius patet. Denique Guigonis Instructiones ad Fratres suos, quocumque indigitentur titulo, parum refert; modo constet, eum de studiis aut scientiis nihil illis umquam præcepisse.

Mentionem hic habet Auctor Tractatus *cujusdam Epistolæ Petri Venerabilis, Abbatis Cluniacensis, ex qua colligitur, Guigonem, cui scripta est Epistola, complura Sanctorum Patrum Opera ab eo petiisse in suo Monasterio transcribenda, ut S. Gregorii Nazianzeni, S. Joannis Chrysostomi, S. Ambrosii: Scripta S. Prosperi adversus Cassianum, S. Augustini, & S. Hieronymi Epistolas: Idque argumento esse, Carthusianos non modo Operum Sanctorum Patrum lectionem commendasse, in quibus ad pios mores attinentia exponebantur, verum & ad alios eorumdem libros animum intendisse, quos in Orthodoxæ Fidei, & Ecclesiasticæ Doctrinæ defensionem conscripserant.* Pag. 63.

Quæ vero est hæc illatio, Fratres? Agitur de Generali Ordinis, viro doctissimo & sanctissimo, qui magnam vim scientiæ adeptus fuerat, antequam in solitudinem secederet abdicata Decani dignitate, quam in Ecclesia Gratianopolitana obtinebat. Lucernam hanc de sub modio eductam posuit Deus supra Candelabrum; Quid mirum, si quarumdam ille veritatum notitiam sibi comparare voluerit? Venerabilis Guigo studia, quibus occupabatur, suo statui convenientia, ad se ipsum, non ita vero ad suos Fratres referebat. Quid magis consentaneum & probabile, quam quod docto Superiori cupido incessat cognoscendi, quæ fuerit causa, cur S. Prosper Cassiani fidem, & in rebus Religionis opinionem suspectas haberet, & contra illum scriberet; cum præsertim Cassiani Opera jugiter præ manibus suorum Fratrum esse deberent, utpote quæ veritatem, officia & sanctitatem status Monastici egregie continent? Pag. 63. An inde potest generatim inferri, ut fit, hujusmodi sanctos viros „ in Ordine Carthusiensi ad libros animum intendisse, quos in Or-„ thodoxæ fidei & Ecclesiasticæ doctrinæ defensionem veteres Patres „ conscripserant?

Hoc

Ibid. Hoc caput Auctor concludit, inquiens: *Ab Abbate Guiberto memoriæ proditum, Carthusianos, licet omnimodam paupertatem profiterentur, ditissimas tamen Bibliothecas congessisse.*

Ut huic difficultati occurramus, illud tantummodo firme tenendum est, Fratres, iis temporibus, quibus magna erat librorum penuria, divitem Bibliothecam habitam fuisse, quæ non magnum cæteroquin Exemplarium numerum contineret. Supellex libraria, quæ magnæ Bibliothecæ nomine indigitari digna credebatur, ex nonnullis Bibliorum Codicibus, ex Sanctorum Patrum in divinas Scripturas quibusdam Commentariis, Vitæ Patrum historiis, Sanctorum Monachorum Actis, Asceticis S. Basilii, Cassiani, S. Ephræmi, atque ex omnibus Sanctorum Patrum, quos indicavimus, scriptis, collecta erat. Ne multa; totum hoc Caput, quod hactenus expendimus, nullum satis idoneum argumentum offert ad id, quod Auctori propositum est confirmandum, nempe studia Monachis necessaria esse. Infirma sunt quæ afferuntur Scriptorum testimonia; nec ullum horum est, cui non responderimus. Perspicuum est igitur, atque apud omnes adhuc constabit quod posuimus, ignota fuisse veteribus Monachis, itemque S. Benedicto scientiarum studia; quique illa in hunc Ordinem invexere, ab illius spiritu & Regulæ veritate declinasse. Atque illud enixe contendimus, si in restituendis in Asceteria Monastica priscis institutis & consuetudinibus laboratum fuisset, pulchriora sane exempla & majora præsidia ex Monachorum sanctitate in Ecclesiam redundare potuisse, quam quæ ex eorum doctrina redundarunt, ac rationum in superioribus decem Capitibus contentarum nullam esse, quam solide & perspicue non rejecerimus; denique illos in arena ædificare, qui studia scientiarum apud Monachos constituere nituntur.

CAPUT XI.

Pag. 64. *Ex Academiis, sive Collegiis, quæ omni tempore in Monasteriis S. Benedicti floruere, manifesto probari* Auctor affirmat, *hæc Monasteria in usum studiorum consensisse.*

DUO sunt, Fratres mei, quæ hic respondere in promptu habemus: Unum quidem nos ultro fateri, in quibus Monasteriis pueros, sive etiam adolescentes litterarum ignaros recipiendi usus obtinebat, in iisdem hos alumnos primis elementis instituere, & in ejus linguæ notitia, quæ illis futura erat necessaria, erudiri licuisse. Hujus praxeos exempla in Monasterio S. Pachomi propo-

proposita habemus; quod liquet ex ejus Regula, atque his verbis in- Cap.140.
nuitur, *Litteras discat*.

Alterum vero, si quæ forte Monasteria in Ordine S. Benedicti ab ipsis ejus exordiis extiterint, in quibus scientiarum studia viguerunt, hinc patere, haud longum tempus præteriisse priusquam a Regula discederetur (ut alias meminimus) eaque exercitia sumerentur, quæ neque præscripto neque auctoritate ipsius Regulæ nituntur; Filios denique Parentis sui degeneres, illius spiritum, consilium, exemplum nequaquam sequutos esse.

S. Placidus, de quo fit mentio, studiis parum imbutus fuisse credendus est, si præsertim rudem ac simplicem modum, quo suos discipulos instituebat, animadvertamus; Et S. Maurum nihil amplius doctrinæ retinuisse, affirmari verissime potest. Quæ vero de Studiis Montis Cassini Auctor disputat, in conjectura nituntur, neque tanti sunt, ut nos morari debeant.

Quæcumque tam diffusa eruditione congeruntur, ut Academias litterarum magno numero in Monasteriis constitutas fuisse ostendatur, nihil prorsus conficiunt; sed illud tantummodo testantur, cum eo res devenit, ut fiat a Regula discessio, difficile quæ sunt intermissa revocari. Multa habet Studium litterarum incitamenta; ingenium scientia blande alitur, ac sustinetur; nomen & existimatio litterario profectu acquiruntur, & habet vir litteratus quo se supra cæteros evehat. Quandoquidem vero Monachi aliquam vitæ inire rationem debuerunt, ne otium & desidiam cum omnium offensione profiterentur; cumque hæc esset illorum optio, utrum manuum laborem, an studia consectarentur, non diu illi animi pependere; sed studia injucundo labori præferentes, officium, quod cum humilitate, abjectione, incommodo, corporisque & animi mortificatione conjungitur, omnino a se prohibuerunt.

Inutile prorsus fuit quidquid S. Benedictus in manualis laboris commendationem Discipulis suis olim inculcaverat, Apostolorum & Sanctorum Patrum, qui ante se fuerant, exemplo auctoritatem illi conciliens, atque illum Monasticæ professioni apprime convenientem perspicuis hisce verbis declarans: *Tunc vere Monachi sunt, si labore* Reg.c.48
manuum suarum vivant, sicut & Patres nostri & Apostoli. Sanctus hic vir conficere id non potuit, ut apud illos in pretio esset, quod magni æstimari ab illis cupiebat; ipsi vero quoquo modo invenire rationes voluerunt, quarum obtentu primitivum laboris usum, quo innumera Solitariorum multitudo sanctificata est, prorsus abolerent, diversum ab hoc exercitium substituentes, propter quod multi illud amplexi periere, & cujus specie atque occasione innumeri alii alienas a suo instituto vias ingressi proprij status summam reliquerunt.

Humilitas cum eruditione conjuncta raro in iis invenitur, qui vitam Solitariam professi sunt, eo quod ad scientias divinitus voca-

vocati non fuerint. Quod si pauci illi, quibus Deus extraordinario munere largitus est, ut utramque apud se custodirent, de rei difficultate pronunciare vellent, rem ipsam in se, non quatenus ad ipsos refertur, pensitantes; in eandem, sat scio, venirent ipsi sententiam, quam nos propugnamus.

Pag. 66. Mentio habetur in hoc Capite *plurium Fundationum & Academiarum, quæ octavo & nono Sæculo ad decimum usque in Germania, Anglia, & Galliis floruerunt.*

Si disputandi modum, quo hic utitur Auctor, advertas, tantum non videtur Ecclesiæ gloria in harum Academiarum institutione sita fuisse, perinde ac si inde ad eam novum ornamentum, novus splendor, nova denique & major sanctitas accesserint. Interea constat numquam fœdiorem corruptioremque Monasticum Ordinem fuisse, quam illa ætate, quæ insignes hasce ac florentes Academias protulit. Id vero in posterioribus data opera demonstrabimus, obiter hic adnotantes, has Fundationes inde ortum habuisse, quod Monachi Manuali Opere prorsus rejecto, necessarium esse arbitrati sunt, vacuum ab illo tempus Studiis implere, ne scilicet ex inertia & socordia, in quibus erant demersi, ad turpes disciplinæ depravationes, sæcularesque dissolutiones excurrerent, quas semper otia peperere. Atque ita quod ad conciliandum Ordini Monastico laudem & existimationem profertur, & in cœlum laudibus extollitur, si proprie loqui velimus, idipsum nihil aliud est, quam infidelitatis & relaxationis Monachorum nimis heu! perenne monimentum.

Pag. 65. Laudatur Marcus S. Benedicti, ut ajunt, discipulus, eo quod carmina scripserit. Quam parum, Fratres mei, laus ista Monachum decet! Certus sum, non hanc illi scientiam a S. Benedicto fuisse testamento legatam, nec exemplo traditam; omnino enim alienum est a Solitarii statu Poetam se profiteri.

Pag. 67. Inter magnos viros, qui illa ætate in Ecclesia excelluerunt, Lupus Ferrariensis Abbas numeratur. Hunc Abbatem litterarum amor, fateor, summopere commendabat; ejusque Epistolæ adhuc testantur, Ep. 103. quam impense acquirendis prophanis scientiis studuerit. Rogat alicubi Pontificem Benedictum III. ut *Tullium de Oratore* ad se mittat: nempe ista a Pontifice Monachus petit! An ita se ille exercere cupiebat, ut Declamator fieret? Sed ab eo etiam petit duodecim Quintiliani libros, & Donati commentarium in Terentium. Quantavis iste Monachus celebritate inclaruerit, magno sane otio abundabat, ut tempus in hisce studiis insumeret. Nonne vero satius facturus fuisset, si in claustri recessu propria & mundi peccata flevisset, ac suos ferreo illo sæculo Fratres consolidasset, & indita cordis confidentia opportune solatus esset?

A Re-

A Regimberto Sallustii de bello Catilinario, & de Jugurthino historias ab Abbate Marcuado Svetonii de Vita Cæsarum commentarios postulat. Colligitur ex Epistola 69. missas ad illum fuisse Epistolas Ciceronis, quas cum quodam exemplari, quod habebat præ manibus, conferre statuerat. Epistola 34. nihil aliud fere continet præter dissertationem grammaticam circa quasdam difficultates, quas misselli quique humanarum litterarum tyronnes facillime extricare valeant; Quintæ quoque ac sextæ simile est argumentum. Alibi ab Osmaro Turonensi Archiepiscopo Boethii Commentarium in Ciceronis Topica enixe flagitat. Ep. 104. Ep. 91. Ep. 16.

Adalgardo gratias agit, quod uni suorum Fratrum Macrobii correctioni operam dare permiserit; cum eo disputat etiam de Ciceronis Tusculanis, ac de nonnullis litterularum quæstionibus. In Epistola quinta Ehinardo se excusat, quod Aulum Gellium illi non miserit. Epist. 8.

Juvat animadvertere, horum doctorum Monachorum studia atque exercitia non perinde ac decebat semper pia & seria fuisse. Inter Strabi Monachi Monasterii Fuldensis Opera libri de Arithmetica, & de Dimensionibus reperiuntur. Notkerus Monasterii S. Galli Abbas de Musica & Symphonia; Salomon ejusdem cœnobii Monachus de septem Liberalibus Artibus Tractatus conscripsere. Ruthardus Monachus Fuldensis, vir pietate & doctrina illustris, scribendis de Musica, de Geometria, de Arithmetica libris insudavit, atque alia ad humaniores litteras pertinentia scripta composuit. Michon S. Riquierii Monachus Ænigmatum librum, itemque Florilegium Poetarum concinnavit. Wernbertus Monachus S. Galli unum de Musica, & de Arte Poetica duos libros edidit. Hubaldus Monachus Monasterii Elvonis Opus composuit centum triginta Carminibus comprehensum Calvorum encomiasticum, cujus singulæ voces a littera C incipiebant; librum quoque de Musica elaboravit. Quam inutiles nugæ!

Floribertus Monachus S. Matthiæ prope Trevirorum Civitatem de compositione Musici instrumenti, quod Monochordum appellatur, scripsit; item quinque libros carminum de Trevirorum Excidio. Richerius Monachus Rhemensis Libros concinnavit, quibus Gallorum Historia continebatur. Tres de Musica libri Johanni Monacho S. Albani prope Moguntiam adscribuntur; & de Musica scripsit etiam Herdericus Monachus Hirsaugiensis. Inter Diethelmi Monachi S. Matthiæ Trevirorum Opera de construendi Astrolabii ratione liber extat, item alter de illius usu & utilitate, & de Arte Poetica libri duo reperiuntur. Marquadus S. Willibrordi Epternacensis Monachus Commentaria in Musica Boetii, & de septem Liberalibus Artibus librum confecit. Reinhardo Monacho S. Burkardi apud Herbipolim libri quatuor in Categorias Aristotelis, duo de Musica, unus de Poetica, unus de Monochordo, & de Circuli Quadratura alter, adjudicantur. De Musica scripsit quo-

que

que Hiedmanus S. Dionysii Monachus. Meginradus Monachus Hirsaugiensis Librum de novis Antiquorum inventis, Heribertus Monachus S. Willibrordi Epternacensis de Monochordi mensura, Abbo seu Ebbo Abbas Floriacensis, sive S. Benedicti ad Ligerim librum *de Calculo Victorii*, scripsere. Remigius Monachus Mettochensis commentaria elucubravit in Priscianum & Donatum Grammaticos. Osbertus Monachus Anglus de Musica librum edidit. Bruno Monachus S. Witonis in Archiepiscopatu Coloniensi de septem Liberalibus Artibus Libros septem, & de motu Octavæ Sphæræ Tractatum composuit. Engelbertus Monachus S. Matthiæ apud Treviros, de Musica, de Proportionibus, & de constructione Monochordi totidem libros posteris reliquit.

Liber legitur a Marino S. Maximini ad Treviros Monacho conscriptus, de Regulis Grammaticæ, itemque duo de Arte Poetica. Inter Hermani Sangallensis Monachi Opera extant libri de Musica, de Monochordo, de sex Mundi Ætatibus, de Astronomia Libri tres, de constructione Astrolabii pariter tres, de ejusdem usu & utilitate duo, de Tabulæ solariæ compositione & usu Liber unus, de Horologio Cylindrico item Liber unus, & de alio quodam Horologio unus, plures de Geometria Tractatus, Liber de Mundo & Elementis, Liber de Eclipsibus Solis & Lunæ, Liber de Numerandi ratione, alius de Circuli Quadratura, item alius *de Conflictu Rythmimachiæ*, Liber de Physiognomia, & plura in Aristotelem & Ciceronem Commentaria. Nemo denique ignorat, nostra quoque memoria Monachos inveniri, qui nec admodum graviora, nec religiosiora, nec sanctiora pertractant.

Ex his omnibus patet, Fratres mei, Monachos Studiorum obtentu vanas scientias consectatos fuisse, curiosaque ac inutilia studuisse, quibus cum illorum status dignitate nulla societas nulla ratio intercedit, quæque illos a jugi Dei præsentia, quam caute servare debebant, aliquatenus dimoverunt. Nunquid hoc pacto Regulæ præceptum de Timore Dei ante oculos ponendo facile impleri potest? *Timorem Dei sibi ante oculos semper ponens oblivionem omnino fugiat*. Macrobij, Auli Gellii lectio, multiplex ille & varius eruditionis prophanæ Apparatus, quo tandem modo cum cogitatione mortis & consideratione judiciorum Dei poterunt copulari?

Ben. Reg. c. 7. 1. grad. humil.

Pag. 67. *Academiæ* (inquit Auctor) *perseverarunt, ac jugiter durarunt in Monasteriis, variis tamen vicissitudinibus Ordinisque alterationibus subjectæ.*

Haud sane mollioribus aut prudentioribus verbis harum Academiarum inutilitatem indicare Auctor poterat, quam ajendo, ut facit, illas mutationibus obnoxias fuisse; idest per illas averti non potuisse, quominus Ordo in perniciem & dissolutionem recideret, prout in sequentibus demonstrabimus.

Domi-

Dominus Jolius consulte admodum dixisse adnotatur, *Videri inter primarios fines, quos in sua Institutione intuitus est Sanctus Benedictus, hunc fuisse, Sanctarum nempe Litterarum Studium. Qua in re adamussim veterum Monachorum sequutus est exemplum, quorum potior pars de Sæculo & Mundo in solitudinem se receperat, ut latiorem ibi campum inveniret Christianæ Philosophiæ studio vacandi*. Deinceps mentio habetur *Præceptoris Sancti Joannis Damasceni, cui Præceptori Cosmus nomen, qui intra Claustra Monasticam vitam agens cum humanas scientias didicisset, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Geometriam, Musicam, Astronomiam, ac Theologiam, vehementer dolebat, in Syria se reperisse neminem, quem harum omnium scientiarum participem faceret*. *Pag. 68.*

Duo quæ hinc omnino consequuntur æque certa, ac Auctoris Libri de Studiis Monasticis consilio & scopo adversa, non satis ille animadvertit. Quorum alterum est, Sanctum Benedictum nullum aliud discipulis suis studium constituisse, quam divinarum Scripturarum, atque Operum Sanctorum Patrum, quorum lectio intelligendis Scripturis utilis esse posset: hoc autem expresse in allata auctoritate continetur.

Alterum vero, in idem agendi consilium, atque in eandem sententiam a primordiis vitæ Monasticæ totum Orientem consensisse. Quotquot scilicet fuere in Oriente Monachi, Scripturarum Sanctarum scientia contenti, Litterarum humanarum studiis nequaquam se immiscuere. Cujus rei vel illud est apertissimum testimonium, quod Cosmus, vir ille in humanis litteris impense eruditus, neminem in tota Syria invenerit, a quo audiri aut intelligi, vel cui, quæ ipse sciebat, tradere posset. Et hæc in universum dicta sunto. Neque enim propterea negamus, nonnullos seorsim extitisse, harum scientiarum exquisitissima cognitione imbutos, quas ut plurimum Monachi ignorabant. Nempe hujuscemodi fuisse videtur Solitarius ille, quem Macarius Patriarcha Constantinopolitanus institutioni Gregorii Episcopi Agrigentini præfecit, a quo Gregorius Grammaticam, Rhetoricam, Poeticam, & Philosophiam didicit.

Quod attinet ad Sanctum Johannem Damascenum, omnem ille scientiam, qua plenus fuisse dicitur, a Cosmo discere potuit dum adhuc in Sæculo ageret: At Monasterium ingressus, cujusdam Solitarii disciplinæ traditus fuit, a quo diligendi ac timendi Dei præcepta tantummodo hausit, omnesque scientias, quas extra Monasterium acquisiverat, contemnere, atque oblivisci didicit; a quo denique in illa dumtaxat scientia fuit eruditus, quæ virum in solitudine Deo se mancipare cogitantem decebat. *Vit. S. Damasc.*

CA-

CAPUT XII.

Pag. 70. *Pontifices Studiis in Ordine Cisterciensi constitutis patrocinatos fuisse* ait Tractatus Auctor, *ut ex veteribus ejusdem Ordinis Statutis colligitur; atque ex his unum* allegat *ab his verbis incipiens:* Pro reverentia Domini Papæ & Cardinalium, qui fuerunt studiorum nostrorum præcipui promotores &c.

DEcreta Pontificum circa studiorum fundationem inter Cistercienses tunc prodiere, cum dignitas & fama totius Ordinis imminui, ac in primitivæ pietatis locum regulæ depravationes, dissolutionesque obrepere cœperant. Tantum vero abest ut aliquod huic Ordini emolumentum Studia in eo constituta attulerint, ut exhinc potius creverint ruinæ, & professio scientiarum protegendis fovendisque malis inservierit, prout nos docent historiæ.

Pag. 69. *Neque vero Concilia, aut Pontifices Monachis unquam interdixerunt Studia; quinimo eosdem ad illa sæpe compulere.*

Sane illud verum est, postquam refriguit Monastica Disciplina, ut multoties affirmavimus, atque a veterum Patrum vestigiis Monachi declinavere, Ecclesiam, cum nullam invenerit viam, eos ad priscos fontes reducendi, sistendique præcipitis in deteriora, cursus, nihil ad rem magis putasse, ut illos a turpi desidia, in qua pene demersi erant, divelleret, quam Studiorum apud illos institutionem. Manuum labor, qui quondam potiorem illorum vitæ partem occupare solebat, intolerabili illis oneri tunc erat; nimis illos affligebat solitudinis jugum; silentium, fovendæ inter Solitarios pietati adeo necessarium, ferrea lex illis videbatur; vix intelligebant, hæc duo simul esse posse, vivere ac tacere: Proinde visum, quodammodo necesse esse, ut iis distinendis Studiorum adminiculum concederetur.

Et quidem satius erat, ut lectione, quam ut ludis, crapula, venatione, aliisve id genus dissolutionibus (quæ deficientis disciplinæ luctuosa seges sunt,) Monachi tempus transfigerent. Cetera indubitatum est, Studii exercitationem non nisi ob duritiam cordis eorum iisdem propositam fuisse; & quod impossibile videbatur, eos ad antiquas exercitationes consuetudinesque reducere.

An. 1313. Id causæ unice fuit, cur Generale Viennæ sub Clemente V. Concilium statuerit, ut Monachi intra Monasteria instruerentur, ibique adesset Magister, qui eos primitivas doceret scientias. Benedictus XII. quod Synodus jusserat, sua Decretali confirmavit. Verum

rum enimvero huc faciunt illa Sacræ Paginæ verba: *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis ....ab initio autem non fuit sic:* Nam prisci Patres atque Institutores nihil tale excogitaverant aut præceperant. *Matth. 19. v. 8.*

Fateor, sic se filiis suis Matrem Ecclesiam benignam præbuisse: sed illos dona ejusdem in nullum convertisse usum pariter constat; quandoquidem ab erroribus & dissolutionibus nequaquam resipuerunt; & subsequentibus temporibus depravationes auctæ, non imminutæ fuere, ut Monasteriorum conditio quotidie ex illo tempore projectior passim testatur.

Id nos ex Trithemio discimus, qui quomodo res Ordinis Monastici Sæculo tertiodecimo se haberent exponens, sic ait: *Monachi namque illius temporis neglecta spirituali conversatione, sectabantur carnalia; & spretis ad quæ vocati fuerant, bonis æternis, temporales nimis anxie quærebant honores, & corruptibiles sequebantur voluptates. Viri ab hoc tempore defecerunt in Ordine nostro Docti, defecerunt Sancti, defecerunt Regularis observantiæ zelosi cultores: & jacuit per annos ferme ducentos Benedicti Religio in deformatione continua.* *Trith. Chron. Hirsaug. an. 1231.*

Sed ut ostendam, quod recepi vobis me facturum, nihil esse in Studiis præsidii ad Monachos a relaxationibus & vitæ licentia retrahendos, aut ad prævertendum ne in illas decidant; illud unum adnotare sufficit, iis nempe Ecclesiæ Sæculis, quibus major Cœnobitarum numerus scientias excoluit, corruptiorem, depravatioremque in Monasteriis vivendi rationem, crebriora scandala, majorem perturbationem fuisse. Sæculis octavo, nono, quin & decimo, quando tot docti viri, tot eruditi Scriptores floruerunt, tanta erat morum intra Claustra solutio, quanta nullo prius tempore vel postea fuit; ita ut dici possit omnimodam Monasteriorum ruinam tunc impendisse.

Auctor est Trithemius, magnum hunc Ordinem olim adeo illustrem, ab anno 839. in maximam rerum perturbationem adductum ad extrema descendisse: *Ordo Sancti P. N. Benedicti, per totam Europam ubique quondam potens, gloriosus & venerabilis, ad nihilum pene redactus est; & quantum in numero Cœnobiorum & merito personarum olim crevisse legitur, tantum in utroque nostris temporibus pene quotidie invenitur deficere, & amissis turpiter Cœnobiis, jam cunctis Ordinibus esse miserabilior.* Hactenus Trithemius. Sed quoniam in hasce rerum angustias eum repente devenisse non credimus; neque dici potest, eum Ordinem, qui heri maxime vigebat, in tam diversa facie, luctuosoque statu hodie se conspiciendum dedisse; sensim & per quosdam mutationum atque imminutionum gradus eo deductum esse, certo affirmamus. Si quis ergo dixerit jam ab octavo Sæculo Benedictinorum mores corrumpi cœpisse, ac toto sæculo nono, quin & provecto jam sæculo decimo, in eadem relaxatione perseverasse, a veritate non aberrabit; Arigandus enim Sancti Petri in Galliis Abbas, referente Trithemio, *statum Monasticæ puritatis tam in suo Cœnobio Senonensi,* *Chron. Hirsaug. an. 839. p. 14.*

nonensi, quam in diversis aliis pene collapsum, verbo & exemplo magnifice reformavit. Et ab anno jam 990. ut idem Trithemius auctor est, disciplina Monastica in Cœnobio Fuldensi, aliisque permultis Cœnobiis omnino defecerat: *Cujus tempore Observantia regularis Disciplinæ in Monasterio Fuldensi, quemadmodum & in plerisque aliis multum successive tepuit.*

Ibid. an. 951. p. 94 & 95. Ibid. an. 990. pag. 135.

Porro iis temporibus in nostra Monasteria hujusmodi perturbationes ac perversiones irrepsere, quibus ex continuata Studiorum serie, atque ex indubia traditione, Academias in Ordine semper fuisse, Studiorum consuetudine nunquam intermissa, Scholas floruisse, & præ magno Abbatum ac Monachorum numero, qui doctrina excelluerunt, Ordinem summopere inclaruisse, probare contendit Auctor Tractatus.

Quod ut magis vobis compertum exploratumque fiat, atque ut nulla superfit de hoc ambigendi ratio; ad rem esse putavi, Fratres mei, magnorum horum virorum, de quibus locutus sum, quique iis temporibus floruerunt, Elenchum vobis exhibere.

OCTAVO SÆCULO.

Beda Venerabilis Monachus Anglicus.
Jonas Monachus.
S. Anselmus Monachus & Archiepiscopus Cantuariensis.
S. Joannes Damascenus, & Cosma ejus socius, Monachi.
S. Marcellinus Monachus.
Antonius Melissa Monachus.
Paulus Diaconus Monachus.

NONO SÆCULO.

Luthertus I. *Abbas Hirsaugiensis in Germania.*
Einhardus Abbas Sancti Baronis.
Hildulphus Monachus Hirsaugiensis.
Hetti A. Mediolacensis, & Archiepiscopus Trevirensis.
Hildonius A. Sancti Dionysii Parisiensis.
Theodulphus A. Floriacensis, & Episcopus Aurelianensis.
Haimo Monachus Hirsfeldiensis, & Episcopus Halbertatensis.
Freculphus Monachus, & Episcopus Lexoviensis.
Angelomus Monachus Luxoviensis.
Ansegisus A. Lobiensis, & Archiepiscopus Senonensis.
Ansegisus A. Fontanellæ.
Micho Monachus S. Richarii, alias de Pontigniaco.
Joannes Erigena A. Vercellensis.
Bertrammus Monachus S. Dionysii.

Chri-

Christianus qui, & Truthmarus, Monachus Corbejensis.
Deus-dedit A. Monasterii Cassinensis.
Otfridus Monachus Vuissemburgensis.
Rhabanus A. Fuldensis, & Archiepiscopus Moguntinus.
Strabus Monachus Fuldensis.
Hatto I. qui & Vualdo A. Fuldensis, & Archiepiscopus Mogunt.
Altfridus Monachus Corbejensis, & Episcopus Hilsdesheimensis.
Lupus Servatus A. Ferrariensis.
Vvandelbertus Monachus Prumiensis.
Vvandelbertus Monachus Sancti Galli.
Notkerus A. S. Galli, & Episcopus Leodiensis.
S. Anscharius A. Corbejensis, & I. Archiepiscopus Bremensis.
Salomon Monachus S. Galli, & Episcopus Constantiensis.
Christianus Monachus, & Episcopus Altissiodorensis.
Ericus Monachus Cœnobii Altissiodorensis.
Remigius Monachus, & Episcopus Altissiodorensis.
Pascasius Ratbertus A. Corbejensis.
Regino A. Prumensis.
Richerus Monachus Remensis.
Rupertus Monachus S. Albani prope Moguntiam.
S. Odo Monachus Gigniacensis, & I. Abbas Cluniacensis.
Ambrosius Ansbertus Monachus Lobiensis.
Theodorus Studita Monachus.
Aimonius Monachus Floriacensis.
Aimonius Monachus Sancti Germani a Pratis.
Theophanes Monachus.
Hincmarus Monachus S. Dionysii, & Archiepiscopus Remensis.
S. Ludgerus Monachus.
Ulvardus, qui & Isuardus Monachus.
Anastasius Bibliothecarius A. Romanus.
Smaragdus A. Sancti Michaelis.

DECIMO SÆCULO.

Hildovinus A. Lobiensis, Episcopus Tungrensis sive Leodicensis, & postea Archiepiscopus Mediolanensis.
Rudolphus Monachus Flaviacensis.
Smaragdus Monachus S. Maximini apud Treviros.
Marcquardus Monachus S. Vuillebrordi Epternacensis.
Hadmarus A. Fuldensis.
S. Odo 2. A. Cluniacensis.
Vuindichindus qui, & Vuitichindus Monachus Corbejensis.
Marcus Solitarius.
Frodoardus A. Rhemensis.
S. Majolus 4. Ab. Cluniacensis.
Aimonius ejusdem Cœnobii Monachus.
S. Dunstanus A. & Episcopus Vuintoniensis.
Odericus Monachus, & 2. Archiepiscopus Madeburgensis.
S. Odilo A. Cluniacensis.
Rupertus Monachus Cœnobii SS. Petri & Pauli a Vueissenburg, & Episcopus Spirensis.

Si scientia, ut quispiam putat, nobisque persuadere nititur, magnum afferret momentum ad informandos Monachos, eosque in pietate roborandos, evehendosque ad perfectionem, ad quam divinitus illos vocari nemo dubitat; hisce sæculis, de quibus est sermo, Claustrorum sanctitas reflorescere visa fuisset, ac Monachi antiquum splendorem, priscamque celebritatem recepissent. Sed secus accidit; tunc enim malum ad extremum processit, & iniquitatis, ut ita dicam, consummatio ac plenitudo in Sanctuario visa est. Novas hic rei hujus probationes adducere supervacaneum est. Ordinis Monastici occasum, & impendentem octavo Sæculo ruinam vobis ostendimus ex iis, quæ ex Capitulari Caroli Magni in medium protulimus. Res quo cæperant pede ivisse Sæculo nono ex Concilio Troslejano colligitur, in quod Episcopi convenerant, de Ordinis Monastici non statu, sed lapsu, ut ipsimet testantur, acturi: *De Monasteriorum non statu, sed lapsu quid dicere aut agere debeamus pene incertum.* (An. 909. cap. 3.)

Quod si scire lubet, quomodo in tantam perniciem Monachos Studia projecerint, id ex eo factum putamus, quod qui inter illos magnum litterarum nomen adepti fuerant, ac præ ceteris excellebant, unice earum Studio intenti, a suæ professionis officiis sese immunes reddiderunt, & facile nimis a communi via desriverunt.

Ad

Ad hæc studia Superiores ipsi animum adjicientes, ac tempus in illis insumentes, inutiles facti sunt iis quibus præerant.

Non ignoratis Fratres, ita Superiores debere esse dispositos, ut quatuor præcipue modis suo muneri satisfaciant, nempe sollicitudine, instructione, exemplo, & oratione. Quam porro sollicitudinem custodiendo Gregi contulerint ii Superiores, qui se utilius & præclarius Ecclesiæ prodesse atque servire putabant scribendis libris? Quodnam illi exemplum dederint, qui se æquis de causis a communibus regularibusque officiis eximendos esse judicabant? Quomodo potuerunt subditos suos instructione juvare ii, quibus persuasum erat majus aliquid ab ipsis peragi, Opera in publicum edendo, quæ ire debebant in posteros, quæque continebant graviora atque altiora, quam quæ ad gubernandum exiguum Monachorum numerum aliquid conferre poterant? Denique ex illo ne Superiore utilem & Deo acceptam orationem expectari, qui vitæ suæ tempus Studiis exigit? qui arescenti, vago, minime attento, ac languidiori spiritu ad Deum accedit; quem non puritas, non mentis vigor, non attentio necessaria paratum satis reddunt ad offerendum Deo sacrificium, quod ipsi placere possit? uno verbo qui humilitate caret, omnium præparationum maxime necessaria: fere enim solet elatos reddere scientia, raroque humilitatis virtus in iis reperitur, qui multum Studio tribuunt, nisi ad illud ex instituti sui officio destinentur. Quod de Monachis dici nequit, si quosdam illorum excipias, quos a communi regula Deus eximit, atque a multitudine segregat, eos ad Studia peculiari vocatione compellens.

Dum vero Superiores omnino sunt iis rebus occupati, quos magni momenti esse arbitrantur, quid de illis fiet, qui eorum regimini subsunt? Quid agat Grex sollicitudine Pastoris destitutus, qui nec in ejus oculis, nec sub ejus est manu? Quo tandem recident Monachi sibi metipsis relicti? Alii fabulas lectitant, atque inepta volumina, ex quorum lectione voluptatem, non doctrinam percipiunt, nec unquam sibi utilia in libris meditantur. Alii tædio confecti, ac defatigati cum fastidio legunt, ideo externa evacamenta, & a proprii dignitate instituti dissona exercitia captant, ut quoquo modo recreentur eorum animi, dum omnem consolationis rationem sibi intra ipsa Claustra præreptam vident.

Quam multi nostra hac memoria Monachi inexplebili cupiditate laborant noscendi ea, quæ foris accidunt? Quive legendi quæ velint concessam sibi facultatem prætexentes, vix aliud in manibus habent, quam rerum novarum Ephemeridas, librosque, quibus facta recentia, historiæ, variique Sæcularium casus continentur. Qui res hujusmodi, Studiorum suorum & colloquiorum, quodque magis insolens videri debet, regularium quoque conversationum argumentum faciunt.

Alii quidam omnis generis notitias aucupantes, Studiis immoriuntur, totoque pectore in acquisitionem scientiæ incumbunt: Quæ cum non sit scientia Sanctorum, tantum abest, ut inde meliores evadant, quin imo corrumpi eorum cor, atque obtenebrari rationem sæpius contingat: *Obscuratum est insipiens cor eorum*. Sincero itaque puroque, hoc est, veritatis & justitiæ lumine non collustrati, quasi cœci in omnes Dæmonis laqueos incurrunt, in omne abyssi genus præcipites ruunt. De his loquitur Auctor libri de Imitatione JESU CHRISTI, his verbis: „ Quia vero plures magis student „ scire, quam bene vivere, ideo sæpe errant: & pene nullum vel „ modicum fructum ferunt. Et si tantam adhiberent diligentiam „ ad extirpanda vitia, & virtutes inferendas, sicuti ad movendas „ quæstiones; non fierent tanta mala, & scandala in populo: nec tanta dissolutio in cœnobiis!

Rom. 1. v. 21.

Lib. 1. c. 3.

Denique hodie, Fratres, nulli Monacho studere non licet, nil illos a Studio remoratur; prostant cuique libri. Cur ergo disciplinæ & regularitatis adeo parum vigere intra Claustra cernitur? Cur rara adeo ibi est solida pietas? Cur ibi prisca illa simplicitas vix amplius apparet? Quo prorsus divina illa virtus abiit, propter quam olim mortales homines angelicam induisse naturam pene credebantur? Multa concursatione ac vario tumultu res agitur in Monasteriis; negotia sibi quisque molitur, sua quilibet animo consilia agitat, anxie de illis est sollicitus; eunt, redeunt; sermones conferunt, coitiones faciunt; de variis scientiis sæpe disputant, de utilibus atque ad salutem pertinentibus numquam. Ne multa, sæcularem strepitum, & mundanas curas, a quibus perpetuo expediti esse deberent, excitare in Monasteriis sciunt. Vita illa perfecta, sancta illa pax, quæ præ oculis jugiter esse debent illorum qui in solitudinem se recipiunt, ibi amplius non reperiuntur. In universum hæc dico; rem alioquin cognitam satis habens ad singularia transferre nolim.

Toto hoc Capite, Fratres mei, nihil aliud probat Auctor, nisi quod alias sæpe dixi, quodque hic iterum repetam: Monachos scilicet olim Studiis operam navasse, hodieque etiam magis magisque Studiis innutriri; sed non inde sibi vitæ majorem sanctimoniam comparasse. Quod si quatenus fas illis erat, religiosi fuissent, si ad Regularum præscriptum, & juxta Patrum documenta atque exempla vivere studuissent, sola profecto divinarum Scripturarum meditatione, atque Operum Sanctorum Patrum ad eas planius intelligendas lectione fuissent contenti, atque ita in professionis suæ cognitione, æstimatione atque amore mansissent.

CA-

CAPUT XIII.

Perpenduntur *incommoda, & absurda, quæ in Monasticis scientiarum Studiis occurrere possunt.* Pag. 74.

CUM multis magnisque incommodis scientiarum Studia obnoxia esse diffiteri non possit Auctor Tractatus, multos inveniri ait, qui cum sint indocti, non minus quam docti, superbia efferuntur. Sed in expedito est responsio. Quando enim Monachi in omnimodam ignorantiam se projecere, nullum est, fateor, peccati genus, in quod proni non sint, nec superbiæ magis, quam reliquis vitiis facile cedunt. At si ea tantummodo ignorant, quæ scire non debent, quæ nec ad eorum institutum pertinent, nec ad eorum sanctificationem sunt necessaria, ex hujusmodi ignorantia nihil profecto incommodi aut damni percipiunt. Satis illis est officiorum suorum latitudinem accurate dignoscere, Sacræ Paginæ lectioni vacare, ac Patrum scripta evolvere, quibus instrui, illustrari, ad sanctarum veritatum praxin accendi, & præcipuis suæ professionis institutis optime imbui possunt, quæ hac nostra memoria tanta delevit oblivio, ut nulli unquam nota fuisse videantur: Quæ si Trithemius sub ignorantiæ vocabulo inclusit, eum errasse non dubito; omnis quippe veterum Solitariorum doctrina, omnis eruditio his institutis ac Præceptis terminabatur; illi vero ignorantiæ argui nisi temere non possunt.

Retrahendos esse a Studiis, inquit Auctor, *qui haud recte illis utuntur.* Pag. 75.

Duo in hanc rem animadverti possunt, Fratres. Unum est, scientiæ abusum vix aliquando sentiri, nec in oculos facile incurrere; nam sæpe jam corruptum & lethali saucium plaga cor aliquis habet, antequam adesse malum agnoscat.

Alterum vero est, excitatum iri in Claustris tumultum, quem nulla Superiorum sollicitudo sedare possit. Cum enim magnus sit illorum numerus, qui propter Studia iisdem se alligant criminibus, atque in eadem morum depravatione versantur, Studiorum interdictio ad plures, quam quispiam putet, erit extendenda. Profecto, quidquid contra obtrudas, nihil magis infrequens est, quam humiles deprehendi eos, qui animum ad scientias adjiciunt, ad eas non vocati. Hinc vero non sequitur, ab omnibus scientiam esse fugiendam, quod in superbiam homines adducat, quodque teneatur quilibet Christi fidelis ab impendenti periculo diligenter cavere. Nam periculum hujusmodi eos peculiarius respicit, quos vitæ suæ ratio

Studiis nequaquam destinat; hos quippe Deus non æque protegit ac illos, qui non nisi ex peculiari designatione, propriive Ordinis præcepto in acquirendis scientiis operam ponunt; hi quidem divinæ voluntati obsecundant, illi vero ab eadem devii sunt.

Pag. 66. Locus ex libro Speciminum Moralium, quem Auctor allegat, nostram sententiam verius patrocinatur, quam oppugnat. Scite admodum atque apertis perspicuisque verbis, quatenus huc faciunt, pronunciat libri hujus Scriptor: „ Homo christianus beatiorem se „ credere debet, quod præclaris ingenii dotibus careat, quam quod „ iisdem præditus sit: & si sibi daretur optio, potius eligendum „ sibi esset nihil habere quod sibi in mundo gloriam pariat, quam „ splendidis dotibus nitescere, quæ hominum animos oculosque „ percellant „. Sane hæc apposite omnino se habent ad docendum Monachos, quæ sit Professionis suæ prærogativa, quæve felicitas, cum ipsi ex proprii instituti ratione ad scientias non deputentur. Nam si congruenter huic sententiæ præstat facultatibus ingenii carere, quam iisdem abundare, atque illud præ hoc eligendum est; quid est quod magis Monachum deceat, quam totum in sui status officiis versari, nec conquirendis alienis ornamentis, virtutibusque insudare, quibus facile extollatur, nomenque & existimationem sibi conciliet. Cur ei non succurrat quod toties ante ejus oculos propositum fuit? Nempe *non doctoris, sed plangentis habere se officium*. Cur ultro se objiciat periculis, in quæ non externa, sed ipsa sua voluntate inducitur? Cur de portu, tutaque statione exeat, ut in altum sese committat?

Hieron. adv. Vigil. c. 6. Pergit Auctor, quem allegavimus, & sic ait: „ De se quidem tutius „ est non immisceri negotiis, quibus sustinendis arte & peritia opus „ est. Nonnullos tamen juvat magis, artem & facultatem adipisci, „ ut his muneribus & negotiis sint apti, quam otiosam quadantenus „ vitam agere, quæ cum multis vitiis solet esse conjuncta. „ Sane hoc verum est, satius esse, in acquirendis scientiis tempus exigere, quam in otio & inertia torpere. Sed cum carere possint Monachi scientia, quin adsit periculum ne ad otium devolvantur; neque ea necessaria sit, ut illi huic laqueo eximantur, in quem innumeri cæteroquin incidunt; nihil est cur ad colenda scientiarum Studia impellantur. Nunquid non scientiæ satis Monachus habet, si Scripturas intelligat, quæ doctrinæ ipsis convenientis unicus fons & origo sunt, ut sæpius diximus? De libro illo loquor immensæ profunditatis, in quo axiomata, veritates, præcepta & documenta semper subcrescunt, prout quis illum legit, relegitque, prout illius sensa degustat, & meditatur. Quid? Non illi satis erit ad lectionem Scripturarum illa adjicere, quæ a Patribus scripta fuere, ut Scripturæ facilius intelligerentur? Quid? piissimæ illæ & prudentissimæ regulæ Sancti Basilii, saluberrima S. Ephræmi documenta, Sancti Jo: Chrysostomi homiliæ, Sancti Hieronymi Explanationes, Sancti Augustini Sermones & Enarrationes in Psal-

Psalmos, Sancti Gregorii Moralia; Tot denique libri solida referti pietate, quos divina Providentia Ecclesiæ largita est ad consolationem illorum qui Deo serviunt in spiritu & veritate, idonei non erunt ad docendum & roborandum solitarie viventem; præsertim si spiritualibus exercitiis laborem & manualem occupationem a tota Traditione Monastica commendatam intermisceat? Quid? nisi sit doctus, aut doctor, nisi ut talis evadat omne studium, omnem operam impendat, sibi ille non satisfaciet? Quid miserabilius hac re? quid indignius?

Non est mihi, Fratres, de illis Regularibus sermo, quos adhibere solita est Ecclesia in Ecclesiasticis muneribus; sed de iis tantummodo, qui solitariam vitam professi sunt; ex quibus etiam quosdam excipio, quos Deus particulari providentia ad scientias eorum instituto majores dirigit: Atque in his ego non solum Dei dona, sed & ipsorum personam revereor.

Nihilum facit ad quæstionem locus Epistolæ S. Augustini ad Abbatem Eudoxum, ejusque Monachos; sed potius nostram firmat sententiam. Superiorem & ipsius Fratres monet hortaturque sanctus vir, ut conversationis suæ institutis exercitationibusque enixe adhæreant: unde colligitur mens illi esse, ut ne ullo obtentu ex suæ professionis finibus exeant: hæc vero est certa sententia, & constans præceptio. Ibidem porro illos docet, Ecclesiastica munia non appetere, libenter tamen ea accipere debere, si divinitus ad ea vocentur, vel si ipsorum subsidio indigeat Ecclesia. Cui nos difficultati superius obviam ivimus. Quandocumque Ecclesia vocarit, aut jusserit, parendum erit. Quod si antea comparari nos studio oportere dicas, ut obeundis hisce muneribus apti simus; duo reponam. Unum, ex Sacra Scriptura, librisque Patrum quos innuimus, omnem eruditionem cognitionemque necessariam comparari posse; alterum, Monachos in superbiæ & nimiæ sui confidentiæ vituperationem venire, si in hunc finem lectiones sibi permissas aut imperatas peragant. Pag. 77.

Optimum esse, inquit Auctor, *curiositates*, *concertationes*, *& dissipationem a Claustris penitus ablegari.* Pag. 78.

Equidem fatemur, Fratres, nil hac re melius aut rationi convenientius esse: sed illud quoque constat, nil difficilius, quam id in iis locis obtinere, in quibus Studia constituta sunt. Quod autem hic dico, certum exploratumque esse ex eo demonstratur, quod isthæc moderatio & verecundia nusquam appareat. Prisca illa simplicitas è Claustris evanuit; suam quisque opinionem sibi sumit, mordicus defendendam quoties oppugnatur; contradicenti quilibet irascitur: *Ex altercatione bilis nascitur*, ut ait Tertullianus. Opinionum varietas rixas, æmulationem, acerbitatem, invidiam gignit,

quo

quo quid magis contrarium paci, sanctoque fœderi, quod in domibus Jesu Christo, qui Deus pacis est, consecratis, regnare debet. Æquo itaque jure hoc præceptum Auctoris unice in speculatione positum reputabitur, nec ulla Superiorum auctoritas illud in usum deducere valebit; quod nimium magistra experientia discimus.

Pag. 79. *Posse Monachis argumenta, quæstiones, ac præcipuas difficultates proponi, & sine ulla cavillatione ab ipsis enodari*, affirmat Auctor.

Facile est optare, ut hæc Methodus servetur, sed ut reipsa ad usum trahatur vix est possibile. Prompta nimis ac vivida sunt ingenia, præsertim cum ab opinionum discordia concitantur; & simul, ac machinæ motum impresseris, cohibere amplius non vales. Pronum est admonere, hunc esse debere studiorum finem, proprii scilicet instituti perfectionem, & suorum officiorum executionem: Sed ad propositam metam deducendi homines quæ ratio, quis modus est? dum viæ iniri solitæ ab hac meta potius removent; eaque est natura studiorum, ut in absurda conjiciant recto fini omnino adversa, prout diximus. Uno verbo, postquam de scientiis agi alicubi occæpit, perturbate ac indistincte quilibet loquitur, & quod magis lubet, omnimoda cum libertate pronunciat, eousque ut putet quidem, ingenium ab omni coactione liberum esse, nec ulli subjici oportere, quo ad faciendum in studiis progressum aptum satis, ac perspicax reddatur.

Pag. 80. Exemplum Bedæ, quod allegant, singulare est, nihilque ab eo consequitur. Unus quispiam accuratus & diligens Monachus, qui cum asceticæ disciplinæ observatione studia conjunxit, in medium adducitur ex millibus qui hac diligentia & fidelitate caruerunt, & qui adhuc ea carent; qui se eximunt disciplinæ, quique putant se Deo magis servire studendo, quam si in exequendis communibus regularibusque exercitiis officiisque assidui, & diligentes essent.

Pag. 79. *Studia Monachorum ad extremam usque vitæ periodum non protrahi*, inquit Tractatus Auctor, *sed certo denique tempore absolvi; studiis vero absolutis, in solitudine, silentio, Scripturarum & Patrum lectione, illorum fructus a Monachis colligi posse.*

Nihil impedit, quominus id contingat in illis, qui ad scientiarum studia a Deo vocati, Dei ipsius præsidio sustinentur, cum hi ad studia colenda solo divini Spiritus impulsu, atque ut divinæ voluntati obsecundarent, animum induxerint. In aliis vero, hoc est in plerisque Monachorum id nunquam videre contigit, nec

nec posthac videbitur; quoniam illis proposita studia vix aliud sunt, quam indulgendi genio, remittendique ac distrahendi ab intentione rectæ cogitationis animum occasio multiplex: Studere autem hoc pacto est cordi noxium semen immittere, unde exurgent dispositiones plane contrariæ iis fructibus ac bonis, quæ a studiis profectura creduntur, quæque unice parit lectio pura, simplex & sancta, cujusmodi debere esse solitariorum lectionem toties duximus.

Locus adducitur ex libro, cui titulus est de Oratione continua, in quo hæc insunt: *Veteres Christianos non studio aut scientia, sed labore & oratione eruditionem pietatis fuisse consecutos: mentis illorum lumen prius & abundantius nostro fuisse, quod illud ex Evangelii usu practico haurirent; delectationi illis fuisse non docere, sed audire; non imperare, sed parere; non huc illuc discursare, aut nihil agere, sed solitarios domi vivere. Eorum Theologia in vitæ simplicitate, non in sermonibus studiose elaboratis sita erat.* Pag. 81.

Hæc prorsus vitæ ratio est, quam Solitarii sequi debent; paucis his verbis affabre pingitur hujus sanctæ professionis veritas ac simplicitas, & perspicue ostenditur, omnes illas scientias, sublimesque & diffusas cognitiones illi esse interdictas, utpote quæ illius puritatem infuscare valent, omnemque ab illa pulchritudinem, omne decus tollere, quod Institutorum & Patrum divinitus sibi datorum manu accepit. In hanc rem succurrunt animo quæ scripsit S. Jo: Chrysostomus de iis loquens qui cum Sanctos laudibus ornent, non perinde agunt ac Sancti: „ Vel eorum quos „ laudatis imitatores estote; vel laudare definite quos imitari non „ delectat „. Eadem & ego ratione dicam: Præcepta & veritates quas approbas, in usu habeto; vel si ea quæ probas factitare non vis, ne probes quidem. Ut breviter dicam, auctoritas hic allata sententiam, quæ studiis patrocinatur, perspicue omnino ac evidenter damnat.

Non eo inficias (inquit Auctor) *si semper nobis præessent Superiores pietatis zelo non minus quam doctrina fulgentes non admodum sane necessarium esset subditos Monachos tam serio ad studia incumbere; sed hoc opus hic labor; non enim infrequens est parum idoneos Superiores inveniri: Studiis ergo carere non possumus, alioquin fiet ut sæpe integra Monachorum Sodalitas in omnimoda inscitia demersa jaceat, ideoque omnia ibi inordinate agantur.* Pag. 82. & 83.

Bifariam ad id respondebimus, Fratres. Et primo quidem dum Monasticæ Congregationes a sui Instituti veritate minime discedent;

dent, dum eum retinebunt disciplinæ vigorem, in quo Institutionis initio fuere; dum omnes illæ virtutes, quæ circa ipsarum exordia splendescere visæ sunt, denuo apud se nasci conspicientur; dum vitæ ratio quam servabunt, testatum apud omnes faciet, Deum unice illis esse propositum, nec præter eum quidquam ante oculos versari, certatim & magno concursu ad eas venient externi homines, ut olim. Nec vero est ambigendum, inter eos qui tutos recessus quærunt, haud paucos futuros eruditione & doctrina præstantes, qui studiis jam peractis scientias in numerato habuerint, quod nos ipsa experientia duce triginta abhinc annis didiscimus, postquam Deo placitum est in hoc Monasterio exactioris disciplinæ rationem revocare, quam anteacto tempore in eodem obtinuerit.

Idem pariter absolute enunciatur in Concilio Augustodunensi anni 670. his verbis: *De Abbatibus vero & Monachis ita observare convenit, ut quidquid Canonicus Ordo, vel Regula S. Benedicti edocet, & implere, & custodire in omnibus debeant. Si enim hæc omnia fuerint legitima apud Abbates vel Monasteria conservata; & numerus Monachorum Deo propitio augebitur, & mundus omnis, per eorum orationes assiduas malis carebit contagiis.*

Deinde idoneos Præpositos informari posse dicimus, quin per Studiorum curriculum traducantur, quæ studia illis neque utilia neque necessaria esse judicamus. Cur non de Fratrum numero quosdam deligimus, in quibus præstantiores ingenii dotes, majorem pietatem, majoremque sermonis facilitatem, ac in reliquis, agnoscimus? Cur non illud apprime curamus, ut hi sufficienti doctrina & eruditione imbuantur, atque ad Prioratus onus rite sustinendum apti reddantur?

Quod ad Dogmatum ac præcipuorum Religionis Capitum scientiam spectat, eatenus ut data occasione de iis prudenter & sine errore institui sermo possit, non longo tempore, & sine profundissimo accuratissimoque studio hujusmodi scientia comparari potest. Quod vero pertinet ad pietatis principia, altiorumque veritatum intelligentiam, multum ac satis contulerint ipsæ Sacræ Paginæ, omnes, quos jam enumeravimus, Patrum libri, Scripta etiam Neotericorum, in quibus de officiis institutisque Monachorum agitur. Regulas tandem dirimendis enodandisque Conscientiæ casibus inservientes in iis quæ Monasterii regimen attingunt, suppeditabunt complures libri, qui in omnium fere manibus sunt, unde illustrationes & explicationes quibus opus erit, haurire poterunt; cujusmodi e. g. sunt Collationes Gratianopolitanæ, Lucionenses, Petrocoricenses, atque alia similis argumenti.

Certus equidem sum, optimos in Ecclesia Præsules olim extitisse, egregie de illa meritos & usquequaque illustres, quibus universa hæc præsidia defuere. Dummodo ergo Regularis Præpositus ad cognitiones, quas in lectionum suarum cursu adipisci potuit,

adjiciat

adjiciat intentionem animi, vigilantiam, sermonem, maxime vero omnium orationem; non est ambigendum, quin ille Fratrum suorum amorem atque existimationem sibi conciliet, eosque dociles & confidentes deprehendat, quatenus necesse est, ut suo regimini benevertat. Librorum, de quibus jam locutus sum, numerus, iis quidem exiguus videbitur, qui Monachos debere esse Doctores, sibi cogitatione fingunt; non ita vero illis, qui Monachorum, prout in sui status veritate considerandi sunt, destinationem æqua lance pensitabunt.

Communitas aliqua (subdit Auctor versus finem Capitis) *suæ institutionis initio, cum regularis disciplinæ fervor tunc maxime vigeat, sustineri aliquandiu potest sine studiorum adminiculo. Ast felix hic rerum status diuturnus non erit.* *Pag.* 83.

Quod Monasticæ cujuspiam Sodalitatis ruinam apportat, quod impedit ne quam initio diligentiam præseferebat, eamdem procedente tempore caute custodiat, nihil aliud sane est, quam fluitans & deficiens in Regulæ observatione fides, & Monasticorum officiorum neglectus. Superiores quidem vigilantiam intermittunt, increpatione, instructione, & exemplo Fratres juvare jam cessant. Ipsi vero Fratres quodammodo defatigati, jugum quod sua sibi Professio injicit valde fastidiunt; & cum se in antiquo fervore retinere non curent, ipsum hoc jugum, quod non nisi admodum suave a principio repererant, fit ipsis intolerabile.

Denique vera hujus mutationis causa in fragili hominis corde nutantique ingenio quærenda est. Nisi enim homines naturalibus propensionibus jugiter vim adhibeant, cupiditatique impetum facienti resistant, cum hæc ceu captiva subesse deberet, mutata vice, ipsa dominatum exercet, & imperat. Hoc est, nisi continenter strictis armis adversus carnis desideria, contraque omnes animi perturbationes Regularum sanctitati oppositas fortiter pugnetur, Regulæ ipsæ cedunt, abit spiritus Dei; sibique homo relictus (sic juste permittente Deo) omnifariam erroribus & morum dissolutionibus se sinit abripi.

Sed Monasticas Institutiones studiorum præsidio minime sustineri, inde manifestissime patet, quod illæ, in quibus Monachi doctrinam palam profitentur, omnemque lapidem movent, ut latissimas amplissimasque cognitiones adipiscantur; in quibus omnes Theologicæ quæstiones penitius expenduntur; in quibus denique ad lectionem Patrum, Conciliorum, Canonum, Ecclesiasticæ historiæ animus adjungitur, non secus ac aliæ, reipsa deciderint; quod earum lapsus neque late, neque graviter minus eruperit; Studiumque, quo non defensæ sunt, eas ne erexerit quidem. Durant adhuc earum ruinæ, nec unquam damnum illatum sarcire quis poterit,

terit, nisi exactam disciplinæ observationem, regularitatem, pietatem, ac priscam simplicitatem revocaverit.

Cæterum non sola pietas, ut putatur, sumpta pro interna & occulta animi dispositione, Ecclesiam in suis exordiis sustinuit, roboravitque; ad pietatem accessere signorum virtus, Martyrii gratia, Jesu Christi doctrina in ejus Evangelio comprehensa, denique vocis & Verbi Dei mira efficacia, quod verbum cum per os Prophetarum in Veteri Testamento exauditum fuisset, postea in Novo adamussim completum perfectumque est.

CAPUT XIV.

Quæritur, *an Studium substitui queat loco operis manualis, cui utquis se eximat, an suppetant rationes.*

MAnualis laboris necessitatem in hoc Capite adductis veterum Scriptorum locis satis quidem confirmat Tractatus Auctor, ita ut inde colligi possit non æqua aut idonea ratione factum, quod usum manualis laboris Monachi deposuerint. Sed & nos aperte dicimus, facile demonstrari posse ex omnibus Monachorum Regulis, & doctorum Ecclesiasticorum sententia, quod nullum in Ordine Monastico exercitium, nulla regularis functio validius fuerit constituta, aut potiori auctoritate firmata, quam Opus Manuale.

Id nos docent in suis Constitutionibus Monasticis S. Gregorius Nazianzenus & S. Basilius, qui rursus in suis Regulis fusius explicatis manualis laboris officium, Jesu Christi verbo & Apostolorum exemplo astruit, ac probat.

Eamdem tuetur veritatem S. Jo: Chrysostomus compluribus homiliarum suarum locis. Ubique eam tradit S. Hieronymus; in suo de Opere Monachorum S. Augustinus; in suis sermonibus asceticis S. Ephræm. Auctor est Cassianus, Ægypti Solitarios ad præscriptorum S. Pauli normam agentes, minime tulisse quod Fratres non operarentur manibus, & eorum quemlibet non modo sibi ex labore manuum victum quæsivisse, sed & inde suis Fratribus alimenta suppeditasse, atque ingentem pecuniæ summam in remotiora Lybiæ loca misisse. Eamdem rem confirmat Rufinus.

Instit. l. 2. c. 3.

Vit. ips. S. Euthymius dicere solitus erat, eos qui mundo valedixerant, in opere manuum jugiter se exercere debere, ut domitas habeant carnis libidines, & S. Pauli exemplum imitentur.

S. Bernardus nihil acrius insectatur, quam Monachorum sui temporis inertiam; & in præcipuis Monachorum officiis Manualem laborem semper numeravit: *Labor, latebræ, voluntaria paupertas, hæc sunt Monachorum insignia, hæc solent vitam nobilitare Monasticam.*

Epist. 24.

In Con-

In Concilio Augustodunensi legere est Decretum quoddam pro statu Monastici conservatione, sive restauratione, in quo necessariis Monachorum officiis opus manuum accensetur, nec de studiis quippiam dicitur: *Sint Monachi* (ait doctorum virorum consessus) *omnes omnino obedientes, sint frugalitatis decore pollentes, in opere Dei ferventes, orationi instantes, in caritate perseverantes: ne propter negligentiam, aut inobedientiam, hoste circumeunte ac rugiente, & quærente quem devoret, cibus efficiantur. Sit eis cor unum & anima una. Nemo suum aliquid esse dicat, sed sint eis omnia communia. In commune laborent, hospitalitatis sint omnino receptores.* Atque ut huic Decreto majorem auctoritatem afferat, hæc addit Synodus: *Quisquis autem hæc a nobis Deo præcipiente dictata in confirmationem regularem Monachorum, tentaverit aliqua transgressione cessare, si Abbas est, anno uno ei communionis potestas suspendatur; si præpositus est, annos duos; si Monachus, aut fustibus verberetur, aut a communione & Missa, & caritate annos tres suspendatur.*

Ex hoc decreto, & regularium exercitationum instituta enumeratione, ipsis oculis videtis, Fratres, manualem laborem ibi præscriptum inveniri, & de Studiis ne verbum quidem occurrere.

Quoad hoc disciplinæ Monasticæ caput unus omnium sanctorum Solitariorum consensus fuit. Cujus rei nullum magis idoneum aut magis certum suppetit testimonium, quam ipsa veterum Regularum consonantia, quarum ne una quidem Laborem manuum injungere prætermisit. Inutile & nimis etiam longum foret per omnes discurrere, & singularum auctoritates producere, cum omnes ceteroquin id fateantur. Hujus præterea officii exactissimas Regulas sibi condidere Monachi, quibus solitudo in primis est proposita, ut Carthusiani, Camaldulenses, Vallisumbrosani. Denique nihil inter Occidentis atque Orientis Monachos firmius est constitutum, quam Opus Manuale; atque ita in hac materia S. Bernardi auctoritas omnem dirimit controversiam, ut ad illorum os occludendum, qui indubitate veritati assentire fortasse nolint, sola sufficiat.

Cum adeo constans & præcipuum disciplinæ caput directo argumento impugnari non possit, tentat Auctor illud convellere, quærens *utrum ab illius usu cessare liceat, & in ejus locum aliud exercitium æque utile substituere, puta, scientiarum.* Pag. 87.

Ut ad omnia, quæ in hac materia proponuntur, respondeam; breviter dicam, Fratres, Studia in hac quidem parte, quatenus ab otio & segnitie Monachos defendunt, posse Manualis laboris vicem supplere; sed aliis præterea commodis atque utilitatibus, quæ a manuali labore descendunt, comparandis apta non esse. Atque ut hac de re nulla supersit dubitatio, horum commodorum quædam præcipua in medium prolaturi sumus.

Manualis laboris beneficio Solitarii ærumnas & labores exprimunt, quibus Jesus Christus sese objecit, juxta Prophetæ verba: *Ego,*

Psal. 87. v. 16. *Ego in laboribus a juventute mea.* Imitantur Apostolos, ac Sanctos
Reg. c. 48. Patres, qui ante se fuerunt, prout in Regula habetur: *Tunc vere Monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt, sicut & Patres nostri, & Apostoli.* Necessitatem cuilibet homini injectam in persona Protoparentis pro admissæ culpæ animadversione stricte in seipsis perficiunt:
Gen. 3. v. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane.* Exemplo sunt iis, qui in sæculo otiose & molliter vivunt; eosque officii sui commonefaciunt, ne Domini mandatum, quod operosa & pœnitenti vita peccata deleantur, imposterum negligant. Denique manualis labor exteriorem hominem mortificat, subigit, atque obstat, ne lex carnis contra legem mentis insurgat. Cordis ejus superbiam frangit, atque omnem ambitionis sensum extinguit, dum eum innumeris hominibus adæquat, quos egestas ad vilia ministeria se abjicere, vitamque in contemptibili obscuroque labore agere compellit.

Instit. l. 2. c. 3. Necesse est, ait Cassianus, ut Solitarii *fastum vitæ præteritæ, & delitias oblivisci possint;* atque humilitatem cordis per abjectionem & manualis laboris onus acquirant.

Inst. 2. de humil. S. Dorotheus idem sentit, cum ait, a labore corpus deprimi, atque ab externa corporis demissione spiritus humilitatem gigni; corda tandem diversimode affici, prout in diverso statu, variisque circumstantiis inveniuntur.

Bona hæc, Fratres, quæ enumeravimus, parari nobis ab usu studiorum non possunt; studia quippe animos tollunt, ambitionem extimulant, ut præclare nimis de nobis metipsis judicemus efficiunt; utque eos despectui habeamus, quos doctrina & eruditione infra nos esse credimus, vel obtrectemus invideamusque illis, quos nobis antecellere suspicamur. Itaque nihil magis aptum est fructum avertere, quem sibi proponunt contemptores mundi, ac solitarie vivendi institutum amplexi; nihil enim magis quam studia humilitatem, quæ hujus instituti firmamentum est, oppugnat ac destruit. Longe propterea fallitur quicunque manuali labori Studia substituit; & quidquid hujus laboris intermissione deperditum est, Studiorum beneficio sarciri posse putat.

Si quis me peteret, utrum fas sit lectionem a Regula præscriptam intermittere, atque in ejus locum manuale opus sufficere; sane id fas esse pernegarem, eo quod lectio Sacræ Paginæ sit cibus animarum; & quemadmodum vita corporis sine esca sustineri diutius non potest, ita neque animæ vita sine lectione. Sed si quis peteret, utrum manuale opus scientiarum studiis subsitui possit; profecto affirmarem, optimum id factu esse, eo quod scientiæ pabulum a Monachorum conditione distet omnino, neque possit nisi eis nocere, eorum corda corrumpere, eos lethaliter afficere, pietatisque & simplicitatis fundamenta, a quibus eorum sanctificatio pendet, evertere.

Fate-

Fatetur Auctor, *omnes Regularum Codices Monachos ad laborem adstringere, a quo illi se eximere non possunt, nisi iustis de causis, quæ quidem ab iisdem Regulis fuerint approbatæ, vel ab eorum exemplo, qui sanctæ hujus professionis habiti sunt velut Coriphæi.* Pag. 88.

Prima hujus propositionis pars certa est atque indubitata; ac propterea quicunque S. Benedicti Regulam professi sunt, obeundi operis manualis officio tenentur. Et immerito affirmatur, Studia illos ab hoc officio immunes facere; cum hæc vacationis a labore causa neque innotuerit S. Benedicto, neque ipsius auctoritate aut Regula probetur, sed cogitatione dumtaxat fingatur ab iis, qui hanc Regulam amplexi sunt. Satis est meminisse, sanctum hunc Institutorem nonnisi binas lectionis horas suis discipulis assignasse, ut omnibus perspicuum fiat, nullam eum Studii rationem habuisse. Quod autem de S. Benedicti Regula ponimus, æque verum est de omnibus Orientalibus Regulis.

Secunda ejusdem propositionis pars concertationibus magna ex parte viam sternit. Si enim necesse fuerit invenire Monachum, qui aliorum sit quasi exemplar, & ad cujus normam reliqui sese componere debeant, difficile in hoc omnes consentient. De quibusdam sane non nisi idem sentire omnes possunt, de illis nempe, quos Deus Monasteriis initio præfecit, quos elegit, & quorum opera ad ea fundanda uti voluit, veluti de SS. Antonio, Pachomio, Hilarione, Basilio in Oriente; in Occidente vero de SS. Benedicto, Bernardo, Romualdo, Stephano Grandimontensi, Columbano &c. Quod enim absolute dicitur, Sancti Studiis operam dedere, & ad scientias animum applicuerunt; imitari ergo illos debemus, & ad studia (quod ii fecerunt) incumbere: falso id colligitur. Nempe viros illos Deus quodammodo segregavit, & a communibus exemit Regulis, singularibus officiis ac functionibus admovens, ut populis documento & exemplo, Ecclesiæ utilitati atque incremento essent.

Falso item colligitur, aliquid sancte & legitime usurpari, ex eo quod in quibusdam Sodalitatibus, ubi vixerunt Sancti, nunc sit, aut olim fuerit usurpatum: Novimus enim, Sanctos non sibi sumpsisse ut omnes pravas consuetudines extirparent; sive quod non crediderint rem ex sententia successuram; sive quod Deus, propter causas quæ nos latent, permiserit ut abusus diutius perseverarent. S. Petrus Cluniacensis in ea vivebat Congregatione, ubi disciplina collapsa fuerat, quæ abusibus & depravationibus scatebat; at non est propterea judicandum, has recti ordinis perversiones jus aliquod obtinuisse, quod sanctus vir eas toleraverit, aut non reprehenderit. Ipsa denique Ecclesia quædam mala patienter sustinet, neque, ut illa reprimat, auctoritate sibi a Deo collata utitur, (ut sane credimus) sapientique consilio.

Pag. 88. Affirmat Auctor Tractatus (quod dignum est peculiari animadversione) *non magis Orationi officere si quis dixerit, numquam esse orandum, quam si de medio tollatur pœnitentiæ labor, qui veluti basis orationis est, in qua solidatur, & tamquam panis, unde nutritur.*

Si verum est hoc principium, Fratres, de quo non ambigimus, jam non est amplius inter Solitarios Oratio, neque orationis spiritus; nuspiam enim apud illos apparet labor hic operosus & difficilis, cui nomen pœnitentiæ conveniat.

Quoties omnes Monasticas Congregationes & Sodalitates ad memoriam revoco, atque aliam ex alia singillatim dispicio atque perpendo, vix duas tresve illarum reperio, ubi manualis laboris usus adhuc obtineat. Interea fatendum est, cladem nullis satis dignam lacrymis hanc esse, quod hi loci, qui totidem Orationis & Pœnitentiæ Domus, tristitiæ & gemitibus dicatæ, olim fuere; in tantum sint ab illis mutati, ut veteris status nullum fere monimentum aut vestigium supersit. Nam si Oratio sublato Manuali labore æque certe disperditur & labefactatur, ac sublata orandi consuetudine; qui erunt loci in quibus vigeat orationis fervor, cum nulli sint, in quibus Monachi manibus operantur? Quid validius afferri poterat ad eorum sententiam convellendam, qui manualem laborem deseruerunt; vel quid aperte magis plagam, quam illi Monastico Ordini inflixere laborem abolentes, designat, quam hæc illorum confessio? „ Si enim laboris intermissio Orationem destruit, si mentis „ distractiones inducit, ut fatentur, si ansam præbet curiositati; „ quæ singula omnino sunt Orationi adversa simulque manualis la„ boris osoribus inevitabilia; qui labor nimirum est velut ancora „ immota, quæ fluctuans cor hominum & leves cogitationes sistit: Sane manualem laborem tollere perinde est ac Ordinem Monasticum a fundamentis evertere; cum sit Oratio, ut omnes assentiri debent, proprium & insitum illius exercitium, sine quo nequit consistere. Unde satis manifeste convincuntur erroris qui Studia in locum & vicem Operis manualis succedere posse autumant.

Pag. 88. & 89.

Pag. 89. Asseritur, *aliquando contingere, ut nonnulli ab hoc onere licite queant eximi.*

Nulli umquam, Fratres mei, in mentem venit, ut justas quandoque causas adesse negaret, propter quas quidam Religiosi ab opere manuali immunes fieri possunt. In his causis ægrotatio numeratur, quæ quidem sit gravis & periculosa; nam si qui levibus morbis detinetur, non desunt occupationes imbecillitati eorum accommodatæ, quemadmodum perhibent Regulæ. Altera vacationis a labore causa est temporis penuria, nempe cum aliquis ex Superioris jussu necessariis atque inevitabilibus muneribus occupatur.

Hujus-

Hujusmodi causis imbecilliorem corporis habitum personarumque conditionem aut gradum quem in sæculo obtinuerunt, minime annumeramus; nam illorum quidem temperationi conveniens laboris genus injungitur; hos vero propter generis nobilitatem a labore eximere æquum non esset, eo quod nihil aptum magis sit ad delendam præteriti in sæculo status memoriam, imbuendosque eorum animos sensus humilitatis, cujus solius beneficio elationis, superbiæ, desidiæ ac mollitiei pravos habitus exscindent, quibus ut plurimum obnoxii reperiuntur qui generis splendore cæteris præstant. Deinde valde consentaneum est, ut iis qui conditione & natalibus sibi longe cedunt, exemplum præbeant.

Allegatur, *quod S. Bernardus propter infirmum corporis habitum laborandi lege fuerit solutus.* Pag. 90.

A manuali labore Sanctum Bernardum immunitatem obtinuisse non diffitemur: id vero tunc factum affirmamus, cum ægritudines & morbi eum prorsus ineptum exercendis manuariis operis reddidere. At tantum abest, eum propter infirmum corporis habitum, propter sublimiorem locum, quo Fratribus suis antestabat, vel denique propter obligationem diutius, quam ceteri, lectioni vacandi, ab hoc onere se eximere voluisse, ut contra omnibus notum sit, cum frumentis secandis a natura minus aptus esset, quo id facile exequeretur, a Deo orationibus impetrasse. Præpositus, Fratrum suorum exemplar & regula in omnibus esse debet; a communibus officiis vacationem non habet, nisi ea obire revera non possit. Et in historia vitæ hujus Sancti quoties Fratres laboribus exercebantur, quibus ipse suis viribus par non erat, levioribus operibus, veluti fodiendo, aut ligna ferendo, huic defectui supplere solitus fuisse narratur.

Capitis XIV. Continuatio.

Pag. 96. *Proponuntur difficultates, quæ possunt objici super Monachorum ad manualem laborem obligatione.*

QUamquam validissimis atque urgentissimis rationibus laboris manualis necessitatem hucusque probatum iverit Auctor; minimum tamen de hujusmodi rationibus ipse laborat, sed eas declinat ut ut manifestissimas. Sunt ei pro nihilo traditio, & Sanctorum, Doctorumque Ecclesiæ sententia; nihil aliud denique ipse aucupatur, quam speciosos obtentus ad illius exercitii praxin extenuandam, quod omnium auctoritate & consensu nititur. Illud in omnibus Regulis Monachis præcipi, in nulla vetari constat; nec sane usquam apparet, hanc laboris legem fuisse abrogatam, ex quo inter Monachos universim obtinuit.

Pag. 96. *Vere Studia* (inquit Auctor) *quæ quis sponte sua ad propriam eruditionem atque ædificationem suscipit, Monachus allegare non potest, ut juste labori se eximat.*

In bene moratis ordinatisque Communitatibus, Fratres mei, plane ignoratur quid sit exercitia ex proprio arbitrio suaque voluntate sibi deligere, qualiacunque ea sint; ibi enim Religiosi in omnimoda a Superiore dependentia vivunt, neque suæ voluntati amplius litant. Quod Sanctus Benedictus perspicue innuit, ubi de Religiosis qui ejus *Bernard. Reg. cap. 33.* Regulæ sese addixerunt, ait: *Quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate:* nimirum utraque in ipsa professione quodammodo extinguuntur.

Itaque parum, aut nihil labori tribuitur dicendo, Monachum ab eo eximere seipsum non posse specie incumbendi ad Studia, quæ proprio nutu aggressus est; neque enim id uspiam contigerit, nisi forte in Monasteriis, in quibus inordinate & sine disciplina vivitur.

Quod attinet ad Studia prolixa atque ordinata, quibus ex jussu Superioris animus adjicitur, non est ambigendum quin ipsis Superioribus liceat nonnunquam peculiaribus justisque de causis quosdam suorum Fratrum ad hæc Studia dirigere atque illos ab opere communi eximere. Nam Ecclesiæ aut ipsi Monasterio tam magnam utilitatem fortasse allatura sunt eorum Studia & litterarum profectus, ut æquissima ratio suadeat cum illis circa laborem dispensari, ne scilicet Ecclesia aut Monasterium utili opera fraudentur, quam horum Fratrum doctrina præstare olim poterit. Sed hi casus cum

sint

sint infrequentiores, laboris Monastici rationem non modo non imminuunt, sed & prorsus confirmant.

Quod si Studia considerantur ut justæ causæ eximendi a labore manuum sive eos qui erudiunt, sive tirones quorum eruditioni servitur; id nihil aliud est, quam ipsum laborem prorsus velle sublatum. Cum enim insideat animo Auctoris hæc sententia, ut Religiosi alumni Philosophicum & Theologicum cursum emetiantur in ea latitudine quam vidimus superioribus Articulis; & ut ad hæc accedat Ecclesiastica scientia, nimirum Ecclesiæ historia, Concilia, Canones, denique Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum accurata lectio; non modo futurum est ut Religiosi alumni suorum Studiorum tempore a manuali labore reddantur immunes; sed insuper nullum dubium est, quin emenso quoque Studiorum curriculo, eamdem immunitatem sint habituri. Cupido illis incesset excitandi & superstruendi ædificii iis fundamentis quæ ipsi jecerint. Postquam semel deguslaverint scientiam, eamdem amare pergent, & a jucunda exercitatione, cui in adolescentia assueverunt, abstinere non poterunt. Cognitiones quas acquisiverint, excolere atque augere volent; facile intumescet eorum cor, cum de suæ eruditionis merito præclare senserint. Denique opus manuale grave nimis & incommodum, ac seipsis prorsus indignum existimabunt.

Alii vero per speciem vacandi Studiis velamenta sibi & prætextus relaxationis quærent, ac dummodo a gravi & molesta laboris assiduitate se eximant, vano & inutili Studio tempus perdent, ideoque in otium & segnitiem omnino recident; intellectum & cor facile corrumpent, & suæ professionis tædio, ut monuimus, affecti invenientur, atque omnibus malis & incomodis, quæ a tam lugendo statu consequi possunt, obnoxii.

Auctor ait, *dandæ immunitatis causas ad singulos privatim Monachos referri, non ad universam Sodalitatem, quæ in opere manuali exercendo de more perseverare debet.* Pag. 97.

Si Tractatus Auctor in hac revera opinione versatur, sublata est omnis difficultas. Quippe cum vix decem, e millibus, Monachi hujus Studii de quo agitur, capaces inveniantur, integræ Communitates in manualis operis exercitio, prout jubent Regulæ, adhuc permanerent; & exemptionibus raro datis nulla legis infractio sequeretur, nec quidquam obesset, quominus hæc lex in suo rigore consisteret. Sed aliam vulgo & apud ipsum Auctorem obtinere sententiam ex Operis decursu, atque ex methodo agendi, quæ in Monasticis Congregationibus servatur, facile apparet.

Frustra subdit idem Auctor, quod Monachi, quibus ad sustinendum operis manualis onus satis virium non est, hunc defectum

supplere debent, ipsum laborem non contemnendo, sed vere laudando, atque humilitatem sectando. Hanc enim præceptionem in usum deducere, hoc opus, hic labor; perraro id fieri cernimus. Manualis labor intantum viluit, & de eo tam inique judicant omnes Monachi, ut facile putent dedecoris notam sibi inurendam, aut de gradu aliquatenus se dejiciendos, si labori sese dederint. Et eorum plerique in otio & negligentia, in languore & desidia malunt vivere, quam ipsum otium operantes manibus vitare, quippe hoc exercitium vile admodum & contemnendum in eorum oculis est.

Æquius & prudentius foret, laboribus eos exercere ipsorum imbecillitati convenientibus, quod fassus est Tractatus Auctor pluri-„ bus locis; ad cavendum (ut ipse ait) ne segnitia torpeant, dum „ ab omni manuum labore cessant, vel ne deficiant, dum gravi „ nimis & importuno labore præmuntur. Hoc sane pacto antiquus disciplinæ vigor, & priscæ consuetudines in Monasteriis reviviscerent, & ad praxin revocarentur. Ii, quibus a Deo peculiares aliquæ dotes, & ingenii facultates collatæ sunt, quive ceteros eximiis quibusdam dispositionibus antecellere videntur, juxta divinæ Providentiæ cursum a communibus exercitiis, nempe a manuali labore eximi possent; cæteri vero pro uniuscujusque viribus aut imbecillitate eidem labori vacare; Superiorum denique esset totum hoc negotium sapienter, juste, & cum charitate perficere.

Pag. 97. *Immunitatis a labore justam causam esse*, inquit Auctor, *si quis crebrius ad populum sacras conciones habere debeat.*

Fateor quidem, ubi Episcopi aliquem Monachum ad Concionatoris munus obeundum vocent, in hoc legitimam subesse causam concedendæ vacationis ab opere Manuali. Sed raro id contingit, his præsertim temporibus, quibus Ecclesia idoneis Ministris abundat, quibus doctorum Ecclesiasticorum magnus est numerus, quin & Regularium, qui ex instituto Solitarii non sunt, quive his muneribus obeundis ab Ecclesia adhibentur. Quæ munera non aucupari, sed caute declinare Monachi debent. Meminerint, Concilia-
Innoc. 5. ribus & Pontificiis decretis mansionem in solitudine, quam professi sunt, sibi esse præceptam. Monachi, ait Concilium Chalcedonense,
An. 451. Act. 15. c. 4. quietem amplectantur; Orationi & jejunio vacent, in quibus ordinati sunt locis fortiter perseverantes; nec Ecclesiasticis, nec sæcularibus negotiis se ingerant, vel communicent propria relinquentes Monasteria.

Eug. 3. inter Op. Bern. Ep. 384. Congruenter his Eugenius III. ad Cistercienses Monachos scribens ait: *Respicite, quæso, ad veteres Patres, qui nostrum sacrum Ordinem statuerunt, & considerate qualiter relicto mundo & contemptis omnibus, mortuis mortuos suos sepelire dimissis, ad solitudinem volaverunt, unde*

aliis

aliis circa frequens ministerium satagentibus, ipsi ad pedes Jesu cum Maria sederunt, ut tanto uberius cœleste manna perciperent, quanto longius ab Ægypto discessissent. Et quoniam filii sæculi hujus, vos renitentes etiam ad regimen sui trahere moliuntur, & de quiete contemplationis & deserti silentio, volunt vos aliquoties ad occupationes & negotia revocare; Ad mentis oculum Patrum vestrorum Instituta reducite, & Propheticum habentes exemplum, eligite magis abjecti esse in domo Dei, quam habitare in tentoriis peccatorum.

In Gratiani quoque Decreto hæc verba notatu digna legimus: *Sedeat Solitarius & taceat, quia mortuus est mundo, Deo autem vivit.* *Grat. decret. 2. p. caus. 16. c. 8. Placuit quæst. 1.*

Pontifex Alexander II. convenienter Regulæ S. Benedicti, & Concilii Chalcedonensis decreto, vetat Monachis, ne de Monasterio exeant, neu per Civitates, per oppida & villas discurrant; vult etiam eos *a populorum prædicatione omnino cessare, nisi forte* (ut expresse ait) *quis de suæ animæ salute sollicitus, ut eorum habitum assumat, eos intra Claustrum consulere voluerit.* *Ibid. c. 11. juxta.*

Dum Monachi proprii status bonum & felicitatem magni, prout debent, facient; dum commoda, quæ a vita in solitudine jugiter & diligenter acta ducuntur, agnoscent, longe aberunt ut catenas, quas fregerunt, denuo connectere, & sæculo, cujus amplius non sunt, rursus se implicare velint; illud unice studebunt, ut discessionem ab eo perennem reddant; quasi laqueos, exeundi de Monasterio occasiones vitabunt. Quod si Superiorum auctoritate urgeantur, ut in publicum rursus prodeant, excusare se pro virili parte debent, vota, officia, professionem, promissa sua causari; atque a sola obedientia, solitudinis ac silentii amorem & custodiam vinci patiantur.

Fatetur Auctor, *difficile esse manuarium laborem cum Studiis, aliisque religiosis officiis exercitationibusque conjungere; sibique satisfacit dicendo, Monachum rem Deo gratam facturum, si quoad fieri possit ad laborem aliquando sese compulerit, ut sit reliquis exemplo.* *Pag. 97.*

Qui vero, Fratres mei, erunt hi quibus præbeatur exemplum, quandoquidem, ut diximus, Studiis omnes vacant, sive ad certum illud tempus, quod Studiorum cursum indigitant, sive ad illud, quod expleto studiorum curriculo subsequitur, animo attendatis? Itaque fucum sibi facit Auctor, cum ait, ipsum Corpus Monasticæ Sodalitatis in labore perseverare debere; interim dum quidam privati concessis immunitatibus fruuntur; nam ii qui assiduæ lectioni sustinendæ pares sunt, nolent eam intermittere, ut operi manuum vacent; multoque minus ii quibus lectio obtentui futura est, ut officium detrectent, ad quod exequendum parati esse non possunt, aut nolunt.

Frustra vero inculcatur Monachis, fore ut rem Deo gratam agant, si labori manuum aliquantulum temporis impendant; id illis numquam persuasum fiet: Qui nihil deferunt majorum præceptis,

mandatis, aut exemplis, quam denique rationem habebunt admonitionum illorum, qui pari cum Antiquis auctoritate & merito minime valent?

Pag. 98. *Monachi*, inquit Auctor, *qui laboris immunitatem habent, fateri debent cum Augustino, se multo malle ad majorem sui spiritualem profectum per singulos dies statis horis aliquid manibus operari, & orationi ac lectioni vacare, ut bonæ notæ Monachis familiare est, quam teneri hoc Studiorum genus colere: & quod, si possent sine Dei & Superiorum imperii transgressione, ea Studia absolute omittere, libentius sortem illorum eligerent, qui tempus partim operando, partim alia pietatis opera exercendo distribuunt, quam iis rebus occupari, quæ ut plurimum ariditatem quamdam ingerunt animæ, eamque ad orandum ut oportet ineptam quodammodo reddunt.*

Hæc satis superque sunt, Fratres mei, ut lata illa & diffusa Studia, quæ constituere aliquibus lubet, penitus concidant, nam ea sincera hæc sententiæ Sancti Augustini expositio abolere videtur. Ac primo quidem ex verbis Sancti Augustini perspicuum fit, Monachos sui temporis nonnisi manuum labori, orationi & lectioni dedere se consuevisse; illorum autem lectio non Studium vere dici poterat, sed lectio religiosa, ad ipsorum sanctificationem usurpata, non ut doctiores aut præstantiores redderentur, quod exprimunt hæc verba: „Mul„to mallent per singulos dies (quantum attinet ad suum commo„dum) certis horis, quantum in bene moderatis Monasteriis con„stitutum est, aliquid manibus operari, & ceteras horas habere ad „legendum & orandum, aut aliquid de divinis litteris agendum li„beras, quam hisce Studiis vacare &c.„ Hinc apparet quæ fuerint Monachorum occupationes, omniaque illorum exercitia, ut sæpe diximus, extitisse manuum laborem, Orationem & asceticam lectionem, hoc est, Scripturarum atque Operum Sanctorum Patrum, quæ ascendunt ad cor, quæ ingenuam eruditionem & spiritalem illustrationem conferunt.

August. de opere manuum Monach. n. 37.

Deinde hæc Studia, quæ Monachis & Solitariis non convenire putamus, perspicuum est, juxta Sancti Augustini sententiam, animæ ariditatem inferre, eamque ad exercitia Orationis ineptam reddere; hoc est in Solitariis id quod est præcipuum maximeque ipsorum professionis proprium & innatum corrumpere, & spiritui illi interiori, in quo ejusdem professionis felicitas, quies atque omne meritum sita sunt, penitus adversari.

Quid, amabo, Fratres mei, de illa occupatione, quæ animabus ariditatem ingerit, easque ad Orationem minus paratas exhibet, censuissent prisci Solitarii, quibus vel uno momento a Dei cogitatione divelli quasi fornicatio erat? Quid? Monasticum amplexus es institutum, ut de Deo cogitares, ut illi adhæreres, ut te ille inti-

intima connexione, arctoque vinculo conjungeres; nunc autem exercitia quæ ab eo distrahunt & separant, sponte tua eligis? Quomodo id patrare audeas, vix intellectu consequor.

Quod si (pergit Tractatus Auctor) *inclytus hic Præsul, qui tam seriis Ecclesiæ negotiis, populoque a Deo sibi tradito utilibus jugiter vacabat, sic de se ipso sentiebat; quid de simplicibus Monachis dicendum est, qui peculiari Superiorum dispensatione a communi ad laborem onere declarantur immunes?* Pag. 98.

Hujusmodi Monachi, dum se in incerto & malefido statu, qui suæ professionis officiis prorsus opponitur, collocatos vident, contremiscere debent. Qui ex rationabili legitimoque jussu laboris vacationem habent, & ipsi aliquatenus commiseratione sunt digni; sed in Obedientiæ tamen merito quieti esse possunt. At illi, qui occupationes & Magisteria aucupantur, amant, ultro quærunt, atque iisdem delectantur, qua sibi ratione adulari & quieta conscientia vel minimi temporis intervallo vivere queant, non video. Ipsi etiam Superiores, qui ab officio, quod eorum professio (ut conceditur) adimpleri postulat, sibi subjectos eximunt, vix ullam excusationem prætexere posse videntur, quo apud Judicem Jesum Christum suam agendi rationem probent.

Duo esse lectionis genera animadvertite, Fratres, & ex ipsa Sancti Augustini sententia elicite. Unum lectionis, quæ sanctos efficit, quæ Monachis conveniens est, & ad quam se peculiariter adstringi crediderunt Sancti: Alterum lectionis, quæ labem cordi atque ariditatem affert, quæ impedimenta atque obices interjicit, quominus instituti Monastici finis & meta teneatur, quæ est in mentis collectione, in Legis Dei meditatione, atque in oratione vivere. Ad primum lectionis genus vos ego hortatus sum omni tempore, tanquam ad exercitium Monachis necessarium. De secundo olim apud vos loquutus sum, & adhuc loquor tamquam de exercitio, quod magnæ utilitatis, multique meriti, Ecclesiasticis ad hoc lectionis genus legitime vocatis esse potest; sed quod laqueos & offendicula Monachis undequaque parat.

Guillelmus S. Theodorici scripsisse traditur, *inter varia laborum Monasticorum genera eos præ aliis eligendos esse, qui ad spiritualia exercitia propius accedunt, cujusmodi erat Libros exarare: hanc porro exercitationem valde fuisse antiquitus usurpatam in Cisterciensi Ordine, & manualis laboris locum obtinuisse*, inquit Auctor. Pag. 99.

Qui sic loquitur, manualem laborem a Sancti Benedicti Regula imperatum ad scribendorum librorum exercitium redigere velle

vide-

videtur, simulque persuadere, Cistercienses Monachos in suæ Institutionis primordiis scribendo occupatos quotidie fere fuisse. Plane oppositum tamen elicitur ex testimoniis, & monumentis, quæ adhuc supersunt, austeritatis quæ apud egregios illos Solitarios obtinuit. Quod si eorum exercitia gravia, laboriosa, & dura neutiquam fuissent, nemo eos traduxisset quasi homines, quorum pœnitentia nimia erat, & supra communem modum vehemens & aspera. Et nulla sane causa fuisset, cur illis (quod jam a nobis adnotatum est) exprobrandi causa diceretur : *Quomodo delectatur Deus cruciatibus nostris?*

Bernard. Epist. 1. n. 4.

Quam rem Sanctus Bernardus in eadem Epistola, quam ad Nepotem suum scribit, aperte confirmat, cum ait: *Scio quia delicatus es, & quod his assuetus modo, duriora non possis. Sed quid, si potes facere ut possis? quæris quomodo? Surge, præcingere, tolle otium, exere vires, move brachia, complosas explica manus....reddet quippe sapores rebus exercitium, quos tulit inertia.* Quod nisi de exercitiis laboriosis intelligi non potest.

In Præfatione in Psalmum *Qui habitat* ad Fratres suos hunc sermonem habet: „ Considero labores vestros, Fratres, non sine magno „ miserationis affectu. Quæro consolationem quam exhibere possim... „ at si pœnitentia vestra minuatur miseratione crudeli, paulatim „ gemmis corona vestra privatur ..... mortificamini tota die, in „ jejuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum.

Bernard. Reg. c. 40.

Certissima hæc veritas in Regula Sancti Benedicti aperte declaratur, cum ait Cap. 40. portionem Fratrum augeri posse, *si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis amplius poposcerit*. Et Cap. sequenti, ubi Quartæ & Sextæ Feriæ post Pentecosten jejunia indicit; apposita hac conditione: *si labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æstatis non perturbat*.

Cujus rei dignum animadversione monumentum apparet in vita Sancti Juniani. Cum Clotharius ab eo petisset, utrum aliqua re indigeret, & num a se aliquid cuperet, respondit se in Monastica Professione vivere, Monachorum Præpositum esse, & pro virili sua parte Sancti Benedicti Regulam servare; at eam integre & per omnia custodire non posse, eo quod angustum nimis locum incolens vix haberet, in quo Manuale opus exerceret, ad quod a Regula astringebatur. His auditis, Rex agrum illi permisit satis latum, ut operis manuariis Monachorum Juniani sufficeret, in quo sanctus vir Monasterium ædificavit.

Ex his omnibus patet, Fratres mei, laborem Monachorum qui Sancti Benedicti Regulam profitentur, non in agitandis dexteræ manus digitis stetisse, ut putatur; sed operosum, molestum, & defatigantem fuisse; eos autem qui hunc laborem prompte subire, fideliterque absolvere volebant, haud raro sudoribus diffluere, humore ac frigore pervadi, & solis ardore torreri visos fuisse. Sed Codi-

Codices exarandi labor infirmis atque imbecillis solum dabatur, ferendo imparibus oneri, quod firmam valetudinem, viresque corporis egregias exposcebat.

Maxime quidem vellet Auctor, *ut regularis & manualis operis vices scribendi labor, vel ab aliis jam conscripta recognoscendi, emendandi & conferendi cura supplere posset.* Pag. 99.

Admitti, aut probari, Fratres, hæc sententia non potest. Præterquam quod enim exercitationi hujusmodi adjuncta est delectatio, sive propter consuetudinem & societatem cum viris litteratis, sive propter existimationem, quæ opera in publicum edenda scribentibus conciliatur, seu denique quod in ea occupatione sibi ingenium blande satisfaciat; certo affirmare possumus, eam Sancto Benedicto ignotam plane fuisse, nec esse cum labore manuum, quem ipse suis discipulis in Regula injunxit, hanc scribendi exercitationem ullatenus conferendam.

Quapropter planius & verius dixerimus, si qui ad hujusmodi exercitationem Dei jussu vocentur, in eaque feliciter & cum fructu ex obedientiæ titulo detineantur, eos ab opere manuali legitime eximi posse. Adeo vero paucos est invenire, qui ad scribendum eruditionis, judicii, ac perspicaciæ satis, & reliquas necessarias dotes possideant, ut nihil inde consequatur. Ut rem verbo absolvam, Deus Regularum auctor & Dominus, quos vult, ab iisdem Regulis eximit.

Nihil, quod non cogamur fateri, in Tractatu de Studiis Monasticis legitur à pagina 100. in qua versamur, usque ad pag. 110. Omnes sententias ibi comprehensas & nos in libris de Vita Monastica adnixi sumus constabilire, atque iisdem auctoritatibus quæ hic afferuntur eas defendimus, nec non & aliis quamplurimis; quibus quæ Monachorum ad laborem obligatio fuerit liquido demonstratur. Auctor libri, quem præ manibus habemus, in hac se opinione esse testatur; contraria quæque argumenta refellit, objecta singillatim expendit, & summa perspicuitate ac soliditate diluit. „ Congruenter iis, quæ scripsit Sanctus Augustinus, ostendit clericalem Pag. 102.
„ statum eximendi a labore idoneam causam non esse; frustraque a
„ quibusdam dici, quod Monachis in primæva quidem eorum ori-
„ gine necesse fuerit ut manibus operarentur, ne ipsis deesset unde
„ viverent; nunc autem cum ditiora facta sunt Monasteria, & ma-
„ gnis reditibus aucta, hæc obligatio desiverit. Neque jure alle- Pag. 103.
„ gari posse divinorum Officiorum prolixitatem; inaniter quoque
„ dici, Sanctum Benedictum opus manuale præscripsisse, ut otium
„ & desidia tollerentur, & ad id lectionem sufficere, & laboris
„ loco esse posse; utraque enim ille imperavit, voluitque ut Fratres
„ legendo & operando tempus exigerent.

Post-

Postquam vero Auctor manualis laboris necessitatem invictis rationibus astruit; postquam difficultatibus, quæ objici solent ab iis qui hunc laborem Solitariis jam nunc minime convenire contendunt, obviam ivit: cum inde colligere debuisset, operis manualis officium adhuc subsistere, nec illius vacationem nisi æquis justisque de causis accipiendam esse; illud ad nihilum ferme redigit, dum ait: „ Veteres exarandis Codicibus operam navasse; ad operandum in „ agris procedi nunc non posse propter dissipationis periculum; & „ cum Horæ Canonicæ reapse nunc prolixiores sint, manuali labori „ tempus a Regula assignatum tribui non posse: eumque in Con„ gregatione N. ad unam quotidie horam redactum fuisse.

Id mihi perinde esse videtur, Fratres, ac opus manuale penitus de medio tollere. Primo, quia postquam libri typis vulgari cœperunt, nemo de iis transcribendis amplius cogitat; Deinde quia cum in desuetudinem abierint rustica opera, quorum causa olim agros petebant Monachi, laboris ratio collocata est in quibusdam exercitiis & occupationibus regularibus, quæ laboris nomen nequaquam merentur, quæve, si accurate loqui velimus, nihil aliud sunt quam otiosa oblectamenta. Tertio, quia dum unius horæ spatio se labori vacare dicunt, sibi & aliis prorsus illudunt. Quid hoc rei denique est? Monachi conveniunt; de opere manuali mentionem habent; (quod de iis Monasteriis dico, ubi id in usu adhuc obtinet, quæ pauca admodum sunt) quartam horæ partem sic elabi sinunt; deinde alii ab aliis dirimuntur, & singuli huc illuc euntes quod cuique lubet faciunt. Ita hæc hora quæ labori adsignatur, nihil aliud esse videtur, quam monumentum quoddam Traditionis, ne omnis scilicet regularis laboris memoria deleatur.

Si eo quo deberent zelo hujus exercitii flagrarent Monachi; si vere eos tangeret antiqui sanctique moris retinendi in hac necessaria parte sollicitudo; an non de horarum numero, quem labori Regula assignat, nonnihil detrahendo propter hodierni divini officii prolixitatem, satis adhuc temporis impendere possent, quo huic disciplinæ Monasticæ officio satisfacerent? Quod si pro sex horis a Regula præfinitis, tres tantummodo insumerentur, partitis inter ante & post meridianum tempus operis, quatuor amplius horæ peragendæ lectioni adhuc superessent.

Pag.103. *Plerique ex Sanctis Patribus*, inquit Auctor, *autumarunt, opera quæ fiunt extra Cœnobiorum Claustra non omnino Monachis congruere; ex ipsis enim oritur nimia mentis evagatio, & periculosi cum Sæcularibus commercii frequens occasio.*

Cohibere me non possum quin animadvertam, Fratres mei, plerisque Monachorum nequaquam religioni esse quominus a Monaste-

nasteriis procul deambulationis causa in agros eant, & in propinquorum suorum domibus multum sæpe temporis agant, amicosque conveniant; quippe Superiores id illis facile permittunt, licet obstent Regulæ Decreta, & omnimodæ solitudinis habenda sit ratio. Ita illi inevitabilibus in mundi conversatione Diaboli laqueis objiciuntur, dum ea audire, loqui, videre coguntur, quorum ipsa recordatio ipsis interdicitur, quæve eorum pietatem tantum non labefactant, imo sæpius omnino disperdunt, & vocationis spiritum nulla reviviscendi spe reliqua in ipsis extinguunt.

Si Sæcularium occursus nullam ipsis sollicitudinem injicit in tam irregulari circumstantia, ubi non agitur nisi de oblectatione lusuque capiendis; minorem sane molestiam facessere illis deberet in actione regulari atque ad disciplinam pertinente. Sed huic qualicumque periculo obvium est tutissimum & ineluctabile remedium; nempe si intra Monasteria Monachi exerceantur, colendis hortis, aliaque manibus operando quæ artificibus aut operariis diurnis non nisi magnis sumptibus perficienda committuntur.

Ad elevandam laboris obligationem & hoc addit Tractatus Auctor, nempe *opus manuale minoris esse faciendum, quam cetera pietatis exercitia*. Pag. 111.

Quin res ita se habeat, dubitat nemo, Fratres mei; sed hic non quæritur ex duobus utrum eligendum sit, labor, an lectio, cum ambobus sua sint tempora singillatim dicata. Oratio somno anteferenda est, interim & dormiendi & orandi non desunt propria tempora.

S. Jo: Chrysostomi auctoritas in fine Capitis allata nihil probat. Sermonem habet Sanctus Doctor ad quemdam, qui culturæ viridarii sui unice intentus, lectionem omittebat, quæ agendi ratio reprehensione digna est. Huic vero malo obviam ire non est difficile, si diei horæ eo pacto distribuantur, prout paulo superius innuimus.

CAPUT XV.

De Traditione Studiorum in Monasteriis Orientis.

QUod scientiarum Studia in Monasteriis omni tempore obtinuerint, idoneis argumentis se demonstrasse ponit in hujus Capitis initio Tractatus Auctor; eaque Studia in Monasteriis Orientis cæpisse autumat. Nos vero oppositum hactenus vobis ostendimus, invictis rationibus defendentes, Studiorum exercitium inter Orientales Monachos minime viguisse. Neque est quod repetam jam dicta, ut pateat quæ fuerit circa Studia veterum Monachorum sententia; ex Regulis judicium peti potest quas ii reliquerunt, sententiam enim illorum hæ Regulæ exprimunt, testantur, atque declarant. Quandoquidem vero harum Regularum ne una quidem de Studiis meminit, nec habet quidquam unde colligi possit ea, inter exercitia a Monachis exculta, fuisse; sine erroris metu affirmandum est, studiorum exercitium illis ignotum fuisse: extraordinario autem consilio factum esse, ut eorum nonnulli scientia commendabiles redderentur; & in hac re illos a trita & communi via recessisse, aut spiritu Dei actos, aut proprio, quem sequi voluerunt: Quod dignosci potuit ex consequentiis; ex bono nimirum, aut malo, quod in Ecclesiam hac singulari agendi methodo contulerunt. Quemadmodum enim ex Monachis doctrina præstantibus quidam Ecclesiæ egregio fuerant exemplo; ita alii magno numero confusione & scandalo eam impleverunt scientia abutentes.

Itaque, Fratres mei, exempla quæ paginis 114. 115. 116. & 117. afferuntur, nihil aliud probant, nisi quod nonnulli docti Solitarii olim extiterint, doctrinæ nomine bene de Ecclesia meriti, uti S. Lucianus Monachus & Martyr, cujus Auctor mentionem habet. Sed unus quispiam illorum supra candelabrum positus nihil est, si cum decem millibus comparetur, qui sub modio latuerunt, hoc est in Claustris conclusi tamquam in Dei sinu, unde in quiete ac silentio scientiam Solitariis convenientem hauserunt, nempe illam, qua discitur Jesus Christus crucifixus, quæque ipsum imitandi & sequendi præcepta atque usum continet. Ab hac innumera divinorum virorum multitudine de statu & officio Monachorum judicandum est, non ab exiguo quorumdam numero, quos eligere & a ceteris segregare placitum est Deo, cui semper id familiare fuit, licet hodie rarius, quam primis Ecclesiæ sæculis.

Pag. 111. Primum quod affertur exemplum, S. Luciani est. Nulla ille scientia præditus fuisse traditur tunc cum mundo valedixit. In solitudine aliquantum temporis egit, moratusque est Edessæ in Meso-

sopo-

sopotamia, ubi Macarium divinas Scripturas sibi diligenter explicantem audivit; in quo Studio adeo magnum progressum fecit, ut Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter fuerit ordinatus. Docuit sacras litteras, in quibus sita erat omnis ejus scientia. Hoc exemplo nostra sententia confirmatur; semper enim nobis est visum, Monachos Sacram Paginam legendo & meditando præcipue occupatos esse debere.

Post hunc in medium adducitur S. Serapion, quem sane egregie litteratum fuisse, dubitare non possumus, cum ei Scholastici nomen fuerit adjectum, quo pacto indigitabantur ii qui litteris excellebant. Valde mihi fit probabile, has eum didicisse antequam in solitudinem se reciperet.

Deinceps commemoratur Flavianus, & Diodorus, Monachi Antiocheni, quorum uterque ad Episcopatum evecti fuere. Horum postremus Athenis studuerat, ibique scientias humanas didicerat.

S. Pachomius ex ordine in medium prodit. Nihil mirum, quod *Pag.* 114. in græco sermone edoceri voluerit; id quippe necesse ei fuit; nam cum variarum regionum & nationum homines, Græcos pariter ac alios populos in Monasterium suum admitteret, oportebat se ab illis intelligi, eosque vicissim intelligere ut eos institueret.

Ex iis, quæ de Ammonio referuntur, colligitur, eum Episcopum *Ibid.* extitisse, & a Præceptore, cui erudiendus Tabennis fuerat traditus, nihil aliud didicisse, quam Sacrarum Scripturarum scientiam. Id autem Auctoris scopo potius adversatur.

Orsiesius item S. Pachomii discipulus solam Scripturarum scien- *Ibid.* tiam callebat, in qua impense eruditus agnoscitur fuisse ex quibusdam illius sententiis, quas in Codice Regularum legimus. Hinc vero nostra roboratur opinio potius, quam infirmetur. Neque enim aliquid horum ad Studium scientiarum refertur, ad quas ut animum Solitarii adjiciant quovis pretio contendit Tractatus Auctor.

S. Basilius & S. Gregorius Nazianzenus Monachatum haudquaquam professi sunt, licet in solitudinem secesserint; adeoque eorum exempla ad hanc quæstionem non pertinent. Animadvertit Auctor, noluisse S. Basilium ut in puerorum institutione fabulæ aut prophanæ narrationes adhiberentur, sed ut Præceptores verbis ex historia & Scriptura Sacra petitis uterentur, præcepisse. Eumdem S. Basilium Scripturarum Studio intentum fuisse, & scribendis in Ecclesiæ ac Discipulorum suorum utilitatem Tractatibus operam dedisse dicit. Nihil in his est quod nostræ sententiæ non faveat; apparet enim totum ejus Studium circa Sacras Scripturas fuisse.

Aliquid se consequi putat Auctor dum memorat, S. Basilium præcipere, ut juniores alumni a Monachis provectis segregentur; ne scilicet isti (ut conjicitur) fragore, quem in puerorum quotidiana ad addiscendas scientias exercitatione exaudiri necesse est, excitentur aut disturbentur. S. Basilii textus hæc habet tantum-

modo:

modo: *Adolescentes segregentur*; idque in eum finem, ne strepitus, qui in puerorum gymnasiis vitari non potest, Monachorum quietem conturbet. Ibi porro de scientiis ne verbum quidem; sed de institutione juventutis unice sermo habetur, quatenus Religionis principia aut prima litterarum elementa iis tradi debuerint, quod ex verborum sententia, quibus utitur S. Basilius, perspicue cognoscimus: *ἐν τῇ μελέτῃ τῶν διδαγμάτων ἀναγκαίᾳ ὅσῃ τοῖς νέοις*.

Pag.115. *Solitarii Ægypti* (inquit Auctor) *varias persecutiones ob Catholicam fidem contra Arianos propugnandam sustinuerunt, cum imperium teneret Valens: Sanctus vero Jo: Chrysostomus & innumeri alii doctrina excelluere.*

Obsistentia Monachorum Ægyptiorum adversus Arianas persecutiones a stabili vivaque fide, quæ longe superat omnem scientiam omniaque argumenta, vires sumebat. Victos quandoque & inermes reddidere Tyrannos tria hæc verba: *Ego sum Christianus*; & Martyres qui longa oratione fidem defenderint, pauci memorantur. Quod a nobis superius est demonstratum exemplis S. Macarii Ægyptii, S. Macarii Alexandrini, & S. Theodosii, quibus innumeri præterea addi possent.

S. Jo: Chrysostomus, quem citat, ex albo Monachorum expungendus est, æque ac S. Gregorius Nazianzenus, & S. Basilius.
Pag.115. Auctor est Palladius, S. Jo: Chrysostomum pene insomnem biennium exegisse, totum Novum Testamentum memoriter didicisse, & vitæ Monasticæ Apologiam, ac librum de Compunctione ad Demetrium exarasse: Quid in his est non dignum Solitario, aut homine qui Solitarii vitam agat? Studia hujusmodi Monachis convenientia sunt; neque hic quidpiam perhibetur, quod ejus scientiæ vanitatem sapiat, a qua illos abstinere maxime fas esse putamus.

Pag.116. Quod spectat ad S. Epiphanium, vir ipse fuit plane mirabilis, & supra communem conditionem evectus, adeoque ex ejus inductione nihil sequitur.

Ibid. Quoad Nitriæ Solitarios, nemo est quin sciat, Origenis dogmata tunc fuisse vulgatoria; ejusque sectatores curæ habuisse, ut per totam Eremum disseminarentur. Origenis nomen in ore omnium erat, doctorum pariter ac indoctorum, Laicorum, & Monachorum; & in Monachorum sodalitio vel unus Monachus ounctis permovendis satis erat. Ac sane dici potest illos adeo fervido & impotenti animo in hac occasione fuisse, ut longius a moderatione abfuerint, quam viri hujus professionis maxime servare debent.

De Origenis erroribus quid dicemus, Fratres? Omnibus notum
Pag.117. est quam obstinata & inflexibilis quoad hoc Monachorum voluntas fuerit, quam illi nimiam de Origeniana doctrina existimationem foverint: Quasi instigatione quadam impelli visi sunt, cui

magna

magna pars succubuit. Non est profecto dubitandum quin satius facturi fuissent, si Episcopis negotium, cujus Monachos nihil interrat, excutiendum ac dirimendum reliquissent. Quis nescit, Monachos in Ecclesia non in hunc finem esse constitutos, ut dogmaticas controversias dirimant, sed ut aliis, quos Deus dedit judices & dispensatores Domus suæ, se humiliter subjiciant? Ne multa, quidquid in hoc negotio peractum est, enormi ac perturbatæ agendi rationi tribuimus, ex qua nulla fieri potest illatio.

Laudatur S. Isidorus Hospitalarius, quod fuerit in Scripturis Sacris versatissimus, & laus eadem Ammonio datur; nimirum uterque in ea scientia egregie fuit eruditus, quæ Monachis persamiliaris esse debet.

Palladii exemplum minime dignum erat ut proponeretur. Nempe fuit Palladius fluctuantis animi Monachus, qui locum & stationem crebro mutabat. S. Macarium novit, ex illius tamen admonitionibus nequaquam profecit; sed cum se Evagrio Pontico adjunxisset, una cum illo Origenianos errores propugnavit, & Pelagianis etiam subscripsit. Lausiaca, quam scripsit historia, haud sane eruditionis ejus eximium esse testimonium videtur; ea quæ sibi fuerant relata, vel quæ ipse viderat, tantummodo refert. Evagrius Ponticus haud multum ab illo moribus & ingenio ablusit, si ab Opere saltem, quod illi vulgo tribuitur, judicium capere velimus. Quidquid sit, si aliqua in hoc Monacho scientia fuit, sane illa abuti visus est, cum Origenianis erroribus patrocinaretur.

Nihil erat cur in medium adduceretur S. Ephræm Syrus, nam ex ejus quæ extant Operibus liquet omnino, eum scientiam Sanctorum unice calluisse, in Sacris nimirum Scripturis doctum, & morum puritate ac vitæ sanctimonia commendabilem fuisse. Quid mirum, Opera hujus Solitarii, qui sanctarum rerum doctrina maxime enituit, & cujus fuit absolutissima pietas, in quibusdam Ecclesiis publice fuisse lecta? De illo memoriæ proditum est, quamvis humanas non didicisset litteras, eum divinas in tantum callauisse, & sacra Dei eloquia adeo intellexisse, ut in illis, Spiritus Sancti opitulante præsidio, facile reperiret quomodo doctorum sæculi scientiam confunderet, & vanas hæreticorum argutias subverteret. Ex his omnibus patet, eum scivisse quæ Monachum scire fas est; & curæ illi fuisse, ut iis cognitionibus, quæ ad sui status officia pertinent, eruditionem suam terminaret. *Ibid.*

Tres deinde Auctor insignes Episcopos commemorat, S. Porphyrium Gazæ, S. Petrum Sebastæ, & S. Ascolum Thessalonicæ. *Pag. 118.* Quorum primus litteris quidem fuit eruditus, sed hanc eruditionem antequam de sæculo in Eremum se reciperet, acquisiverat; Sæculo autem valedixit quinque & viginti natus annos, & post longum vitæ tempus in solitario antri recessu juxta Jordanem exactæ renunciatus fuit Gazæ Episcopus. Eximia porro quæ in

Ecclesiam contulit beneficia, & felix Idololatrarum ad fidem conversio, ejus in officio perseverantiæ & morum sanctitati potiusquam doctrinæ accepta referenda sunt.

S. Petrum Sebastæ humanas litteras nullatenus calluisse, affirmari potest; nam ejus Soror S. Macrina, quæ erat ei matris & ducis loco, obstitit quominus litterarum studiis sese daret, quippe verebatur, ne fratris puritas hoc studii genere læderetur, ejusque animus affectus induerit plane contrarios iis, qui esse debent in homine ad summam pietatem tendente: Quod S. Basilio accidisse animadvertit sancta hæc ac prudens fœmina; nempe illum in tantam extulerant superbiam humanæ scientiæ, ut dignitates, munera atque Officia contemneret, & se illa possidentibus majorem existimaret. Nihilo tamen minus S. Petrus Sebastæ Episcopus Concilio Constantinopolitano summa cum laude interfuit, ac in eo præcipuus ipsi propter virtutem & sanctitatem honos est habitus; consiliumque ab illo licet inerudito ipsius Fratres sæpe exquirebant; eatenus, ut S. Gregorius Nyssenus Opus a se ad quorumdam hæreticorum confutationem, ac proprii fratris (cujus fama inique impetebatur) defensionem compositum edere in publicum noluerit prius, quam ipse S. Petrus illud recognosceret, & ad illud vulgandum hortaretur. Unde profecto compertum sit, iis temporibus magnum continuo extitisse Episcopum quicumque Scripturarum intelligens esset, perfectamque sanctitatem cum naturali perspicacia conjungeret.

S. Ascolus, cujus elogium in duabus Epistolis, quarum una ad Ecclesiam Thessalonicensem, altera ad S. Anycium mittitur, a S. Ambrosio confectum est, nihilo sane eruditione præstantior fuit, quam S. Petrus Sebastæ. De hoc sanctissimo Præsule quamvis ex animo loquatur D. Ambrosius, nec aliquid prætermittat, unde illius memoria commendaretur; quamvis denique varias dotes, quæ illi a Deo collatæ fuerant, distincte prorsus ac in nativo lumine collocet; nihil tamen de ejus doctrina, aut de ejus scientia commemorat.

Pag.119. Subdit Auctor, *unum S. Hieronymum, si in exemplum proponatur, satis esse ad probandum, licere Monachis Studio operam dare.*

Propositum nobis, Fratres, hic non est, ut sciamus, utrum Monachis studere liceat; eorum enim nonnullos fuisse olim qui ad scientias animum adplicuerunt, nihilque obstare quominus aliqui hodiedum illis sese dare possint, in dubium a nemine vocatur. Sed difficultas in hoc posita est, an Studium scientiarum ipsorum propria, ac statui Monastico conveniens exercitatio sit. Sancti vero Hieronymi exemplo, quatenus ad rem nostram, haud quidquam confi-

conficitur. Hic Ecclesiæ Doctor in solitudinem secessit quidem, haud tamen Monachus fuit, ut multi sentiunt, atque in ea sanctarum litterarum studio sese exercitavit, Deo illum ad illustrandam erudiendamque Ecclesiam doctrinæ suæ magnitudine, dirigente. Animadvertendum quoque est, fuisse eum Studiis accuratissime excultum antequam Sæculo se abdicaret; legendæ vero Sacræ Scripturæ in Eremo dumtaxat incubuisse.

Duo afferuntur tamquam maximi momenti objecta, nempe *quod S. Hieronymus transcribendorum Codicum artem inter Solitariorum officia & labores numeret; & ipsiusmet exemplum majus apud Monachos pondus habeat, quam ejus verba.* Pag. 119.

Ex primo objecto, Fratres, nihil sequitur, cum persamiliare & vulgatum maxime sit ab indoctis amanuensibus doctorum virorum Opera transcribi; cumque ad id sufficiat recta scriptura uti, apteque & concinne ducendis litterarum figuris manum factam ac dispositam habere, ut ad hoc laboris genus quis assumatur. Præterea nonne cuique obvium ac notum est, plerosque Typographos Latinos, Græcos, Hebræos, Arabicos libros imprimere, licet omnes has linguas omnino ignorent?

Quod secundo loco objicitur, nihilo accuratius est; si enim quid S. Bernardus de necessitate recessus & solitudinis Monachorum sentiret, ab ejus exemplo atque agendi ratione judicare velimus, continuo dixerimus Monachis vivendum esse in hominum commercio & societate potius, quam in separatione, & ab iisdem hominibus perpetua discessione. At ex iis quæ de solitudine scripsit, omnino illum aliter sensisse, & contrarium probasse, satis novimus. Idem, quatenus ad scientiam spectat, de S. Hieronymo dicendum est.

Utitur Auctor *Nestorii homiliis, Cassiani Operibus, Sanctorum Isidori Pelusiota & Nili scriptis, ad probandum, licere Monachis Studia colere.* Pag. 120.

Quæ de Nestorii homiliis dicuntur, Fratres mei, nihil omnino probant. An doctos esse Monachos oportuit, ut scirent enormem esse blasphemiam, si quis Sanctam Virginem non esse Dei Matrem credat aut affirmet? Econtra vero Solitudinis incolæ in crassa nimis atque adeo damnanda rerum omnium ignoratione versati fuissent, si eos tam apertus & cuique facile conspicuus error haudquaquam perculisset, neque ad noxiam fraudem repellendam excitasset.

De Cassiano alibi multa diximus, quæ, si lubet, denuo consu- Ibid.

 lere,

lere vobis, Fratres, integrum est. Sancti vero Isidorus & Nilus Monachi, peculiares atque ab aliis non tritas calcavere vias. Horum postremus cum de materiis Asceticis tantummodo scripserit, & discipulos suos ad legendum Novum Testamentum, Martyrum Acta, veterum Solitariorum sententias hortetur, proprii status fines egressus non est. Hæc sunt videlicet quæ & nos quotidie vobis inculcamus, quæque nihil cum amplis illis diffusisque scientiarum Studiis, quæ ab Auctore proponuntur, commune habent.

Pag. 122. *Marcum etiam Solitarium*, *S. Jo: Chrysostomi discipulum* commemorat Auctor.

Præter Tractatus Asceticos hujus Auctoris mihi quidem nihil aliud videre contigit; est vero valde credibile, quæ illi tribuuntur diversi argumenti Opera ipsius non esse.

Ibid. *Sufficit*, *quin ulterius per singula eamus*, *adnotare* (inquit Tractatus Auctor) *Orientales Episcopos illorum temporum vitam Monasticam ut plurimum professos fuisse*.

Solitarios magno numero e Monasteriis Orientis evocatos, ut ad Episcopatum eveherentur, fuisse, negare non possumus; sed & illud indubitatum est, omnem illorum scientiam in divinarum Scripturarum libris fuisse comprehensam, quos illi diligenter commentabantur, & quorum mysteria rimari solebant; ad veritates autem Scripturarum quibus animum imbuebant Traditiones sui temporis adjicientes, nonnisi his armis, ut adversus hostes Fidei pugnarent, utebantur. Et divini præterea verbi ministerio, ac vitæ sanctitate peccatores ad meliorem frugem convertere, hæreticos prosternere, omnesque inferorum potestates superare visi sunt.

Cujus rei certissima nobis testimonia præbet S. Theodosii Cœnobiarchæ vita: Qui cum humanas litteras, solitariam vitam amplexus, contempsisset, atque omnes Oratorum ac Philosophorum scientias, utpote illis indignas, quibus Jesum Christum sequi & amare propositum est, rejecisset; cum denique ex sola divinorum librorum lectione pabulum & delicias sibi comparare solitus esset; tanto decore in Orientali Ecclesia fulsit, & in tanta apud omnes existimatione fuit, ut postquam magnum Solitariorum numerum, qui se illi regendos tradiderant, coegisset, Monasteriorum Palæstinæ generalis Præpositus una cum S. Saba fuerit constitutus. Illud porro notatu maxime dignum est, plures ab eo discipulos doctrina imbutos, & egregie informatos fuisse, quo

Vit. ipsius.

Episco-

Episcopatu dignos Ecclesia postmodum judicavit, & ad primas sedes assumptos Ecclesiastica testatur historia.

Sed quam denique scientiam in his viris, qui ad tam sublimem dignitatem eligebantur, fuisse constat, nisi quam a proprio Doctore ac Patre hauserant atque didicerant? Quæ vero in illo scientia eminuit, nisi quæ Sanctos apta est informare? scientia videlicet Scripturarum, ex quarum penu omnem ille vigorem, omne lumen, atque omne vitæ consilium sumebat.

S. Alexander Carbonarius, qui ad Episcopatum evocatus fuit, quique omni a se rejecta varietate scientiarum quibus erat fortasse imbutus, sub vili abjectaque professione abditus, ab oculis hominum se subduxerat, quandiu in solitudine vixit non multum sane doctrinæ sibi comparavit. Aspebeth quoque, Saracenorum Episcopus renunciatus, nullam possidebat scientiam. Parthenius Episcopus Lampsacenus, filius fuerat cujusdam Diaconi, a quo cum prohibitus fuisset quominus humanis litteris studeret, ad sanctorum vero Librorum commentationem admoveretur, magnam eorum partem memoriter didicit. *Baron. an. 233.* *Vit. S. Euth. Niceph. l. 8. c. 42.*

Igitur pro certo, Fratres, velim habeatis, fucum sibi facere quisquis putat, cum de priscorum temporum Episcopo sermo fuit, agi de viro omni scientiarum genere exculto; dummodo enim illi Ecclesiæ Antistites divinas litteras callerent, necessaria ipsis scientia jam aderat: omnibus denique numeris absoluti habebantur, quoties Dei eloquia apte enunciare, opportune adhibere atque accommodare divino munere noverant; hujusve aptitudinis firmamentum in eorum sanctitate quasi in soliditate petræ positum erat.

Magnus ille Solitarius, Theodosius scilicet, Catholicam Fidem adversus Eutychianam impietatem propugnavit: Apostolica constantia restitit Imperatori, qui omnem lapidem moverat, & quolibet artificio usus erat, quo illum in suas partes traheret: in medio populi in Ecclesia Hierosolymitana protulit Anathema adversus illos, qui quatuor Œcumenicis Conciliis æque ac quatuor Evangeliis honorem ac reverentiam non haberent: omnes denique Eremi religiosos incolas in suam sententiam pertraxit: Tantus nihilominus vir, opere ac verbis adeo potens, nulla alia scientia præditus unquam fuit, nisi quam ex Sanctorum Voluminum lectione depromserat. *In Vit.*

S. Macarius Ægyptius, qui nullam Studiorum partem exegerat, Scetes Presbyter fuit constitutus, cum boum pastor ab adolescentia extitisset, & vix aliud sciret intelligeretque præter Sacram Scripturam. Fidem, ut ex historia discimus, non doctrina, sed sanctitate & orationum vi, invicte propemodum defendit.

S. Macedonius a S. Flaviano, qui eum non modo regendis Eremi Monasteriis, sed ut Ecclesiæ in Antiochiæ urbe serviret, jam destinaverat, Presbyter fuit ordinatus. Dici tamen non potest, ullam in eo eruditionem fuisse; postquam enim invitus ad Presbyteratum

ratum fuerat assumptus, ne sibi manus denuo imponerentur metuebat. Quapropter affirmare possumus, hanc illationem nequaquam esse accuratam, si quis dicat: *Solitarii ad Presbyteratum & Episcopatum eligebantur, ergo viri fuerunt impense eruditi.*

Pag. 123. & 124. Refert Auctor, *S. Nilum Calabriæ Solitarium privato colloquio cum docto quodam sapientique Monacho de Scripturis disputare solitum; atque hujus Monasterii Abbatem lectioni S. Gregorii Nazianzeni valde intentum fuisse, haud secus quam ipsum S. Nilum.*

Hujusmodi exempla sententiam nostram, Fratres, potius confirmant, quam oppugnent. Neque enim aliud a nobis dicitur, nisi quod Sacræ Paginæ Vet. & Novi Testamenti Monachorum lectioni, meditationi & colloquiis materiam præbere debent.

Nihil autem mirari subest, Operum S. Gregorii Nazianzeni lectioni Sanctum Nilum operam dedisse, convenientissime enim Monachi scripta legunt illius Ecclesiæ Doctoris, qui Monasticam professionem amavit, ac de ea passim honorifice & cum laude loquitur.

Totus porro hic Articulus, in quo de S. Nilo sermo habetur pag. 124. & peculiaris ac distincta exercitationum atque occupationum, quibus dies Monastici exigebantur, enumeratio, ad præsentem quæstionem nihil facere videntur.

Mentio hic quoque fit de exercitatione & studio exscribendi Codices, ut hinc inferamus, Solitarios ad scientiarum Studium animum adplicuisse. Cui argumento antea satisfecimus.

Sed & illud addam hoc loco, nostram sententiam hujus exercitationis consideratione roborari: apparet enim ex formula Orationis, qua utebantur Monachi, antequam ad scribendum se conferrent, nonnisi divina Volumina, ac Sacras Scripturas ab iis transcribi consuevisse. En ipsa formulæ verba, prout a R. P. D. Luca Dacherio in suis ad Abbatis Guiberti Opera annotationibus describuntur: *Benedicere digneris, Domine, hoc Scriptorium famulorum tuorum, & omnes inhabitantes in eo; Ut quidquid divinarum Scripturarum ab eis Lectum vel Scriptum fuerit, sensu capiant, opere perficiant, per Dominum nostrum, &c.* Vox *Lectum* ad Monachum legentem, sive dictantem; *Scriptum* vero ad scribentes refertur.

Ad

Ad vindicanda Monastica Studia subdit præterea Auctor, *Proclum elegisse Monachum quemdam humanioribus litteris valde eruditum, ut Solitariorum regimen a se in illum deponeret.* Pag.124.

Humaniorum litterarum scientia non impedit, quominus aliquis Monasticam vitam profiteatur, aut Monasterii Rector creetur. Valde credibile est, hunc Monachum, quem Proclus elegerat, has litteras didicisse antequam in Solitudinem secederet; atque affirmari potest non multum eas ad ipsius & Fratrum suorum sanctificationem contulisse. Denique ex hoc singulari exemplo regula haudquaquam surgit.

Tandem, Fratres, postquam ad omnes, quæ in medium allatæ sunt, difficultates, seu potius argumenta ad Studiorum necessitatem in Monasteriis Orientis demonstrandam adhibita singillatim respondi; dicam iterum quod superius attigi, si aliunde certo indicari potest quid in hac materia probandum sit, præcipue ex veteribus Regulis, atque ex iis quæ Scriptores vitæ Monachorum Orientis memoriæ prodiderunt circa diversas consuetudines, variaque exercitia, quibus status & professio veterum Monachorum constabant, potissima argumenta eruenda esse.

Quod ad Regulas attinet, ne una quidem illarum de scientiis loquitur, aut aliquid meminit, unde colligi possit Solitarios animum ad scientias adjecisse. Lectionis quidem officium perspicue inibi continetur; sed hæc Lectio nonnisi Sacrorum librorum erat: Quod ex sola Orientalium Regularum inspectione facile demonstrari potest, ut in progressu patebit. Lectioni & meditationi Monachorum præcipue Novum Testamentum ac Psalmi Davidis materiam subministrabant: exinde illi lumen, exinde scientiam & sanctitatem petebant; Deus illis sese communicabat per Sacrarum Scripturarum canales; humiles vero atque innoxii eorum animi, ab omni fastu atque ab omni humana gloria abhorrentes, existimationis & dignitatis minime cupidi, intra professionis suæ fines sese continentes, si quid ab ipsorum status sanctitate dissonum esset, ab eo prorsus abstinebant.

Nihil est autem facilius quam ut noscátur, utrum verum sit necne quod de his Regulis affirmamus: Licet Codices ipsos, qui in omnium manibus sunt, perlegere & assertum nostrum ipsis oculis comprobare.

S. Antonius Fratribus suis hæc præcipit: *Contristare noctu diuque pro peccato tuo. Accende lampadem tuam oleo oculorum tuorum, nempe lacrymis..... sollicitus esto de tribus hisce rebus perpetuo, nimirum de Opere manuum tuarum, de Meditatione tuorum Psalmorum, & de Oratione tua.* Reg. art. 25. Reg. art. 24. Art. 16. Cap. 11. 13. 17.

S. Isaias eodem disciplinæ spiritu agebatur, cum suaderet Fratribus suis, ut *seipsos cogerent ad fletum in orationibus*. Et alibi ait:

perpetuo tristis esto. Nullam vero aliam iis lectionem mandat, nisi libri Psalmorum.

Cap. 13. In Regula Sanctorum Patrum, Serapionis, utriusque Macarii, & Paphnucii, non nisi de Scriptura colloquia misceri in collationibus Monasticis permittitur: Ex quo liquet, eorum lectionem Voluminibus sacris fuisse conclusam.

Cap. 6. In alia Sanctorum Patrum ad Monachos Regula expresse jubetur: „ Cum ad Lectionem devenerint Fratres, sileant, & Sacras Scri„ pturas intelligere in primis curent.

Cap. 5. „ Rursus in alia ad Monachos Regula: A mane usque ad secun„ dam diei horam Fratres lectioni vacent; nulla vero ibi Studiorum mentio habetur.

Cap. 15. In Regula Sancti Macarii legitur, quod Monachi lectionis tempore in silentio maneant; & audiant attente Sacras Scripturas.

Epistol. Mac. ad Mon. In quadam ejusdem Sancti Macarii Epistola habetur hæc sententia: „ Monachus qui rerum hujus mundi haud quicquam possidet, post „ moderatum laborem, Orationi, & Lectioni vacare debet.

Cap. 28. 38. 122. 140. Regula Sancti Pachomii nullam aliam Lectionem præcipit, quam Sacrorum librorum, quorum studium & S. Orsiesius unice commendat.

Cap. 49. & 139. 60. In Regula Orientali Orationem Dominicam, & quosdam Psalmos, nulla Studii facta commemoratione, legi jubetur.

Cap. 51. Cap. 27. Cap. 15. Cap. 19. Cap. 7. Atque ut in Occidentem transeamus, Regula S. Pauli & S. Stephani de Studio litterarum ne verbum quidem habet: & a Regula Ferreoli divinarum Scripturarum lectio unice inculcatur: quemadmodum & S. Isidori, qui Fratribus suis permittit, ut de nonnullis quæstionibus Sacræ Scripturæ invicem conferendo, disputent.

Cap. 38. Regula Solitariorum ad divinorum librorum lectionem hortatur, ac expresse, ut alias adnotavimus, gentilium scripta legi vetat, ne forte voluptate ac delectatione quæ legendis fabulis ac figmentis Poetarum percipitur, malæ perturbationes in animo cieantur.

Reg. Cap. 75. Sanctus Benedictus suam hac de re voluntatem apertissime declarat, indicat enim nominatim & distincte quid legendo occupati esse debeant ipsius discipuli: nempe Sacras Scripturas, Vitas & Collationes Solitariorum, Ascetica Sancti Basilii, Tractatus Sanctorum Patrum super Scripturas. Quid porro sunt lectiones hujusmodi ad latissima illa & prophana litterarum Studia postea introducta, quæ illi nunquam aut probata, aut cognita fuisse, affirmare indubie possumus.

Regulæ S. Columbani, S. Stephani Grandimontensis, Vallis Umbrosæ, Carthusianorum, S. Victoris, Cisterciensium, Cœlestinorum, cum S. Benedicti Regula consentiunt. Atque hæc hactenus, ut Fundatorum sententia hac super re prorsus dignosceretur.

Quid vero senserint alii Sancti Patres, vobis innotescere potest, Fratres, ex iis quæ supra capite undecimo, de humaniorum litterarum

terarum studio differentes attulimus. Illic videre est, quo pacto Sancti Basilius, Hieronymus, Isidorus Pelusiota, Augustinus, Nilus, & Cassianus opinionem suam aperuerint; & quam longe abfuerint, ut prophanarum litterarum Studium Monachis convenire arbitrarentur. Quæ cum ita se habeant, cui non persuasum erit, sententiam, quæ hisce studiis patrocinatur, omnino rejiciendam, neque illi esse usquequaque fidendum?

Sancti Pachomii exemplum, in quo magnam argumentationis vim collocat Auctor, perinde ac si quam Sanctus iste Solitarius personam gessit, prima ac præcipua in Ecclesia fuisset, & suprema illi munera fuissent demandata, haud mihi quidquam probare videtur eorum, quæ ab Auctore proponuntur; quandoquidem maximum ejus officium in hoc denique positum erat, ut Religionis Christianæ elementa doceret Idololatras, sive quosdam accolas sui Monasterii, harum veritatum prorsus ignaros, sine quarum notitia æternam salutem consequi non poterant. Nempe id nihil aliud est, quam Catecheses agere, & documenta pietatis rudibus præbere.

Sanctus Theodorus illius discipulus, quem Græci *Sanctificatum* antonomastice nuncuparunt, se a mundi commercio segregavit antequam in Tabennarum Monasterio profiteretur, & se his Solitariis adjungeret; quorum moris erat de divinis Scripturis quotidie sub vesperam collationes habere. *Rosovei. de vit. Pat. p. 125.*

Eorum, qui de Monastico instituto verba fecere, nemo est, qui Studium in regularibus exercitiis, quibus solitarii occupari debent, aliquando numeraverit.

Sanctus Basilius ad Sanctum Gregorium Nazianzenum quibus rebus Solitarii exercerentur perscribens, Orationem, manuum laborem, divinarum Scripturarum meditationem unice commemorat; & de Studiis ne verbum quidem habet. Idem sanctus Pater in quodam Tractatu, cui titulus *de Institutione Monachorum*, in quo Solitario recta disciplina imbuendo præcipue intentus Regulas, juxta quas illi sit agendum describit, de Sacræ Paginæ lectione, de Oratione, de Opere manuali, & de officiis erga Fratres suos tantummodo verba facit. Vult, eum delectari audiendis asceticis sermonibus, atque abhorrere omnia colloquia, quibus res hujus mundi argumentum præbent. De scientiis ne verbum quidem in eo Tractatu legitur. In Epistola ad Chilonem ordinat atque disponit ejus officia; ac tantum abest, ut illi scientiarum Studia permittat, ut ne omnes quidem Scripturæ libros ab eo legi velit. In Epistola 411. qua universa Monachorum officia continentur nihil animadvertimus quod ad studia referatur.

Nihil in omnibus Sancti Gregorii Naziazeni Operibus scriptum intuemur, unde nobis quadantenus significetur, optimum visum illi fuisse, ut Monachi ad Studia intenti essent; quamvis ceteroquin ille de officiis, & regularibus exercitationibus Monachorum sæpius disputaverit.

S. Hie-

S. Hieronymus nullum Studii genus Solitariis præcipit, sed unice statuit, ut Sacrorum Voluminum lectioni vacent, atque ex iis omne solatium ducant. Eorum exercitia labore manuum & oratione circumscribit, Studium vero silentio præterit. De Sancto Hilarione in ejus vita talia refert. *Scripturas Sacras memoriter tenens, post Orationes & Psalmos, quasi Deo præsente recitabat.*

Sanctus Jo: Chrysostomus, qui sexcentis locis de solitariorum officiis loquitur, de eorum exercitationibus, & de vitæ illorum ratione, ne verbum quidem habet, ex quo aliquis suspicari possit, vel minimum temporis superfuisse illis ad Studia: quam vero ille animo sibi effinxit asceticæ vitæ rationem, nullatenus ad Studia refertur. De disciplina Ascetarum sui temporis mentionem habens, post matutinas preces & absolutum officium, ad legendas Sacras Scripturas denuo se conferre solitos ait: Ἐκεῖνοι δὲ πάλιν ἀρχὰς ὀρθινὰς ἐπιτελέσαντες καὶ ὕμνους, πρὸς τὴν τῶν γραφῶν ἀνάγνωσιν τρέπονται. (Hom. 14. in Cap. 5. 1. ad Timot.)

Cassianus, qui satis diffuse de Solitariorum vita, & eorum occupationibus verba fecit, nunquam inter eorum officia Studium litterarum numeravit; sed divinæ legis tantummodo meditationem, Sacræ Paginæ lectionem, Opus manuale atque Orationem.

Ruffinus in iis quæ reliquit vitæ Monachorum descriptionibus, Studii litterarii nullam facit mentionem, sed de silentio duntaxat, de Oratione, de meditatione, de manuali labore, & de Scripturæ Sacræ lectione loquitur.

(In Vit.) S. Euthimius cum morti proximus extrema Fratribus suis monita ad eorum vitæ rationem pertinentia dictaret, singula distincte officia, quæ ab ipsis peragi volebat, edisseruit, omissa prorsus Studii atque scientiarum commemoratione. In hac tamen circumstantia de Studiorum ratione dicendum ipsi erat, si studendi exercitium inter eorum officia numerasset, aut ad illorum sanctificationem necessarium fore credidisset.

S. Epiphanius ait, Monachos suorum temporum oratione, Psalmodia, manuali labore, sanctarum litterarum lectione occupari solitos: Ἐργασίας ἐργάζονται κατὰ τὴν ἑκάστου τέχνην, ἐν στόματι δὲ σχεδὸν πᾶσαν θείαν γραφὴν ἀπαγγέλουσιν. (Epiph. hæres. 80.)

S. Joannes Climacus, qui sanctitatis Scalam confecit, hoc est qui regulas & præcepta Solitariis dedit, quorum beneficio quasi per totidem gradus, ad omnimodam perfectionem evehi possent, de Studiis omnino silet: quæ res argumento est, illum ab ea sententia longius abfuisse, ut putaret Studia Solitariis prodesse. (Grad. 26. art. 36.) In sexto & vigesimo gradu hoc illis documentum præbet. „Sed & nostro sudore & labore, „ non solo verbo divina mandata addiscere curemus. Non enim „ verba, sed opera exitus nostri tempore ostendenda erunt.

In descriptione vero celeberrimi Monasterii prope Alexandriam siti, licet illud oculis subjiciat quasi typum absolutissimæ perfectionis, & nihil eorum prætermittat, quæ eximiam virtutis apud illos Mona-

Monachos ideam nobis ingerere poterant, de Studiorum ratione omnino silet.

Procopius describens Solitarios Montis Sinai, de Studio litterarum ne verbum quidem habet, cum quo S. Joannes Damascenus in egregia illa, excellenti ac pia instituti atque exercitationum Monasticarum hypotyposi plane consentit.

Lib. 2. de ædif. Justin. Histor. SS. Barl. & Jos. c. 12.

S. Augustinus, qui solitariorum sanctimoniam, ad confundendam Paganorum incredulitatem, atque hæreticorum perfidiam, tanquam argumentum quoddam adhibuit, nulla illis attribuit exercitia, præter manualem laborem, Orationem, Meditationem, & Scripturæ Sacræ lectionem.

De Morib. Eccl. c. 31.

In accurata illa & unctionis plena exercitationum veterum Solitariorum descriptione, quæ in Libro Imitationis JESU CHRISTI legitur, ne minimum quidem verbum occurrit circa Studia; e contra pluribus locis scientiarum vanitas ibi vituperatur.

Lib. 1. c. 19.

Quod in Sozomeni historia legimus, notatu maxime dignum est:
„ Per id temporis qui Monasticum vitæ genus excolebant, cum Ecclesiam maxime omnium illustrare, tum religionem Christianam
„ suis piis vivendi institutis magnopere dilatare visi sunt. Nam ta-
„ lis & tam sapiens vitæ ratio, ad homines a Deo tanquam res
„ plane utilissima delata, multiplicem scientiarum cognitionem, &
„ argutam disserendi subtilitatem, veluti rem supervacaneam, &
„ otium quod in præstantioribus Studiis ponendum est, sibi surri-
„ pientem, & ad vitam recte instituendam nihil afferentem adju-
„ menti, penitus contemnit: Solaque hæc naturali quodam & mi-
„ nime curioso prudentiæ genere docet ea quæ vel vitiositatem
„ omnino tollunt, vel vehementer diminuunt. Denique, &c.

Histor. Eccl. lib. 1. c. 12.

Denique, Fratres, si Studia scientiarum, propria & nativa Monachorum exercitatio fuissent; si multarum rerum ad suum statum minime pertinentium scientiam adipisci, & curiosæ lectioni vacare, aliquam illis utilitatem attulisset; fieri ne posset, ut S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Ephræm, S. Jo: Chrysostomus, S. Augustinus, S. Hieronymus, Cassianus, S. Nilus, S. Isidorus Pelusiota, totque alii Auctores, qui de vita, de exercitationibus, & de opere Monachorum scripsere, ea de re nihil meminerint; & quodammodo capita conserentes, ac penitus invicem consentientes, disciplinæ eam partem silentio præterierint, quæ adeo necessaria, tantique momenti esse hodie existimatur?

Hæc sunt satis, ut reor, ad probandum, scientiarum studia Solitariis Orientis tanquam ipsorum propria nequaquam visa fuisse; qui vero inter illos Studiis operam navarunt, a communi via aberrasse, & generali disciplinæ adversos in hac re fuisse. Superest jam, ut quæ ad Monachos Occidentis spectant deinceps expendamus.

C A-

CAPUT XVI.

Sequitur de Traditione apud Latinos.

Pag. 115. Affirmat Tractatus Auctor, *Ecclesiæ Latinæ Monasteria vestigiis Orientalium institisse.*

Constat quidem, Fratres, Institutionum Monasticarum in Ecclesia Latina maximam partem usui & præceptis Orientalium adhæsisse; atque illarum Auctores eodem loco habuisse sanctos Monachos qui ipsis præcesserant, quo Filii Parentes, discipuli Magistros habere solent. Ex quo fit, ut de Studio & scientiis non minus in Latinæ Ecclesiæ, quam in Græcæ Regulis mentio vix habeatur. Nempe quod a maximis illis viris, quos Deus ad constituendum in Ecclesia sua Ordinem Monasticum suscitavit, usurpatum olim fuerat, accommode imitati sunt; ac propterea quas illi scientias nihil fecerant, ipsi aliquo in pretio ducere noluerunt, neque earum usum apud eos laudarunt, quibus obscuram sanctamque vitam proponere debebant.

Exercitationum, quarum usu obtineri sanctitas posset, præcepta illis dedere; doctrinam vero prorsus negligentes, eas tantummodo cognitiones retinuerunt, quæ ad ipsorum institutum & professionem proprie referebantur, nimirum Sacras Scripturas, atque Opera Patrum, de quibus jam meminimus.

Quod si quis hæc explorata satis esse non putat, Regulas Latinas legat, ac suis ipse oculis deprehendet quæ mihi narranti credere recusat. Neque enim reor aliquem futurum, qui his verbis *Litteras discere* prout in nonnullis harum Regularum occurrunt, aliud significari velit, quam tirocinium puerorum, & prima sermonis Latini elementa. Quod si nonnulli, quod sæpe nobis obtruditur, Monachi inventi sunt, qui doctrinæ nomine inclaruerunt; ii (repetam enim quod alias dixi) regulas suæ professionis, ac fines proprii status egressi sunt. Haud porro æquum esset de officiis Monachorum aliquid statuere aut pronunciare, inspecto potius exiguo quorumdam numero, qui novas secuti sunt vias, quam aliorum innumera multitudine, qui intra sui status fines sese continuerunt. Quid prodest doctos viros undequaque colligere, & coacervare, in eum scilicet finem, ut eorum quasi quoddam corpus surgat magnæ molis, quod oculos feriat, ac persuadeat? Omnem operam Auctor abutitur, quandoquidem Solitarii doctrina & eruditione celebres si cum iis conferantur qui in obscuritate & oblivione vixerunt, perinde sunt ac rivuli ad Oceanum immensæ altitudinis atque extensionis.

Argu-

Argumento esse, ait Tractatus Auctor, *Monachos Adrumetinos animum ad scientias omnino adjunxisse, quod S. Augustinus Opera quædam Dogmatica ad illos miserit.* Pag.126.

Id mihi quidem, Fratres, haud recte colligi videtur. Sane verum est, S. Augustinum Libros suos de Gratia & libero Arbitrio ad Monachos Adrumetinos dirigere: sed Quæstiones de hac materia conflatæ eatenus vulgo percrebuerant; atque incendium, ut ita dicam, in Domo Dei excitatum, tam late patebat, ut a nemine ignoraretur. Irrequieta erat omnis Africæ regio; adeoque in hac circumstantia S. Augustinus id solum egit quod ab eo requirebatur, ut imperitos Monachos ab illusione defenderet, qui jam crassis erroribus manus dederant; quique falso opinati erant, transgressores mandatorum Dei non esse redarguendos; sed pro iis tantummodo orandum, ut eorum servandorum gratiam a Deo obtinerent. Itaque sanctus Hipponensis Antistes omnino suo muneri satisfecit, veritatem eos docens, cujus notitia ipsis necessaria erat.

Eodem hic pacto se gessit S. Augustinus, quo S. Cyrillus Alexandriæ Patriarcha, tunc cum Nestorius in Ægypti Solitudines impia Dogmata, quæ ipse procuderat, disseminare studeret. Postquam enim cœperat falsa hæc doctrina Solitarios vincere, Sanctum hunc virum vehementer commotum fuisse narrat Scriptor ejus Vitæ, *Vita Cyrilli.* propterea quod homines qui se Orationi dicaverant, quique simplicitatem profitebantur, hoc quæstionum genere jactari se paterentur, quæ nonnisi offendiculo infirmis animis esse poterant. Et se optare cum primis significavit, ut, si fieri posset, impediretur, quominus hi Solitarii his controversiis ullatenus sese immiscerent. Sed cum nimis jam res processisset, vulgataque esset, omnino necessarium esse putavit illos instructione munire: quod scripta ad eos Epistola perfecit, quæ & aliis quamplurimis usui postea fuit.

Licet hic animadvertere Sanctum Cyrillum scribentem ad Solitarios, simplices viros, Orationi dicatos, qui se hisce quæstionibus nequaquam immiscere debebant: Tales fuisse Monachos Adrumetinos omnino credendum est.

Idem Historicus auctor est, Sanctum Cyrillum, Episcopos & Monachos sapientia & virtute perfectos Nestorio opponere decrevisse, ut communem Ecclesiæ causam cum iis tutaretur. De scientia Monachorum nullum verbum faciens, de eorum sapientia & sanctitate tantummodo loquitur; in his enim omnis eorum scientia posita erat, & his solis armis uti consueverant, quoties ad patrocinandas Ecclesiæ partes vocabantur.

Quod de Juliano Pomerio allegatur ad quæstionem non facit. Nempe ille scripsit in solitudine, in quam se receperat cum Episcopatum demisisset. *Pag.126. L. 1. vit. contemp. c. 21.*

Pag. 127. Vult Auctor, *ex Monasteriis S. Martini apud Turonas & Lerinensi, unde pii pariter ac docti viri prodierunt, evidenter demonstrari Studiorum necessitatem.*

Quod ad primam harum Congregationum spectat, facile respondemus, numquam inter exercitia, quorum usus ibi obtinebat, scientiarum Studium numeratum fuisse. Et S. Sulpitius, qui ea singillatim descripsit, duo precipua tantummodo innuit, videlicet Laborem manualem, atque Orationem.

Quoad Monasterium vero Lerinense, S. Eucherius, qui de disciplina ibi servata accurate disseruit, nihil de scientia dixit; & in S. Honorati vita, quæ illustris hujus Sodalitii exercitia studiose commemorat, aperte adnotatur, Sanctum hunc virum aliud nihil habuisse in quo acquiesceret, præter Orationem & Psalmodiam. Docti quidem Monachi procul dubio in hac Sodalitate fuerunt; sed illud potissimum hic agitur ut sciamus primo, quo in loco operam Studiis dederint; deinde in quo sita esset eorum doctrina, ex qua adeo inclaruerunt. Ego enim reor, multum doctrinæ in eo Monacho, atque adeo in Ecclesiastico viro, quemcumque in Ecclesia gradum teneat, futurum, qui divinas Scripturas penitius intellexerit, atque ex Sanctorum Patrum, de quibus toties locuti sumus, Operibus, alia plura & gravia didicerit. Quod si aliqui eruditionem suam longius protulere, ampilioremque scientiam consecuti sunt; nullum dubium est, quin illi proprii status fines quoad hoc transilierint: Inde vero nihil colligi recte potest.

Pag. 129. Devenit Auctor ad Regulam S. Benedicti, atque ait, *eum quæ ab Antiquis Patribus in Oriente ac Occidente usurpata fuerant revocasse, a Regula vero, quam ipse constituit, Studiorum necessitatem omnino subintelligi.*

Luce clarius est, Fratres mei, S. Benedictum numquam sibi aut discipulis suis scientiarum Studium proposuisse; quod cuilibet ejus Regulam legenti ad oculum patet. Vitæ vero ejus historia, quomodo erga scientias & Studia litterarum affectus esset, his verbis declarat:

Greg. Prol. l. 2. Dialog. *Despectis litterarum Studiis, relicta domo, rebusque patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conversationis habitum quæsivit...... Recessit igitur scienter nescius, & sapienter indoctus.*

Illud sane indubitatum est, (repetam enim quod alias dixi) ut Studiis quis vacet, tempore opus esse: cum vero ad hoc discipulis suis S. Benedictus nullum tempus assignet, omnino affirmare debemus, eum nolle finem, quippe qui media non præstat.

Pag. 40. Tractatus Auctor neutiquam inficiatur, S. Benedictum binas tantummodo horas lectioni dicatas statuisse: quam quidem lectionem non respexisse Studia scientiarum fatendum insuper est; ne lectio-

nem

nem spiritualem, quam Regulæ omnes præcipiunt, & sine qua christianæ mentis vita sustineri ac foveri non potest, tunc defuisse dicamus. Duas hasce horas inter scientiam & pietatem partiri, perinde est ac neutram consequi velle; neque id in mentem venire unquam potuit illius hominis quem sapientia & Dei lumine plenum fuisse constat.

Cujus rei certissimam probationem in ejus Regula habetis, Fratres, quemadmodum de Monachorum lectione loquentes Capite decimo observavimus, atque ostendimus, omnes lectiones trifariam dispertitas, & earum nullam non spiritualem fuisse: quibus tamen Hæphtenus quartam addidit, nempe lectionem ipsius Regulæ, quæ fit in Capitulo post Primam. Itaque mera est animi aberrantis fictio, quod quis ex vera Sancti Benedicti sententia argumenta petat ad conciliandam Studiis auctoritatem. *Disquis. Monast. p. 248.*

Superioribus Capitulis affirmatum est, *Sancti Benedicti ævo gymnasia in Monasteriis fuisse.* *Pag. 129.*

Ad quod respondemus primo, Sanctum Benedictum tunc cum Studiis scientiarum & sæculo nuntium remisit, juvenilis adhuc ætatis fuisse: In solitudinem mox secessit; procedente tempore cuidam Monasterio præfuit, quo haud multo post relicto, duodecim Monasteria insuper ædificavit: Sed in iis Studia eum constituisse, nusquam traditur.

Secundo in gymnasiis, de quibus Auctor mentionem habet, pueros legendi atque scribendi rudimenta tantummodo posuisse. Aliqua etiam Linguæ latinæ cognitione imbui illos consuevisse nil vetat, nempe ut Divinum Officium recitare atque intelligere possent; quin & Religionis Christianæ principia iis tradi debuerunt, quæ plerique eorum, qui in Monasteria recipiebantur, ignorabant.

Tertio, sicubi hæc docendi facultas ad studia scientiarum nonnumquam producta est, id argumento esse, Sancti Benedicti Regulam non diu fuisse quoad omnia ubique servatam. Et revera S. Maurus, unus ex primis ac præcipuis ejus discipulis, statim ac in Gallias pervenit, hujus Regulæ disciplinam quoad multa eaque graviora capita immutavit, æquis procul dubio permotus rationibus, quemadmodum refert Petrus Venerabilis Cluniacensis. Alii eum imitari voluerunt. Porro ex his mutationibus & variationibus disciplinæ illud sequutum est; quod nempe relicta Regulæ littera, quæ quasi agger, & munimentum quoddam abusus & relaxationes arcere debebat, hac ope destituta pietas diutius stare non potuit; ac cito Religio in Claustris concidit. *Ep. 229. quæ est inter Ep. S. Bern.*

Ceterum quod ansam dedit erectioni harum Scholarum in Monasteriis ad populorum instructionem, fuit Collegiorum & Academiarum magnus illa ætate defectus; ita ut erudiendæ juventutis

cura

cura Monachis S. Benedicti demandari cæperit, quamquam ea nihil haberet cum eorum professione commune. Sola necessitas in causa fuit ut hæc illis provincia committeretur. At Monasticis Sodalitiis tantum absfuit ut ex hoc incæpto beneverteret, ut propterea in dissolutionem, disciplinæ remissionem, in magnam etiam inscitiam prolapsa sint, prout fidem facit omnimoda & generalis Monastici Ordinis defectio.

Sæculis quidem octavo, nono, & decimo, viri nonnulli in Monasteriis merito litterarum præ ceteris enituerunt, ut alias diximus; Vulgus autem Monachorum qui hanc exercitationem amplecti facile nequiverunt, & quibus manualis labor, (Studiorum enim obtentu abrogatus fuerat) quo se occuparent, jam deerat, immanes temporis lacunas offendit. Quapropter in otium atque omnes desidiosæ vitæ consectaneas labes projecti, sæcularium virorum, cum quibus communicare cæperunt, mores & habitus induere.

Denique Monachi in universum Sæculo octavo Latine scripta vix legere norant: ac proxime in sequenti Sæculo profligata passim hujus sanctæ professionis conditio visa est, uti alias animadvertimus. Studia itaque exiguum virorum numerum commendaverunt, & nomen illis atque existimationem conciliarunt; non obstiterunt tamen huic tam profundæ & omnimodæ ruinæ, quæ totam Ecclesiam confusione & scandalo replevit.

Desiderius Montis-Cassini Abbas, postea sub Victoris III. nomine Romanus Pontifex, omnino perspexerat, quatenus Scholæ Claustrorum pietati ac disciplinæ detrimento essent, cum Monasterium Montis-Cassini in rectum ordinem adducere volens, eas abrogavit ac penitus sustulit. Cujus consilium approbavit & laudibus extulit S. Petrus Damiani, quemadmodum ex iis quæ ad Desiderium super hanc rem scripsit, apparet: *Inter ceteros* (ait) *virtutum flores, quos in illo agro pleno, cui benedixit Dominus in Cassino-Monte, reperi, fateor hoc mihi non mediocriter placuit, quod ibi Scholas puerorum, qui sæpe rigorem sanctitatis enervant, non inveni.*

Petr. Dam. in lib. ad Desid.

Cluniacensis Ordo, in quo educationis puerorum tam sedula cura habebatur, ut illorum minimus liberalius ac diligentius institui vulgo diceretur, quam Regum filii in eorum Palatiis, educationem puerorum abdicavit sub Petro Venerabili Abbate, edito de industria in hanc rem Statuto trigesimo sexto, quod Hugo postea confirmavit, idque dubio procul easdem ob rationes, quas animadverterat S. Petrus Damiani.

Nihilo

Nihilo validiori argumento, quam præcedens fuerit, utitur Auctor, hæc inquiens: *Procul dubio Romanæ urbis Patritii & Senatores proprios natos ne cogitassent quidem Divo Benedicto offerre, nisi scientiis eos imbutum iri certo autumassent.* Pag. 19.

Econtra Fratres, Sancti Benedicti in Eremum secessus adeo omnium sermonibus percrebuerat, nota adeo universæ terræ erat illius strenua & Christiano viro digna rerum omnium abdicatio, omnium fortunarum atque humanarum scientiarum contemptus, scientiæ Sanctorum vacandi unice causa; ut in dubium vocari nequeat, quin felices se existimaverint vel nobilissimi Patres, cum proprios natos ad eum mitterent, ut eodem spiritu, iisdemque institutis imbuerentur, virtute potius quam scientia informarentur, denique ut Sancti verius quam Doctores evaderent. Et sane quomodo pueri doctrina & scientiis instituendi tradi potuerunt illi viro, qui religionis ac pietatis causa scientiam pedibus, ut ita dicam, protriverat, quive publice ignorantiam quasi profitebatur.

Nec ulli pariter dubium suboriri debet (inquit Tractatus Auctor) *num florerent Litteræ in Cœnobio Insulæ Barbaræ, cum Archiepiscopi Lugdunenses, ejus loci Abbates in Pœnitentiarios, & totius Diœceseos generales Vicarios sibi deligerent.* Pag. 128.

Quemadmodum doctos Monachos, quive muneribus hisce Ecclesiasticis præficerentur, alicubi olim fuisse non dubitamus; ita in hac re illos proprium statum & Regulam prætergressos esse, propemodum certi sumus. Et si ad causas & initia, quibus harum dignitatum collatio accepta referri debet, propius attenderemus, facile innotesceret, iis, quibus collatæ sunt, magis ignominiæ & pudori, quam utilitati & laudi fuisse. De hisce Juribus, Privilegiis, Præcedentiis idem judicium ferendum est, ac de Mitris, Annulis, aliisque Pontificalis cultus indumentis, quibus Abbates indui atque ornari consueverunt, quæ ab ambitione & libidine ceteris antecellendi, & altiorem sua professione gradum per alienæ signa dignitatis sibi vindicandi, ortum habuere. Quam agendi rationem S. Bernardus vituperatione dignam existimavit, improbavitque, cum ait, de suorum temporum Monachis loquens: *Utentes & ipsi more Pontificum Mitra, Annulo atque Sandalis.* Quibus & illa subjungit: *Sane si attenditur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret professio; si ministerium, solis liquet congrue Pontificibus.* Bern. de Offic. Episc. c. 9.

Præterire silentio non possum ea quæ scripsit Petrus Cantor Ecclesiæ Parisiensis, virtute & eruditione illustris, testimonium perhibens, quam fuerit S. Bernardus hujusmodi Privilegiis adversus. *Refertur & legitur*, ait ille, *Sanctus Bernardus, in zelum hujus enormitatis Privilegiorum & Exemptionis ab Ecclesia eradicandæ, multum affe-*

ctasse sedere in Sede Papatus per Triennium, propter tria maxime, scilicet propter revocandos Episcopos ad Metropolitanum suum, ut sub ejus jurisdictione militarent. Secundum erat, ne aliquis haberet in Ecclesia duas dignitates. Tertium, ne Monachus in Cella, vel alibi extra Conventum degeret. Hasce inordinationes S. Bernardo enormes & magnas visas fuisse sane oportuit, quandoquidem Pontificatum per Triennium tenere adeo vehementer cupiebat, ut tria hæc, quæ Petrus memorat, ab agro Ecclesiæ evelleret.

Nihil quod summopere verum non sit, ad vos, Fratres, affero, dum pro re comperta affirmo, a suis primordiis Monachos ad Ecclesiastica munera vocatos haudquaquam fuisse, quod ex quadam Traditione innotescit, ab illo usque tempore, postquam Patres de Solitariorum professione loqui cœperunt.

Epist. 8. Eorum statum inter Clerum & Populum medium obtinere docet Sanctus Dionysius. Et in libro de Hierarchia Ecclesiastica, Monachorum non esse, inquit, ut alios in Ecclesiam adducant; sed manendum illis esse intra semetipsos in sancto & solitario statu

Hierarch. Eccl. c. 6. τὴν μοναστικὴν τάξιν οὐκ εἶναι προσαγωγικὴν ἑτέρων, ἀλλ' ἐφ' ἑαυτῆς ἑστῶσαν ἐν μοναδικῇ καὶ ἱερᾷ στάσει.

C. 24. in vit. ipsius apud Rosvveid. S. Pachomius Monachos suos Sacerdotali gradu insigniri noluit: atque in Laura Sancti Sabæ nullos fuisse Presbyteros certum est.

Vit. c. 21. Art. 6. Art. 20. Sanctus Antonius quæ sua esset super hanc rem sententia, perspicue declaravit, cum Fratribus suis in Regula interdixit, *ne Sæcularibus ullo modo commiscerentur, & ne peterent Ecclesiam ad quam congregantur homines*, quod proprie facit Monachus cum catechizat, cum concionatur, cum populos docet.

Apparet ex Cassiani verbis, antiquos Patres tanquam de re gravissima Monachos admonuisse, ut Episcoporum æque ac mulierum consuetudinem evitarent; *neuter enim*, ajebant, *sinit Monachum, quem semel suæ familiaritati devinxerit, vel quieti cellulæ ulterius operam dare, vel divinæ Theoriæ per sanctarum rerum institutum purissimis oculis inhærere.* *Instit. l. 11. c. 17.* Hæc innuunt, Monacho fugiendas esse mulieres quidem, ne forte sollicitudinibus & curis implicetur, quæ viris silentio & solitudini dicatis minime conveniunt; Episcopos vero, ne forte ab his ad ministerium Ecclesiæ vocetur, & ne de suo statu extrahatur.

Tam multa de Sancti Hieronymi super hanc rem sententia dicta sunt, Fratres mei, ut jam memorata denuo inculcare inutile foret; nihilominus tamen quædam addemus loca, in quibus sanctus Doctor propriam opinionem confirmat Heliodoro, ut eum ad solitudinem quam reliquerat, regustandam provocet, ait: *Interpretare vocabulum* *Epist. ad Heliod.* *Monachi, hoc est nomen tuum. Quid facis in turba qui solus es?....... Alia Monachorum est causa, alia Clericorum. Clerici pascunt oves; Ego pascor. Illi de altari vivunt: mihi quasi infructuosæ arbori, securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero.... Mihi ante Presbyterum sedere non licet.* Et in quadam ad Rusticum epistola in-

la inquit: *Mihi oppidum carcer, & solitudo Paradisus est. Quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur?* Epist. ad Rust.

Ad Paulinum quoque scribens ait: *Si officium vis exercere Presbyteri, si Episcopatus te, vel opus, vel honor forte delectat, vive in Urbibus & Castellis, & aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ. Sin autem cupis esse, quod diceris,* Monachus, *idest,* solus: *Quid facis in Urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Habet unumquodque propositum principes suos...... Episcopi & Presbyteri habeant in exemplum Apostolos & Apostolicos viros; quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum: Nos autem habeamus propositi nostri principes, Paulos & Antonios, Julianos, Hilarionem, Macharios.* Epist. ad Paulin.

In quadam Sancti Leonis ad Maximum Archiepiscopum Antiochenum epistola, legitur hæc admonitio: *Illud quoque dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi jus docendi & prædicandi audeat vindicare, sive sit ille Monachus, sive sit Laicus, qui alicujus scientiæ nomine glorietur.* Et post pauca subdit: *Quia etsi optandum est, ut omnes Ecclesiæ filii, quæ recta & sana sunt, sapiant; non tamen permittendum est, ut quisquam extra sacerdotalem Ordinem constitutus, gradum sibi prædicatoris assumat; cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi Corpore & excellentiora membra suum Officium impleant, & inferiora superioribus non resultent.* Epist. 62. Ibid.

S.Stephanus Grandimontensis Monachos suos vetat Beneficia Curata, si quando ipsis oblata fuerint, accipere, aut Pastoralia munera obiri. Reg. c. 5.

Concilium Claromontanum anni 1095. Monachis Parœciarum administrationem, utpote eorum statui minime convenientem, adimit. *In Ecclesiis ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur.*

De Sancto Bernardo vulgatum apud omnes est, Fratres mei, visum illi fuisse, debere Monachos ab eo ministerio, quod ad ipsos non pertinet, & nihil cum eorum professione commune habet, se abstinere. Hæc ad illos verba dirigit: *Qua audacia, o Monachi, præsumitis, seu virium de vinea quam non plantastis, seu lac de grege quem non pascitis? quo pacto ibi exigitis, ubi nihil exhibetis? Certe si ita vultis; Baptizate nascentes, sepelite morientes, visitate jacentes, copulate nubentes, instituite rudes, corripite delinquentes, excommunicate contemnentes, absolvite resipiscentes, reconciliate pœnitentes: Et in medio denique Ecclesiæ aperiat os suum Monachus, cujus officium est sedere & tacere.* Bernard. Ep. 387.

Justus, Ordinis Cisterciensis Abbas, vir pietate, amore & cultu veritatis, sanctimoniæque Monasticæ illustris, Ordinis sui declinationem deplorans, causam in illud derivat, quod Monachi ex suæ professionis finibus temere egrederentur: *Dicite mihi,* exclamat, *cui contingat hoc in tempore Episcopari, & sæcularibus negotiis non implicari? Quod si impossibile vel difficillimum; quare conjungimus Pontificatum cum Manachatu, idest cum militia Dei? Quis hoc tempore utrumque valeat simul, & ponere manum suam in ambobus? Quis ambulabit ex* Premier esprit de Cist. 3. p. c. 2.

vobis cum igne devorante? ..... Qui tetigerit picem, ait Salomon, inquinabitur ab ea; & qui dissipat sepem mordebit eum coluber.

Quod si ad has omnes auctoritates accedat, quod de Canone Concilii Chalcedonensis, de Epistola Eugenj III. ad Cistertii Capitulum scripta, supra retulimus, quodque ex Gratiano citavimus, cuivis omnino persuasum erit, Monachorum propriam occupationem Studia non esse, sed eorum statui prorsus oppositam; pro exercitio viris in quiete Solitudinis victuris alieno semper habitas litteras fuisse; Quive iis operam dedere, communes Regulas quoad hoc prætergressos fuisse: alios quidem id pro lubito suo & sua voluntate fecisse, alios vero ex legitimæ jussu auctoritatis. Atque illud nos quoque facile concedimus, fore ut Ecclesia illos communibus hisce Regulis eximat, quoties sibi opportunum videbitur propter sibi utile ministerium, ac propter exemplum & instructionem populorum; quemadmodum ab ea pluries factitatum fuit, & præsertim in Monasterio Insulæ Barbaræ.

Hujus capitis quæ supersunt examinanda, nihil aliud continent, præter Monachorum Catalogum, qui scientias professi sunt, quive in Europa Litteras sustentarunt, & sartas tectas servarunt:

Enimvero constat, Fratres, neque negari potest, extitisse Monachos qui Studio operam dederunt, & summam consecuti sunt eruditionem. Sed animadvertendum simul est, illos contra priscarum Regularum præscripta egisse; Toto passim Oriente ignota in Monachatu scientiarum Studia fuisse; Sanctum Benedictum super eadem fundamenta ædificasse; atque in sua illum Regula Discipulis suis ne momentum quidem temporis assignare, quo ad Litterarum Studium incumbant; Omnia fere celebriora Instituta, in Ecclesia fundata, Sancti Patris vestigiis institisse.

S. Columbanus in sua Regula, & S. Stephanus Grandimontensis, de Studiis ne verbum quidem habent.

In Antiquis Carthusianorum Statutis, quorum Auctor est Guigo, non fit mentio nisi de Lectione sancta, sive spirituali.

Sed illud omnem dubitationem tollere videtur, quod Cisterciensis Ordo, sanctitate & amplitudine omnium celeberrimus, quotquot Sancti Benedicti profitentur Regulam, cujus hic Ordo, teste Sancto Bernardo, accuratam & rigorosam observationem continet, Studia scientiarum nec præceperit nec approbaverit. Neque enim in ea, quam proposuerunt ejus Institutores, temporum, exercitiorum atque occupationum distributione, Studia uspiam reperimus. Porro Sanctus Stephanus, Sanctus Bernardus, ac ceteri magni hujus Ordinis Fundatores, a Deo excitati sunt, quemadmodum apud omnes convenit, ut Sancti Benedicti spiritum reducerent, atque ut tam late diffusi, tam sancti olim Instituti, quod tunc omnino conciderat, ruinas sarcirent. Fatendum vero est, cum magni hi viri superno lumine collustrati, Studium litterarum inter Monachorum exercitationes haudquaquam collocaverint,

rint, id propterea factum, quod reipsa collocari non debuerat, neque in censum exercitiorum venire, quæ Sancti Benedicti animo obversata sunt, quæque ipse in Regula instituit.

Refert Gerson, Fratrem quemdam Cœlestinum uni ex suis Confratribus dicere solitum, Monasticam Observantiam, in qua degebant, non esse Theologiæ aut Philosophiæ Scholam, sed beatæ & Christianæ disciplinæ Academiam. *Non venisti*, ajebat ille, *ad doctrinam & sæcularis scientiæ vanitatem; sed ad disciplinam & humilis vitæ bonitatem. Linque quæstiones Scholasticis viris, quæ erudiunt intellectum, tibi satis sint regulares nostræ Observantiæ, quæ inflammare sufficiunt nostrum affectum.* *Apol. sive Resp. ad quendam Monach.*

Quod si recentiorum temporum Monasticæ Reformationes, veluti Bursfeldiensis apud Germanos, Sanctæ Justinæ apud Italos, Sancti Vitoni, & Sancti Mauri apud Gallos, Studia invexerunt; id ab illis factum dicimus, quod ad primitivam simplicitatem evehi non potuerint, neque in animum induxerint manuale opus revocare, quod omnes Regulæ ac præsertim Benedictina tam enixe præceperant. Laboris exercitium vile est per se, humile & contemptibile; pudori & fastidio plerisque esse solet, paucis voluptati & delectationi, quam ingenuus humilitatis amor, abjectio animi, & pœnitentia afferre possunt.

Longa denique Scholarum & Lycæorum series ab Auctore Tractatus digesta, vel si prolixior fuerit, Monachos litteris studuisse quidem probat, studere autem debuisse non probat. Legis ipsius substantiam exempla non lædunt: neve hic quærimus, quid illi fecerint, sed quid facere debuerint. Exemplo fit manualis labor, qui olim in desuetudinem abiit, & a quo plures Monachos sese exemisse, idoneis Traditionis momentis ostendi potest. An ideo hoc exercitium Regulæ caput præcipuum ac necessarium esse desivisse quis dixerit? Ne multa; *legi communi, & universali singulares personæ, vel causæ non præjudicant: nihil valet exemplorum inductio, ubi neque personarum, neque negotiorum similitudo consequitur*, inquit Fulbertus Episcopus Carnutensis. *Epist.61.*

Magnam argumenti vim Auctor in eo collocat, quod *Monasteria adiri consueverint, ut inde Monachi extraherentur ad præcipuas dignitates evehendi, & in Ecclesiæ sedibus constituendi, quorum exaltationi ipsorum scientia æque ac virtus occasionem præbuit.* *Pag.130.*

Tria ad id respondere possumus, Fratres: Primum quidem, sanctitati vitæ magis quam scientiæ harum dignitatum collationem acceptam referri debere, quod a nobis jam demonstratum est.

Alterum vero, ad summos Ecclesiæ gradus obtinendos aptum olim fuisse, quisquis divinas Scripturas callebat, eas explicare sufficiens, illarum mysteria rimari, rerum eventis easdem

accommodare, earumque documenta & veritates populis tradere.

Tertium denique, ad Episcopatum nonnunquam assumptos, qui modice eruditi erant, ut ex multis exemplis liquet. S. Martinus litterarum valde rudis, sui ævi maximus Episcopus fuit: *Litteras Martinus ignorat; sed hic fatuus, & imperitus perditas trium mortuorum animas ab Inferis revocat;* inquit S. Petrus Damiani.

Ep. 17. ad Ar. Mon. Trith. Chron. Hirsaug. an. 970. Ep. 79.

De Richardo sancti Germani Monacho memoriæ proditum est, virum licet simplicem & scientiæ ignarum, Antisiodorensem Episcopum fuisse, & suam nihilo minus plebem instruxisse non doctrina aut eloquentia, sed sanctitate, zelo Religionis, bonæque vitæ exemplo.

Lupus Ferrarium Abbas ad Rotramum scribens, rogat eum, ut apud Hincmarum Remensem Archiepiscopum enixe faciat pro Hilmerado, qui ad Ambiani Episcopatum fuerat nominatus, & de quo sic loquitur: *Etsi plane non potest docere instituta divina, poterit tamen facere, unde & ipse, & eum sequentes efficiantur æternæ salutis capaces.*

Vit. S. Eduardi. Præsul ille, quem Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus ignominiose deposuit, non multæ quidem eruditionis vir erat, nec pari cum Lanfranco doctrina pollebat; simplicitate tamen & sanctimonia laudabilior fuit. Neque propter suam illum inscitiam Deo minus charum fuisse dicendum est, siquidem miraculo divinitus erectus atque defensus, oppressorem Antistitem confusione resperſit. En facti historia.

Sancto Eduardo Angliæ Rege vita functo, Lanfrancus, S. Benedicti Abbas & Monachus, Cantuariæque Archiepiscopus publice in Episcoporum Synodo Wlstandum Præsulem deposuit, idque eo prætextu, quod litteraturæ insufficientia & sermonis imperitia minus eum hoc gradu dignum redderet. Cumque jussisset eum baculum Pastoralem resignare, & ab officio decedere, vir Dei nec vultu mutatus, nec animo statim paruit, & sincere fassus, se quod huic muneri ineptum noverat, facile ejus sententiæ cedere, recta inde petiit ad tumulum S. Eduardi, & stans ante sepulcrum dixit, quasi vivum hominem alloqueretur: *Tu scis Domine mi, quam invitus hoc onus susceperim, quoties subterfugerim, quoties me, cum quærerer, absentaverim..... Sed tu me coegisti..... Et ecce novus Rex, nova lex, novus Pontifex nova jura condunt, novas sententias promulgant. Te erroris arguunt, qui jussisti: me præsumptionis, qui consensi.... Non igitur illis, qui exigunt quod non dederunt; qui cum sint homines, fallere possunt & falli; sed tibi, qui dedisti, & jam deductus in ipsam veritatem, ignorantiæ vel erroris tenebras evasisti, tibi resigno baculum, tibi curam eorum quos mihi commendasti, dimitto.* Hæc cum dixisset, elevata paululum manu, in lapidem, quo sanctum corpus tegebatur, baculum infixit, dicens: *Accipe Domine mi Rex, & cui libuerit trade illum.*

illum. Et exutus Pontificalibus, inter Monachos ipse jam Monachus simplex resedit.

Admirabantur omnes, cernentes virgam lapidi immersam, & quasi radicibus uteretur, non moveri; tunc vero magis, cum unus Episcoporum illius Synodi tentans nullatenus baculum a tumulo avellere potuit, & Lanfrancus ipse manum frustra ad illum eruendum apposuit. Itaque Wlstandus victus precum instantia ab iis, qui se adeo contempserant, virgam manu tetigit, quæ mox ejus manum secuta est, quod omnibus illius sanctitatem persuasit. Posteris vero hinc discendum est, de hominum meritis aliter Deum judicare, aliter homines; & non scientiæ altitudinem, neque litteraturam Episcopos commendatione dignos reddere, sed eorum potius vitæ simplicitatem & Sanctitatem.

Ex hisce argumentis colligere nolim, Fratres, doctrinam Episcopis non convenire (vult enim S. Paulus eos esse Doctores) aut non esse iis laborandum, ut ea cognoscant, quæ ipsorum dignitas & gradus, cujus functiones tam amplæ, tamque sublimes sunt, omnino postulat. Sed ne inferri quidem velim, oportere doctos esse Monachos, eo quod aliqui eorum quandoque extra ordinem ad Episcopatum evecti fuerint. *Ep. 1. ad Tim. c. 3. v. 2.*

Denique parum refert, verumne sit, annon, Monachorum ad dignitates elationem deberi eorum scientiæ æque ac eorum virtuti: Nostris quippe temporibus omnes rationes, quibus Monachi ad acquirendas scientias olim duci potuerunt, desivisse; neque amplius locum habere, facile affirmabimus. Nihil hodie jam obstat, quominus Regularum veritatem atque integritatem revocent, exercitationemque deponant, quæ professionis Monasticæ simplicitati nullatenus respondet, quævе una potest spiritum & sanctitatem Patrum in ipsis extinguere. Ajo desivisse rationes; quandoquidem prostant ubique Universitates & Academiæ omnis generis scientiarum: Populi, sive quoad humanas, sive quoad divinas Litteras instructione non carent: Scholæ Theologicæ nunquam celebriores aut floridiores fuerunt. Occurrunt passim docti Ecclesiastici; auctus est Seminariorum numerus; Ecclesiastica scientia imbuendi viros sedula viget cura; Annunciatur Verbum Dei ab illis, quorum proprium est hoc ministerium, sive summi Pastores per se id faciant, sive alios delegent ad id muneris ex instituto designatos; seu denique Regulares illos vocent, qui cum solitariæ vitæ haudquaquam sint mancipati ritu Monachorum, ad hæc munia obeunda aptiores videntur.

Quod ad Ecclesiasticas dignitates attinet, nulla de hoc jam habenda est ratio. Monachi in suis Monasteriis hodie relinquuntur, nec vim illis fieri cernimus, ut inde exeant; vix tres vel quatuor ipsorum unius sæculi decursu ad primas sedes evecti reperiuntur.

Itaque dum Monachi suæ professionis amore, quatenus illis fas est, ducentur; dum simplicitatem cum ea prorsus conjunctam ma-

gni æstimabunt; dum Institutorum spiritum revocare ex animo volent; dum vanitatem & superbiam, fidas fere doctrinæ & scientiæ comites, horrebunt; dum sacram denique solitudinis quietem, perturbationi & distractioni, quas litterarum amor parit, anteponent; nihil jam eorum consilio ingrediendi vias Patrum obsistet; integrum ipsis erit Regulis, quas illi tradidere, congruenter agere, pias exercitationes post tot sæcula intermissas rursus amplecti: Tuncque per vivendi modum, qui novus in oculis hominum videbitur, amissam veterem existimationem recuperabunt; bono, ut olim, exemplo Ecclesiæ erunt, tam felix denique rerum mutatio in gloriam & sanctificationem Christiani nominis cedet.



RESPONSIO AD TRACTATUM DE STUDIIS MONASTICIS.

PARS SECUNDA

CAPUT PRIMUM.

Quod eadem quæ Ecclesiasticos Studia Monachos decent. Pag. 139.



OLITARIORUM scientiam aliam debere esse a scientia Clericorum, cum utrorumque sit diversa conditio, dubitari non potest. Et quamvis utrique ad eundem finem respiciant, eandemque felicitatem sibi proponant, ad Deum scilicet ire, & illi sese, Mediatore JESU CHRISTO, conjungere; non eadem tamen esse media, quibus ad consequendum hunc finem uti debent, omnibus compertum est.

Verum ut sciamus, quid harum conditionum cuilibet sit proprium & peculiare, eas invicem conferentem audire juvabit Sanctum Ambrosium. *Ista* (nempe Clericorum) ait Sanctus Doctor, *ad comitatem & mortalitatem disciplina, illa* (nempe Monachorum) *ad abstinentiam assuefacta atque patientiam. Hæc velut in quodam theatro, illa in secreto. Spectatur ista, illa absconditur.... Hæc ergo vita in stadio, illa in spelunca. Hæc adversum confusionem Sæculi, illa adversus carnis appetentiam. Hæc subjiciens, illa refugiens corporis voluptates. Hæc gratior, illa tutior. Hæc se ipsam regens, illa semetipsam coercens. Utraque tamen se abnegans, ut fiat Christi, quia perfectis dictum est:* Qui vult venire post me, abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me..... *Hæc ergo dimicat, illa vero se removet. Hæc illecebras vincit, illa refugit. Huic mundus triumphatur, illi exultat. Huic mundus crucifigitur, vel ipsa mundo, illi ignoratur. Huic plura tentamenta, & ideo major victoria; illi infrequentior lapsus, facilior custodia.* Ep. 82.

Nemo est, qui duo hæc vitæ instituta notis adeo peculiaribus, atque-

atque, ut ita dicam, oppositis inter se distincta, propriis & certis notitiis indigere non putet; ita ut quæ uni conveniunt, alteri sint prorsus alienæ. Clericorum officium est loqui, Monachorum tacere. Illis in populorum societate, istis seorsim & secreto vivere obtigit. Illi ad Proximi reformationem per instituta ac monita doctrinæ, isti per gemitus & orationes incumbunt. Clerici Verbum Dei in publicis Ecclesiis annunciant, Monachi in Solitudinis abdito meditantur. Illi nonnihil de austeritate vitæ remittunt propter eos, cum quibus ex superna dispositione sociantur; isti eumdem pœnitentiæ gradum jugiter servant, cum nulla ratio suppetat eandem intermittendi, donec in solitudine fideliter manent.

Hoc innixi fundamento audacter pronunciamus, Solitariorum studia ejusmodi esse debere, ut per ea quidquid ab hominibus Votorum nexu sibi obstrictis Deus exigit, discere, in omnibus quæ indicavimus, regularibus exercitiis roborari, & lumen sensumque, quo indigent, accipere, ut monstratas sibi vias firmo ac stabili gressu calcare possint.

Cui vero non liquet, eas tantummodo lectiones ipsis prodesse posse, quæ de eorum officiis, quatenus ad *Christianos* seu quatenus ad Monachos pertinet, meminere? Ea porro sunt, in humilitate, in paupertate, in jejunio, in silentio, in recessu, in simplicitate, in obedientia & mortificatione spiritus & carnis vivere. Omnem denique vitæ rationem JESU CHRISTI exemplo componere, ejusdemque documentis, quæ iis quos vocat & ad omnimodam perfectionem e Claustrorum gremio evehit, ab ipso sunt tradita. Hæc est videlicet propria Solitariorum scientia; Libri vero, quibus ea continetur, in ipsorum manibus jugiter esse debent.

Porro frustra quis dixerit, Studia juxta variam Monasteriorum conditionem, juxtaque singulorum Monachorum capacitatem, ordinanda esse; statui enim Monastico in universum, si ad ejus originem spectes, eadem officia proposita sunt, nempe illa, quæ mox recensuimus, omnibus qui hunc statum amplexi sunt pariter communia.

Hæc officia, quæ generatim ad omnes pertinent, eludere atque infirmare videtur, quisquis autumat, aliquas esse Communitates, quæ propter munera & prærogativas, quibus in Ecclesia gaudent, secernendæ a reliquis sunt. Ac sane præcipua & necessaria disciplinæ capita Privilegiorum obtentu a quibusdam Monasteriis ablegare, incongruum est: Quid enim vetat munia his Privilegiis adnexa obire iis lectionibus eruditos, quas Monasticæ professionis proprias esse judicavimus; quin ea legere aut discere necesse sit, quæ Monachis haudquaquam conveniunt, quæve, si ab iis legantur, omnem simplicitatis, solitudinis, paupertatis, humilitatis & mortificationis sensum gustumque omnino ipsis necessarium abolere valent?

Si ve-

Si vero contingat, quod nobis persuadere nititur Auctor, latiorem scientiam requiri; præstat res in pristinum statum reducere, hasce Prærogativas & Prælationes deponere, & Pastoribus Ecclesiasticis quæ sua sunt, quæve a Monachis nullo jure possessa usurpari credunt, reddere; quam fungi muneribus, ex quibus perennis distractionum origo surgit, tum propter societatem cum sæcularibus hominibus, tum quod jurgiis, litibus, & negotiis materiam præbeant; unde Monachi ex Solitudine abire, eaque non sine publica offensione discere coguntur, quæ ignorare toto vitæ suæ tempore debebant.

Cognitiones, quas ex libris, quorum lectio Monachis permittitur, haurire licet, illis sufficere posse ajo, qui specie munerum Ecclesiasticorum, de quibus modo meminimus, majorem scientiam postulant. Munera hæc enim cum alia esse non possint, quam prædicare, & confessiones audire; ut horum utrumque rite Monachus exequatur, affatim subsidiorum ex Sacris Scripturis, atque ex Libris Patrum eum sibi comparaturum putamus. Ne multa; quis ambigit, eas lectiones, quas Monachis concedimus, omnem, qua egere poterunt, doctrinam ipsis conferre, nisi de munere agatur Judicis Ecclesiastici; quod adeo singulare atque infrequens est, ut nihil probet, & nostram sententiam non lædat.

Atque ut vobis omnino compertum sit, quid & quatenus Monachi legere debeant, aut possint, libros nominatim subjiciam; nempe Sacram Scripturam, Libellum de Imitatione Jesu-Christi, Opera S. Basilii, Vitas antiquorum Monachorum, Acta Martyrum, Collationes & Institutiones Cassiani, Scripta Sanctorum, Ephræmi, Nili, Isidori Pelusiotæ, Joannis Climaci, Dorothei, Homilias Sancti Jo: Chrysostomi, Sancti Augustini Enarrationes in Psalmos, Scripta S. Hieronymi, Homilias Sancti Gregorii, Lucubrationes Sanctæ Theresiæ, Sancti Francisci Salesii, eas præsertim quæ de professione religiosa tractant: Omnes Christianæ pietatis & doctrinæ tractatus, qui nostris temporibus conscripti sunt, Rodriguezii, & P. S. Jure, Specimina moralis disciplinæ in Epistolas atque Evangelia totius anni; His accedant in iis quæ ad regimen & ad Casus Conscientiæ spectant, Collationes Ecclesiasticæ, quæ factæ sunt in Diœcesibus Gratianopolitana, Luciocensi, Petrocoricensi &c.

Nunquid cum aliqua veri specie quispiam dixerit, satis id librorum non esse, non modo ut quæ scire debent Monachi percipiant, verum etiam ut ad majorem quam ipsorum status postulet, eruditionem assurgant? Denique ne ipsi quidem Sancti Patres Jo: Chrysostomus, Augustinus tantum subsidiorum habuerunt; qui tamen summo cum fructu, atque omnium laude suo ministerio defuncti sunt.

Agendi autem ratio, qua singulorum ingenia spectantur, & uniuscujusque capacitas expenditur, multa eget circumspectione & cu-

& cura. Quamvis enim, ut diximus, verum sit, nonnunquam naturales dotes excoli posse; cavendum est, ne in hac re proprii fines instituti transeantur; nisi evidenter pateat, Deum propter gloriam suam, & propter Ecclesiæ utilitatem hoc a nobis petere. Ubi hæc Dei voluntas haud clare manifestatur, neque congrua certitudine deprehenditur, licet quandoque aliquem Monachum ita dirigere, ut accuratius cæteris ea, quæ suo instituto conveniunt, edoceatur, modo intra fines suæ professionis subsistat; licet ei librorum majorem copiam, & plura Studiorum subsidia suppeditare, ut deinceps alios, si id necesse esse videatur, aut verbo aut scriptis erudire valeat.

Sed fere usuvenit, has dotes ingenii, & peculiares aptitudines, quibus homines alii aliis præstant, a Deo quibusdam conferri in eum fortasse finem, ut eas abdicent, pedibus proterant, & quasi tentamenta putent, atque obices perfectionis, ad quam contendere debent, ut de iis denique ceu quoddam sacrificium offerant Deo, quemadmodum de fortunæ bonis, quæ cum ipsius Dei servitio per sacram Votorum nuncupationem sese manciparent, perpetuo ablegaverunt. Idipsum Sancti Arsenius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, summo cæteroquin ingenio viri, tunc factitarunt, cum se in Solitudinem reciperent; idipsum & S. Benedictum, cujus vos Imitatores esse debetis, quemadmodum filii estis, fecisse, omnes norunt.

Haud igitur prorsus tuto quis dixerit, Monachos juxta diversas singulorum capacitates Studiis admovendos esse? & nisi admodum prudenter & caute hæc ratio ineatur, maximis incommodis obnoxii reddentur: Cujus rei sexcenta occurrunt exempla, & nos quoque magnum eorum numerum in medium adducere possemus, eaque non præteriti temporis, sed recentissima.

Pag.141. *Omni ævo*, inquit Auctor, *eadem prorsus Studia Regularibus permissa fuerunt, quæ cuique pio & Ecclesiastico viro possunt congruere.*

Id quidem in Regula Sancti Benedicti nemo deprehendet; nisi forte Sacrarum Scripturarum, & Patrum, quatenus ad earum intelligentiam conducit, lectio, pro Ecclesiasticorum Studio significetur. Nullam præter hanc Sanctus Benedictus lectionem concessit omnibus indistincte Fratribus, sive sint Presbyteri, sive non. Cum vero Auctor Tractatus de Studiis, scientiam Ecclesiasticorum tam arctis finibus nequaquam concludat, sed ampliorem longe velit; Ecclesiasticorum Studia, qualia ipse censet, Solitariis non conveni-
Pag.141. re, affirmandum est. Verbis ex oratione parænetica Sancto Athanasio attributa citatis, oppositum non probatur: Nihil enim aliud *Canonica monumenta* significant, quam Scripturarum Canonicarum Volumina.

Olim

Olim unicum Ecclesiasticorum Studium ad Sacræ Paginæ intelligentiam, Sanctorum Patrum, ac Conciliorum lectionem redigebatur. Pag.141.

Hoc loco Auctor aliquid addit ad scientiam, quam in Ecclesiasticis requiri initio Operis protestatus est, inquiens : „ Esset pro- Pag. 7.
„ fecto quod miraremur, si Scripturarum Sanctarum Studium, in
„ quo tunc temporis tota consistebat Ecclesiasticorum scientia,
„ Monachi abdicassent. Si in eadem ille sententia stetisset, ei facile adstipularer, & scientiam Clericorum non aliam, quam Monachorum debere esse cum ipso affirmarem. Sed cum hic ad Conciliorum, immo & Canonum, ut alibi oblitus quæ antea dixerat, atque Historiæ Ecclesiasticæ lectionem transeat; animadvertendum prorsus est, nimium illis, & supra quam eorum ferat conditio, permitti, extra præscriptos a Patribus fines ipsos educi, atque in itinera periculose deferri, quæ ignota sibi esse deberent. Ut breviter dicam, vel hic loci Auctor Ecclesiasticis amplius tribuit, quam ad ipsos spectet, vel Operis initio ejus quod debebatur partem aliquam ipsis sustulit.

Quid ego de hac re sentiam, si quis petat; dicam, Fratres, mihi videri, profundam atque exquisitam Conciliorum & Patrum lectionem Ecclesiasticis viris convenire quidem, sed absolute illis necessariam non esse; quovis tempore nonnullos eorum extitisse, qui sine hoc adminiculo, atque hujus Studii expertes, ad magnæ virtutis fastigium evecti, in sanctitatis viam, quam ipsi inierant, alios perduxere; hujusmodi viros nostris quoque temporibus non deesse, nec umquam defuturos.

Ita visum & pio Sacerdoti Avila, qui cum ad quendam Ecclesiasticum de Clericalis vitæ ratione scriberet, lectionem quæ illi magis conveniret, esse inquit divinarum Scripturarum, novi Tementi, ejus Libri cui titulus *Contemptor mundi*, Cassiani, Sancti Joannis Climaci, meditationum Sancti Augustini & S. Bernardi, Moralium Sancti Gregorii. Sapiens ille vir officia Clericalis status, cui ipse se addixerat, probe dignoscens, in variarum hujuscemodi lectionum numero lectionem Conciliorum, Canonum, & Historiæ Ecclesiasticæ recensere haudquaquam prætermisisset, si necessariam hanc putasset. Et quamvis adsint, qui earum rerum Studium ut necessarium existiment, omnibus tamen in universum id præcipere error esset. Tom. p. Ep. 62.

Quod ad Solitarios attinet, Conciliorum, Canonum, atque Historiæ Ecclesiasticæ Studium illos non modo non decet; sed nisi Deus, uti diximus, eos ad hoc Studium peculiariter dirigat, operam illi dare omnino non possunt. Si enim eo vel parum delectentur, sciendi cupiditatem, quæ quasi ignis augetur in dies nec amplius extinguitur, facile incendent, & lectionibus inhiabunt, quibus scientiam accumulent: hac vero cupiditate nunquam expleta,

eorum

eorum pietas languescet, Religio minuetur, & cor ipsorum, ceu tellus Solis ardore torrefacta, cito arescet.

Pag.141. *Solitarii*, inquit Auctor, *scientiis bonisque artibus non ideo operam dabant, ut doctiores, sed ut magis perfecti evaderent.*

Ita est profecto, quemadmodum Auctor ipse fatetur, Monachus non acquisitionem scientiæ, sed virtutis sibi olim studendo proposuisse: Nimirum voluntas Dei, qui eos in Ecclesia constituit, hæc fuit, ut tales fierent, qui humilitatis exemplo potius quam doctrina alios juvare possent. Quid ergo illos a Dei ordinatione divelli patimur, & contra ejus æterna consilia ad quærendas varias scientias deducimus, quæ simplicitatem, Monastici status summam, vel obtinendam impediunt, vel obtentam destruunt? Qui ita se gerunt, ab Institutorum suorum consilio & exemplo discedunt; & si quæ forte olim fuerunt Monasticæ Observantiæ, apud quas Studia quasi regularia exercitia haberentur, & mandarentur; contra Sancti Benedicti mentem, & Regulæ ejusdem præcepta egisse illas dicimus. Uno verbo (repetam enim) binæ lectionis horæ, quas assignat Regula, & amplissima illa scientia, de qua hic agitur, res sunt plane dissociabiles.

Pag.142. *Superiores* (inquit Auctor) *prout magis in Opus manuale, vel ad scientias, sive ad Orationem propensi suapte natura erant, ita & Fratrum suorum exercitia diversimode temperabant.*

Hinc sequitur, Fratres, in Superiorum manu Regulas fuisse, & pro libito earum exercitia ab ipsis subinde mutata, prout congruebat ipsorum moribus & propensionibus, vel per animi levitatem atque incostantiam, cum debuissent consuetudines ab Institutoribus præfinitas firmiter retinere. At Sanctus Benedictus expresse Ben. Reg.c.3. jubet, ut Superiores, æque ac reliqui Fratrum, *magistram omnes sequantur Regulam, neque ab ea temere devietur a quoquam*; nisi forte alicui adsint legitimæ exemptionis causæ: quæ ceteroquin non ex mero Superioris arbitrio, sed ex Fratrum justa exigentia ducentur.

Quocirca si quis a lectione Frater eximatur, & ad manualem laborem mancipetur, in causa non est Superior labori deditus, sed ipsum Fratris ingenium lectionis minime capax, quod evenire quandoque solet. Non ideo quod Superior aliquis orandi aut legendi studiosior sit, quam manibus operandi, Fratres suos ad orationem aut lectionem admovet potius quam ad manuale exercitium; sed quod propter veram impotentiam aut ineptitudiuem laboribus exerceri, æque ac ceteri, non valent. Fac enim quæso, Superiorem Arithmeticæ & Geometriæ studiosum, veluti Strabus,

Ful-

Fuldensis Cœnobii Monachus, sive notitiæ artium Liberalium, veluti Salomon in eodem Cœnobio, Michon Sancti Richerii, qui Ænigmatum & Florum Poeticorum libros composuit, Floribertus Sancti Matthiæ prope Treviros, qui de constructione Monocordi, ac nonnulla ligata oratione scripsit; velut alii denique plures, quos supra recensuimus; fac, inquam, hujuscemodi Superiorem Fratribus suis necessitatem injicere velle easdem artes aut scientias excolendi: quis neget eum turpiter falli, atque in eo reprehensionem mereri, quod Fratres juxta animi sui propensionem, & ex arbitrio potius moderetur, quam ad Regulæ amussim, & ex notitia capacitatis & affectionis singulorum. Si quis secus opinetur, omnem regularem disciplinam subvertit.

Exemplum Bedæ, quod allegant, singulare est, & nihil ab eo consequitur. Vir ille erat a Deo ad majora destinatus, quam illius ferret conditio, quique ad sua exequenda consilia inusitatas iniit vias, & media adhibuit, quæ aliis, non itidem missis, haudquaquam conveniunt. Eorum infinitus est numerus, qui dum Sanctorum quorundam ad instar agere voluerunt, a recto itinere aberrarunt. Non est errori locus, si quis eorum charitatem, simplicitatem, & humilitatem sibi ad imitandum proponat: at si eadem via, quam illis destinatione præcipua Deus monstravit, ire contendat, nulli non obnoxius erit errori, & in omnes laqueos decidet.

CAPUT II.

Expenditur, *utrum Monachis permitti indiscriminatim debeat lectio quorumvis librorum Sacræ Paginæ.* Pag. 143.

Omnibus compertum est, Fratres mei, Monachos olim in divinarum Scripturarum lectione & meditatione maximum ac præcipuum invenisse solatium. Hanc viri Sancti sæpius inculcarunt, rati nulla exercitatione facilius ad omnimodam perfectionem quempiam assurgere posse, dummodo omnem animi vim in eam conferat, & veritates scrutetur non in doctrinæ aut eruditionis cumulum, sed ad regendæ moderandæque spiritualis vitæ normam, & viarum suarum lumen, juxta hæc Prophetæ verba: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Psal. 18. v. 11.

Fatendum tamen est, plerosque Monachorum sola Novi Fœderis lectione ad vitæ sanctitatem contendisse: tum quod priscis illis temporibus, in parvo amanuensium numero, libri Veteris Testamenti perrari essent, tum quod innocentiæ & simplicitati, quas Monachi profitebantur, minus convenirent. In JESU CHRISTI Verbo instituta, quibus sese regerent, inveniebant, omnes veritates, quas

quas advertere ipsis necessarium erat, inde hauriebant; Sanctumque illius Spiritum, quo quidquid ex ore suo protulit tanta effusione replevit, sibi adesse in illo Verbo norant, eoque ceu quodam inspirationis principio omnes actiones suas informare poterant. Licet enim Veteris Testamenti lectione interdictum illis non fuerit, nihilominus Sancti viri existimarunt, cautius in ea procedendum, prout discimus ex Epistola S. Basilii ad Chilonem, ex ejusdem praxi in Regulis compendio explicatis, ex Sancti Nili scriptis, & ex ipsa Sancti Benedicti auctoritate, quippe in Regula sua notat, primos septem Veteris Testamenti libros cum periculo legi posse in quibusdam temporis circumstantiis, propter animorum imbecillitatem.

Cum autem hæc ineptitudo & imbecillitas in multis reperiri possit, præsertim hoc tempore, quo scientia in majorem Monasticarum Sodalitatum partem irrepsit; non debet ejusdem lectio permitti, nisi cum aliqua discretione cordium & spirituum, ne forte pro utilitate, quæ inde speratur, damnum & abusus erumpant.

Psalmorum quidem lectio inculcata, seu potius mandata nullo non tempore Solitariis fuit: eaque maximum ad perseverandum in via quam inierant adjumentum contulit, quo adversus nefarii spiritus impetus fidelitatem & constantiam illorum sæpe invadentis, firmiores essent. Quodnam fuerit Sancti Athanasii, & Sancti Augustini de hac lectione judicium, vulgo notum est; nec est cur modum, quo super hac re locuti sunt, admodum miremur. Psalmos enim si legas tantummodo, nimium de iis dici non posse, nec dari in hoc argumento excessum, ipsis oculis pervidebis. Ac si vel paulo attendas, solos Psalmos ad mundi totius sanctificationem sufficere fateberis. Quid illi aliud sunt, quam suspiria, ardores, desideria, aspirationes, gemitus, orationes, actus amoris, confidentiæ, grati animi, humilitatis, doloris, & compunctionis? Quid nisi querelæ, mœrores, teneri amoris signa, effusiones? Quod si facta quædam ibi sint obvia, quæ delicatioribus animis aliquid molestiæ facessere possunt, sanctitate verborum & locutionum ita velantur atque teguntur, ut jam nihil inde timeri possit. Passim denique Psalmi illuminant, inflammant, rapiunt, lætitia & admiratione efferunt: singuli versus, singula verba ascendunt ad cor: Deus illos nobis per ineffabilem Providentiam, ceu quendam immensarum divitiarum thesaurum, ceu fontem cunctarum benedictionum inexhaustum præbuit, unde nos remedia, auxilia, consolationes, quibus in malis, in necessitatibus, in tentationibus sustineamur, affatim & continenter depromimus. Divinis hisce Canticis specialem hanc gratiam contulit Deus, hoc illa charactere, hac nota ipsorum propria discrevit; sanctique Patres ea omnium veritatum, institutorum, & documentorum, quæ a Sancto Spiritu per omnes Scripturas diffusa sunt, quasi compendium semper habuerunt.

Qui

Qui huic se lectioni dabunt, omneque in illa Studium, & præcipuam animi attentionem locabunt, qui id assequentur ut ament, gustent, & in imo corde figant affectus, sententias, eloquia permovendis animis apta, quive hæc omnia in operibus & in omni vitæ ratione reddere curabunt, in promptu habebunt quidquid utilius, illustrius, aut efficiendæ Sanctitatis magis capax in Veteri Testamento reperitur. Verum in quanto apud antiquos Patres & sanctos viros Psalmorum liber pretio fuerit, inde elucet, quod Carthusiani & Cistercienses Monachi iis, quos in sua Monasteria recipiebant, ineluctabili præcepto mandarunt, ut Psalmos memoria teneant. Qui usus cum aliis innumeris in depravatione disciplinæ apud Cistercienses obsolevit, apud Chartusianos vero usque ad id tempus servatur.

De hac porro quæstione: utrum Veteris Testamenti lectio Monachis permitti debeat, an non? Ego quidem, Fratres, nihil in universum statui posse, & quemadmodum interdicendam per omnia illis non esse, ita neque per omnia atque indiscriminatim concedendam, sentio. Cujus sententiæ ea mihi ratio est, quod si veteres Patres, qui hanc lectionem permiserunt, usque ad futura tempora animo pervasissent, & Monasticæ disciplinæ fervorem remissurum vidissent, quamque pauci futuri erant ita dispositi, ut hanc lectionem cum fructu peragere possent; profecto nonnisi parcius & cautius eam permisissent, & Monachorum dissolutio, si illis perspecta & cognita fuisset, in hoc satis causæ habuissent, ut casti eloquii veritates non exponerent illiberalibus jocis, intempestivis verborum argutiis, improbis narrationibus, liberioribus explicationibus, allusionibus impiis, malignis, & sanctitate Spiritus, qui Scripturas dictavit, prorsus indignis. Noluissent procul dubio corruptorum hominum innumeræ fere multitudini locum dare, ut effrænatam morum licentiam tam specioso obtentu alere ac tueri possent.

§. II.

De methodo a Monachis servanda in lectione Sacræ Paginæ.

HAud sane huic articulo, Fratres mei, immorari vellem, nisi firmissimæ & maximi momenti rationes me cogerent. Porsus enim ab hoc alienus sum, ut censoris animum sumam, qui minutius & scrupulosius omnia scrutando, reprehendendi causas aut quærit, aut fingit.

Prima quæ me movet ratio in hoc sita est: ægre fieri posse ut Solitarii animus non distrahatur, aut ejus cor non arescat, propter multiplices lectiones, ad quas eum vocat Tractatus Auctor, ut Scripturarum sanctarum intelligentiam acquirat: periculum esse, ne hoc Studio magis eruditionem & doctrinam quam pietatem augere fatagat; & ne, cum humilis & demissus ex meditatione & lectione Verbi Dei fieri deberet, superbia potius efferatur.

Secunda ratio eo spectat, vix fieri posse, ut dum utilitates & commoda, quæ ex Librorum Sacrorum lectione derivant, anxie quærit, tot Auctorum varia commentatione legentis animus non perturbetur, tempusque & operam non perdat: ita ut quod sibi proposuit, intricata & confusa methodo utens, minus assequatur.

Denique facile continget, ut ii, quibus tot variorum Auctorum Volumina non suppetunt, neque ulla subest ratio, quomodo sibi illorum copia fiat, Scripturarum scientiam consequi desperent, & lectionem negligant; rati videlicet, inutilem sibi eam fore, utpote iis destituti præsidiis, quæ ad intelligentiam & profectum necessaria esse, ipsis inculcatur.

Nullum ex his incommodis vestrum iter impediet, Fratres mei, si vobis, ut par est, persuasum erit, in omnibus, quæ ad Monachi officium proprie pertinent, prudenter gerendis, methodo, quam proprio exemplo docuerunt Sancti, insistendum esse. Eos imitari debetis, & post vestigia illorum ire. At ignotæ illi fuere neotericorum methodi, ac studendi leges; Scripturarum Codicibus stabili fide unice adhæserunt, ejus auxilio freti, cujus est tenebras dissipare, atque oculis lumen præbere; assidua denique & repetita lectione ac meditatione ad earum intelligentiam pervenerunt.

Quosnam quæso Commentarios legerat S. Antonius, magnus ille vir, qui uberrimos fructus ex Scriptura sibi comparabat? Quosnam Interpretes habuere S. Hilarion, S. Pachomius, S. Ephræm, uterque Macharius, Sancti Patres, quorum Collationes nobis retulit Cassianus, innumera denique Sanctorum Monachorum multitudo, qui in his Libris instructionem simul & consolationem inveniebant?

Sed dixerit fortasse quispiam: ideo hos Patres Interpretationibus & Commentariis usos non esse, quod tunc vel nullæ vel paucæ

admo-

admodum extarent. Scimus, & fatemur; sed ne inficiandum quidem est, si forte hi Commentarii ad Scripturas intelligendas necessarii fuissent, Deum nequaquam permissurum fuisse, ut hisce præsidiis Ecclesia destitueretur, eo præsertim tempore, quo divini eloquii accurata notitia carere omnino non poterat, ad Catholicam Fidem adversus impios & crudeles hæreticos fortiter propugnandam.

Sed Solitarios mittamus. Quæro, an Sancti, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Jo: Chrysostomus, Augustinus, atque alii plerique magnas illas veritates, & præclara documenta, quæ in eorum Scriptis occurrunt, aliunde quam ex ipso Scripturæ textu deprompserint? Inde profecto eas hauserunt; ex hoc fonte hæc omnia in eorum mentes & corda fluxere, & in omnes fluent quotquot ibi Dei voluntatem, Sanctæ Legis notitiam, ejusque servandæ rationes exquisierint. Haud, puto, dicetur, eos præ manibus habuisse quæ Theophilus Antiochenus in Evangelia fuerat commentatus, quæ Clementi Alexandrino tribuuntur in Epistolas Canonicas, Zenonis & Sancti Victorini Opera; hæc enim Tractatus Auctor in numero Commentariorum, quæ utiliter ad Scripturas intelligendas legi possunt, minime collocat.

Ex Origenis Operibus Sanctum Basilium sumpsisse quæ de Morali disciplina & super Psalmos scripsit, nullatenus est credibile. Neque vero ex eodem penu S. Jo: Chrysostomus disertos illos, sanctosque in Evangelia & Epistolas D. Pauli Sermones congessit. Idem pronunciandum nobis esset de S. Augustini Enarrationibus in Psalmos, de ejus in Apostoli verba Sermonibus, de Tractatibus in S. Joannem, & de aliorum Patrum, qui iisdem temporibus scripsere, variis lucubrationibus.

Non mei solius propria est hæc sententia; apud Cassianum quippe legimus, Abbatem Theodorum, sublimi sanctitate & doctrina virum, captum divinarum Scripturarum obtinuisse non variis exquisitisque lectionibus, neque humanarum litterarum adminiculis, sed tantummodo cordis innocentia & puritate. Magnus ille vir, Monachum, ajebat, qui sensum Scripturarum cuperet investigare, fatigari non debere legendis Commentariis, sed omnem operam adhibere, ut cor a vitiis emundaret: *Quibus expulsis, confestim cordis oculi, sublato velamine passionum, Sacramenta Scripturarum velut naturaliter incipiant contemplari.* *Cass. Instit. l. 5. c. 34. & 35.*

„ Siquidem nobis, pergit sapientissimus Abbas, non ut essent „ incognita vel obscura, Sancti Spiritus gratia promulgata sunt: „ sed nostro vitio velamine peccatorum cordis oculos obnubente „ redduntur obscura; quibus rursum naturali redditis sanitati, ipsa „ Scripturarum Sanctarum lectio ad contemplationem veræ scientiæ abunde etiam sola sufficiat, nec eos commentatorum institutione indigere: sicut oculi isti carnales ad videndum nullius

„ egent doctrina, si modo fuerint a suffusione, vel caligine cœci-
„ tatis immunes.

Idem Cassianus in quartadecima suarum Collationum refert, sanctum Abbatem, cujus sententias exponit, veram Scripturarum scientiam sibi comparare volentibus solitum dicere, in perfecta cordis humilitate prius esse firmandos, hæc enim ad scientiam ducit non inflantem sed illuminantem, & per hanc a Deo charitas perfecta descendit. Impossibile namque est, immundam Animam adipisci scientiam spiritalem. Satagite ergo, ajebat, ne studiosa lectio ingerat vobis vanitatem & præsumptionem, quæ lapsus extremi vobis erunt instrumenta; sed ut lumen scientiæ vobis largiatur & gloriam, quæ spiritali puræque doctrinæ reservatur. Cunctis conatibus elaborate, ut carnalium passionum affectus de corde eradicetis, & turbas cogitationum Sæculi procul amoveatis; ita fiet, ut assidua sanctorum Librorum lectione & meditatione suscipere mereamini scientiæ plenitudinem, & mens vestra in spiritalem scientiam quodammodo transformetur.

Duo adhuc vobis animadvertenda sunt, Fratres: Unum est, divinæ Scripturæ notitiam, quam per vos ipsos consequi posse mihi videmini sola lectione atque animi attentione, ad ea documenta pertinere, easque regulas, quæ vitæ moderationem & morum institutionem continent. Dogmatum enim notitiam a Superioribus vestris, quibus non deest auctoritas & Missio, discetis: Quam si quis ex sanctorum Librorum lectione marte suo, suaque inquisitione sibi comparare præsumpserit, sese magnis incommodis obnoxium reddet. Interea tamen dubitandum non est, quin veris confirmati principiis, & assidua Verbi Dei meditatione, argumenta, vires, & lumen invenire possitis, ad Fidei veritates, si quando oppugnentur, vindicandas; quod olim Antonii, Macarii, Symeones, Teodosii, aliique innumeri fecere.

Alterum est, me nolle quidem quodlibet in Sacras Paginas Commentarium Monachis interdicere, cum multa in illis utilia & scitu digna reperiri posse non ignorem. Sed quid opus habent Monachi tot Interpretibus, tot Paraphrastis, tot Commentatoribus? Varia hujuscemodi ac multiplex lectio eos in absurda conjiciet, de quibus ad vos toties locuti sumus.

Nunquid Commentario eget, ut Dei Omnipotentiam, & supremum in omnes creaturas dominium quis animo comprehendat? An non scire sat est, illum hasce de nihilo solo suo verbo duxisse, neque ad id externa molimina, aut humanam operam adhibuisse?
Ps. 32. v. 9. & *Dixit, & facta sunt.*
148. v. 5. Quid egemus Commentario, ut discamus, quatenus homo peccator de sua infirmitate diffidere in mundi medio debeat, postquam innocens homo in Paradisi medio lapsus est?

Nunquid Commentario opus habes, ut generalem hominum obligationem in pœnitentia vitam agendi ex divinis Libris eruas, cum ibi

ibi Deus post culpam primi Parentis edixisse legatur, fore ut pane suo in sudore vultus sui vescerentur, ac terra illis nonnisi spinas & tribulos germinaret?

Quibus egemus commentariis, ut noscamus, quanta solicitudine nostrum a vanis scientiis animum repellere, & a sciendi quæ non decent nec prosunt cupiditate servare debemus? Cum Sacra Scriptura aperte dicat, a curiositate dirutam esse justitiam, & per eam irrepsisse iniquitatem, quæ usque ad Sæculi consumationem in hoc mundo subsistet.

Nunquid Commentario egemus ad discendum, ab excusatione culparum alienos nos esse debere; cum primam nocentis hominis cogitationem hanc fuisse videamus, cordis corruptionem abscondere?

An Commentario indigemus, ut Deo large & liberaliter donandum esse discamus, cum ruinam Cain inde ortum habuisse constet, quod perparce nimium ac restricte erga Deum in sua oblatione & sacrificio se gesserit?

Quid Commentario opus est, ut noverimus, primos invidiæ motus summa ope esse cohibendos; postquam hac passione constat, Cain ad manus in fratrem conjiciendas abreptum esse?

An Commentario opus habes, ut in Scriptura invenias, puros & innoxios animos Deo placere? Cum discrimen videas inter Abel atque ejus Fratrem a Deo constitutum, & hunc quidem reproborum caput esse, illum vero eorum, quos Deus suo Regno donavit.

An Commentario indigemus, ut peccati malitiam noscamus, utque ejus horrorem & odium nobis ingeramus? Siquidem in divinis libris horrenda clades ab eo in universum immissa legitur, & malorum innumera multitudo, quæ totius terræ faciem deformarunt & corruperunt eousque, ut Deus, cujus immensa est misericordia, universali diluvio ejus crimina punire coactus sit; & de magno hominum numero qui illam replebant, non nisi octo gratiam in oculis Domini invenire meruerint?

Quid Commentario opus est, ut Arcam consideremus non modo ut Ecclesiæ universalis, sed etiam ut tot Sanctarum Habitationum typum, in quibus Deus quos diligit, & a sæculo quasi a naufragio submovet, dextera sua ad salutem perducit?

Quibus Commentariis indiges, ut advertas in Scripturis divinam illam Bonitatem, quæ inducit animum Noe ad ædificandam Arcam, eoque convehendos quos Deus ab omnimoda mundi desolatione incolumes servare volebat; quæ terræ animalia, & cœli volucres ibi concludendos suggerit; per quam Deus post dies quinquaginta hujus Patriarchæ memor, vias dirigit, omnia parat, ut ab illa benedictionis Arca educat omne genus Creaturarum, quas ibi, terram rursus frequentandi animo, concluserat?

Quos commentarios postulas, ut infinitam Dei misericordiam adorandi causas intuearis, cum illi acceptum referendum sit fœdus

æternum cum Noe ejusque filiis; & per eam Deus totam hominum posteritatem confirmaverit a probabili metu, ne ille eodem supplicio posthac uteretur in se, quo Patrum suorum iniquitatem punierat?

Quibus indiges Commentariis, ut inemendabile ac demens hominum ingenium deplores, qui perinde ac si obliti omnino fuissent Dei Omnipotentiæ, quæ nuper fuerat in exterminatione totius humani generis conspicua, turrim ædificant, & in cœlum quasi aggerem extollunt, ut illius indignationem & vindictam eludant?

Nunquid egemus Commentariis, ut ex eodem Scripturæ loco, discamus, quomodo Deus vanitati hominum illudat, eorum consilia disperdat, cunctaque molimina, ac temeraria eorum incœpta difflet & in fumum redigat?

Quid opus est Commentario, ut Abrahami exemplo, qui Dei imperio obtemperans, natale solum linquit, & de paterna domo in alienam sibique ignotam terram pergit, de officio moneamur divinæ voluntati cum silentio, continuo & submisse parendi?

Nunquid Commentario indigemus, ut in hac circumstantia Dei electionem detegamus, qui magnum hunc virum de medio gentis suæ eduxit & segregavit, & de ipso Patris gremio abstraxit, ut eum principem constitueret illius populi, a quo purius quam a reliquis hominum coli volebat?

Quid Commentariis opus est, ut in separatione Loth & Abraham, atque in tota insequentium eventuum serie animadvertas, numquam a Dei ordinatione recedendum, nec societates aut fœdera ejus voluntate inita umquam esse disjicienda?

Denique si explicandis in universum Veteris Testamenti Mysteriis, & Allegoriis apte accommodandis minus quandoque idonei sumus; & siquæ forte occurrunt difficultates nobis inenodabiles; tunc demittendus est animus; & quæ, Deo sic volente, non intelligimus, adoranda. Sexcenti sunt loci, in quibus apertas veritates, nec ulla nube tectas contemplamur; sunt etiam harum quædam, quas nonnisi attentione & oratione discutimus: Quicunque vero ita ut decet paratus Verbum Dei legit, nunquam ea inveniendi, quibus ad sanctificationem suam opus habet, dono frustrabitur.

Apoc. 2. v. 7. Ne multa, Fratres mei, illud Mysterium, illa Allegoria, illud verum, quod altius perscrutari non possumus, est *manna absconditum*, quo alimur & roboramur tamquam sensili manna. Vis occulta in eo residet, sese in animos effundens, qui si fideles sint, dictum *Sap. 16. 21.* illud Sapientiæ in se ipsis ut verum probant; *Et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur*. Hoc impetrat a summo Deo auxilia, gratiam, confidentiam cordis, & necessarium his animis præsidium, vivæ scilicet Fidei beneficio, profundæque humilitatis, qua ante sacrum illud Verbum, quod capere nequeunt, humi provolvuntur.

At si in Veteri Testamento multæ tenebræ, si ibi Deo per ænigmata

mata

mata loqui placuit, veloque tegere documenta; contra fatendum est, eum convenientius infirmitati hominum in Novo Testamento locutum esse, se intellectu facilem illic præbuisse, & verbum, quod ab ore Filii ejus processit, calorem simul & lucem attulisse.

Nunquid (ut exemplis agamus) Interpretibus eges, ut ex obscura vita, quam Jesus Christus triginta annorum spatio duxit, agnoscas, tutius esse commercia vitare, quæ nobis existimationem parant, & quibus apud homines famam consequimur?

Nunquid eges Interprete, ut ex Jesu Cristi responso ad Virginem, quæ illi dixerat? *Fili quid fecisti nobis sic: ecce Pater tuus* *Luc. 2.*
& ego dolentes quærebamus te: discas servire Deo principem inter *v. 48.*
humana officia locum obtinere? *Nesciebatis quia in his quæ Patris* *Ibid.*
mei sunt oportet me esse. *v. 49.*

An est ad Interpretes confugiendum, ut ex Diaboli audacia, qua Jesum tentavit in deserto, & ex adjunctis hujus tentationis discamus; Primo nullum esse in hoc mundo locum, quo ab insultu Dæmonis tuti simus? Deinde nihil esse tam sanctum, quod ille petere non audeat? Tertio, solam perseverantiam inermem eum reddere? Quarto nihil esse fortius Verbo Dei ad illum expugnandum?

An est opus Interprete, ut Christi Circumcisio nos doceat, cum Sanctus Sanctorum ignominiam subjerit hujus legis complemento conjunctam, nihil minus æquum minusque ferendum in peccatore esse, quam quod honorem appetat, & gloriam quærat?

An est opus Interprete, ut fateamur, quemadmodum in hoc summa humilitas enituit, quod Jesus Dei Filius accipiens a Joanne Baptismum sub manu hominis demittere se voluerit; ita in hoc maximam esse superbiam, quod homo sub manu Dei demittere sese nolit?

An Interpretes quæris ut tibi persuadeas, primum Christiani viri officium illud esse, ut in pœnitentia vitam agat; quandoquidem prima Jesu Christi verba, quibus Missionis suæ exordium fecit, docent, pœnitentia januas Regni ejus aperiri? *Pœnitentiam agite,* *Matth. 4.*
appropinquavit enim regnum cœlorum. *v. 17.*

An egemus Interprete & Commentatore, ut sciamus, nobilitatem & celsitudinem hujus mundi nullius esse pretii, cum Deus elegerit pauperes & obscuros natu & conditione viros, ut maximo illos operi præficeret, covertendi Gentes, & Ecclesiam constituendi?

An Interpretibus opus est, ut pateat, simplicitatem notam esse benedictionis, & in vera paupertate veras esse divitias: cum legantur hæc verba: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum* *Matth. 5.*
cœlorum: Atque ut inde colligamus, eum turpissime errare, qui *v. 3.*
gloriam sectatur, & terrena expetit bona?

Nunquid Interprete egemus, ut homines ulciscendi cupidos a Regno Dei repellendos esse sciamus; cum illud mansuetis & irasci nesciis ipse promiserit?

Nunquid Interpretibus necesse habemus, ut ex divinis Scripturis eruamus, insanas humanasque lætitias dedecere Christianos: cum ii qui lugent beati a Jesu Christo prædicentur?

An ignorare possumus, a Jesu Christo iniqua agentibus maledici; cum dixisse eum sciamus, beatos esse qui esuriunt & sitiunt justitiam, & fore ut pia horum aviditas aliquando satietur?

An egemus Interprete, ut ferreos & immisericordes viros a Deo rejici in Scriptura inveniamus: cum ipse dixerit, fore ut illorum misereatur, qui usi fuerint misericordia?

An opus est Interprete, ut discatur, Deum immundas animas aversari; postquam eum dixisse constat, beatos esse mundos corde, quoniam ipsi Deum visuri sunt?

Nullus esset denique finis, si per singula Novi Fœderis documenta ire velimus. Omnia in illo veris plena sunt, nusquam non apparent divina instituta, & singulis verbis suus adest doctrinæ sensus. Jesus Christus, qui suos affatus est discipulos, ut filios Pater, res maximas atque altissimas planis & captui eorum accommodatis verbis edisseruit: Et nemo est, modo ad eum ita paratus accedat,
Matth. 19. 14. quemadmodum innunt hæc verba: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire*; Nemo, inquam, est, qui non ibi veritates,
Joan. 14. v. 6. quas oportet eum credere, vias quas sequi, vitam quam vivere debet, inveniat: *Ego sum via, veritas, & vita*.

§. III.

Pag. 159. *Quænam prærequirantur Dispositiones ad legendam Sacram Scripturam*.

UTilia, quam quæ maxime, Fratres mei, & necessaria prorsus esse arbitror illa, quæ in hoc Paragrapho continentur. Si enim homines in corda transfunderent, & ex corde ad manus traducerent, quæ ex divinis Scripturis & Sanctorum libris discere potuerunt; tunc cum Jesus Christus Judex advenerit, de tot dilapidatis divinæ gratiæ donis nequaquam arguendi essent ab eo, qui in sui Verbi profanatores ita severe olim animadvertet, quemadmodum in sui Corporis & Sanguinis contemptores.

Quoties, Fratres mei, in egregia illa documenta, quæ nobis Deus in divinis hisce libris tradidit, me ipsum animo & cogitatione converto; Quoties (fatebor enim) tot Monachos intueor, qui hos libros jugiter præ manibus habent, qui eos a capite ad
Ps. 77. v. 25. calcem pluries evolvunt, quin magis perfecti aut meliores inde fiant; Quoties hæc verba mecum reputo: *Panem Angelorum manducavit*

ducavit homo, eademque ipsis accommodo; vix capio, qua ratione panem Angelorum hi quidem manducent, haud tamen Angelorum similes fiant; quomodo cœlesti quidem cibo pascantur, haud tamen de illis cum Apostolo dici possit: *Nostra autem conversatio in cœlis est.* *Philip. 3. v. 20.*

Quamquam vero isthæc inordinatio usquequaque pateat, ex quibus causis oriatur cognoscere vix aliquis studet, ut perspecta mali origine remedia admoveantur. Interea negligitur malum, atque ex eo quid consequi possit parum laboratur: ita secure vivitur, ac si nihil esset metuendum; sed tandem sentiunt homines se reos esse de contempto Dei verbo, cum antea nunquam attenderint ad id quod Jesus edixerat: *Qui spernit me, & non accipit verba mea; habet qui judicet eum. Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* *Joan. 12. v. 48.*

Minime porro dubium est, causam hujus mali esse, quod ad legendum hoc Verbum non ita ut decet parati accedant: Cupiditates, humanos sensus, terrenos affectus huic lectioni consociant; ita fit, ut sacrum iter, qua fons gratiæ in nos derivare solet, quodammodo obstruatur, effluvia & communicationes tollantur. Hi quidem legunt in eum finem, ut doctiores evadant; hi vero ut nomen sibi atque existimationem concilient; alius quidem legit, ut sibi soli volupefaciat; alius vero ex quodam impetu & velocitate naturæ; hic quidem languide & desidiose legit, ea pietate & alacritate destitutus, sine quibus animus de Deo cogitans non placet Deo; ille vero ea mente legit, ut Studii sui labore, & scientiarum suarum adminiculis consecuturum se speret, quæ Deus simplicibus tantummodo largitur; alius quidem legendo, Visa, species, cogitationes, phantasmata mente revolvit, exercitio sanctæ lectionis prorsus indigna. Alius denique necessaria cordis puritate destitutus legit, qua deficiente temere eum ad legendum accedere judicat Deus, atque exprobat illi, quæ iis exprobari solent, qui impuras manus a sacris non abstinent: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* *Psal. 49. 2. 16.*

Non sine gravi igitur causa Tractatus Auctor inter potissimas dispositiones cordis puritatem postulat, ex qua videlicet magnopere spectari a Deo illos videmus, qui sibi sunt Votis obstricti: propterea enim illos de mundo abstraxit, ut taliter segregati majora haberent præsidia, quibus ad omnimodam Sanctitatem assurgerent. Summa hæc est, ut noscamus, in quo hæc puritas sita sit; & ne infra rei veritatem, aut præter æquam sententiam nobis illam animo affingamus.

Non est ergo putandum, ad hanc puritatem sufficere, eorum vitiorum immunes esse, quæ a Deo nos divellunt, quæve ut plurimum in iis reperiuntur, qui profitentur quidem servire Deo, requiri tamen a se non putant, ut ad altiora perfectionis nitantur.

Ne.

Ne multa, hæc puritas non modo vitia, passiones, & peccata excludit, sed etiam ablegat a se quidquid ab intuitu Dei animum divertere, quidquid attentionem minuere potest, qua in objectum summæ majestatis spectare debemus. Animos ea postulat emaculati & pellucidi speculi similes, qui omnes admittant species, quascumque Deus efformare in illis voluerit, nec ullum obicem prodant.

De Solitariorum puritate Veteres Monachi ita pronunciarunt, nec minus latos fines illi præfinierunt; hinc factum, ut innumeris fere locis Monasticam Angelicæ vitæ ferme equiparaverint. Nec veritus est S. Basilius modum excedere, cum dixit, veram speciem ac typum fidelem hujus tam perfectæ & sublimis conditionis non nisi in cœlis conspici posse.

Const. Monac. 18.

Si res ita se habet, Fratres mei, ut nequaquam est dubitandum, quis credat, hanc puritatem in lectionum, scientiarum, studiorumque varietate, quibus Solitarii vitam occupari debere præsumitur, sartam tectam posse servari? Quomodo fit verisimile, illam animi libertatem, qua res humanas despicit, & infra se positas arbitratur, diutius coram Deo sustineri posse? Quomodo a cursu & recursu variarum cogitationum, quas penitiora atque ampliora Studia producunt, sese expediet? Vix ille sibi Deum in animum instituit, & Bibliam aperit, cum eodem fere momento, quo ad aliquod mysterium cogitationem dirigit, aut aliqua veritate pie affici se sinit; repente subit illius animum aliquis eventus, aliqua historia, quædam ratiocinatio, aut sententia, quibus vel invitus abripitur, atque illius præsentiam amittit, a quo numquam distrahendus erat obtutus. Nescit eundem mentis situm constanter servare; rerum enim, quas antea legit, species, oranti, aut divinos Codices legenti succurrunt: ita fit, ut nunquam pura sit illius meditatio, & fere semper de iis cogitet minus, de quibus magis erat cogitandum.

Hujusmodi sunt, quæ corde & animo versare solent plerique illorum, qui nimiam Studiis operam navant; idque ex ipsorummet relatione & confessione didici. Doleo quidem Ecclesiasticorum virorum, qui iisdem perturbationibus obnoxii sunt, conditionem: At cum illi ad hæc Studia ex officio incumbant, vix dubitandum est, quin Deus, cujus destinationi parent, illos peculiari præsidio muniat. Quod ad Solitarios attinet Studiis intentos, cum de sua jam conditione exeant, & præscriptos a Patribus fines transiliant, non itidem divinitus protegentur. Æquam illi excusationem nullam habent, quam prætendere possint; ac propterea omnes distractiones, ipsorum instituto, divinæque circa ipsos voluntati adeo contrarias, imputandas sibi esse prorsus credant. Eos excipio, quos Deus a communi via segregat, & peculiari vocatione a reliquis discernit.

Jam nunc vobis compertum est, Fratres, hanc puritatem, de

qua

qua agimus, majus aliquid & præclarius esse, quam vulgo putatur, eam penitioribus Studiis, quibus Monachi occupantur, imminui procul dubio atque labefactari; & si quis putet eam inter distractiones, quibus Studia occasionem præbent, consistere posse, perinde esse, ac si velit, ignis scintillulam in gelido pavimento, aut lucernam accensam in media tempestate minime extingui. Denique illud ne obliviscamini, Fratres mei, inter libros, quos hæc Studia postulant, & illos quos a vobis legi permittimus, magnum interesse discrimen. Priores quidem de attenta rerum divinarum cogitatione deducere, & in hæc exteriora conjicere ac dissipare vos possunt; alii vero cum ad Sacram Scripturam plurimum referantur, & vestræ professioni omnino conveniant, ad animum vestrum ad se revocandum, Deique ipsius præsentiam adducendam, si forte aberretis, aptissimi fuerint.

§. IV.

Quomodo proficiendum sit ex lectione Sacræ Scripturæ. *Pag.167.*

SApientissimis ac saluberrimis admonitionibus plenus est hic Paragraphus; atque optandum esset, Fratres, omnes divinorum librorum lectores, ut par est, ita ferventer & accurate in hac lectione se gerere, ut illis recte uti possent. Sed heu nimium! sæpe prophano plane ritu sancta peragimus, atque opera meliora cupiditate, quæ passim irrepit, corrumpimus, eousque ut per depravationem cordis noceant potius, & mala progignant, cum infinita bona & commoda inde nobis provenire deberent.

Multum conducere non inficiamur lectorum diligentiam in excerpendo ex Sacris Voluminibus, & colligendo præsertim ea, quæ ad mores spectant, & ad vitæ institutum moderandum inserviunt; tum quia res quas transcribimus altius infiguntur, quam si mera lectione contenti simus; tum quia illæ ad manum postea sunt, ut repetamus, cum lubet, lectionem; ut refricemus animum earum memoria, denique ut pro re nata illis utamur.

Considerationes spirituales in Sacram Scripturam simplicibus animis multo magis obviæ sunt quam ceteris; illis quippe Deum sese communicare docet Fides. Neque alia de causa Veteris Legis Patriarchæ in magna apud Deum gratia fuerunt, ac tam intimis commerciis & affatibus Deus illos dignatus est, nisi quod coram illo in simplicitate cordis sui ambularent, ipseque in vitæ illorum innocentiam suas benedictiones lætus effunderet.

Non possum hic non animadvertere, nec satis mirari, Fratres
„ mei, quod cum Tractatus Auctor toties fateatur, universam *Pag.172.*
„ priscorum Patrum scientiam ac Theologiam Sacra Scriptura *8.15.&c.*
„ niti

„ niti consuevisse, atque inde illos omnia instituta & fundamenta „ solidæ illius pietatis hausisse, qua vere sancti & grati in conspe- „ ctu Dei sunt facti, ceterorumque hominum duces & doctores „ nihilo secius docere aggrediatur methodos & vias plane opposi- tas illis Veterum, quas ceteroquin approbat, quæve approbari merentur. Nam si in hunc finem Scripturas illi adhibuerunt ut sancti fierent; cur nos diversam agendi rationem inimus, cum eundem finem spectemus? Ne multa, si duces illi fuere atque doctores, cur illos non sequimur?

CAPUT III.

De lectione ac Studio Sanctorum Patrum.

Quandoquidem Auctor Tractatus nobiscum fatetur, ut in calce proxime superioris Articuli animadvertimus, in Scripturarum Sanctarum scientia positam olim fuisse omnem veterum Patrum Theologiam, illius præsidio ac beneficio ad sanctitatem illos sese extulisse, Deique atque hominum movisse approbationem; quid causæ est, cur a tritis itineribus recedamus, aut vestigia illorum minime sequamur, quos, vel juxta ipsius Auctoris sententiam, nostrum Duces & Magistros existimare debemus? Cur Monachos opprimimus multitudine Auctorum atque Librorum, qui eorum simplicitati nocent quam maxime, & quorum occasione minus sibi convenientia discunt, officia suæ Professionis propria obliviscuntur, & in magnam animi perturbationem sese conjiciunt? Quomodo relicta Sanctorum ad sanctificationem via, in aliam plane oppositam illos transferri patimur? Si de levi aliqua exiguique momenti regularitate res esset, quod adluberet magis, sequi liceret. Sed de Monasticæ Professionis summa retinenda & conservanda agitur periculum, in quo versamur, eo spectat, ne adeo sancti instituti veritas extenuetur, aut penitus tollatur, neu fundamenta illi substruantur ab iis plane diversa, quibus ex divinæ Providentiæ nutu innitur. Nam si in hoc Capite explicatam ab Auctore sententiam sequamur; Monachi, homines imperiti ac simplices, quive, si rite agant, in oratione, in sanctorum Voluminum lectione, in humilitatis operibus vitam agere debent, Doctores & litterati viri futuri sunt, scientiarum nihil ad se pertinentium Studio tempus impendent, proindeque iis absurdis erunt obnoxii, quæ viri hujus professionis vitare non possunt, quoties vocationem suam invertunt, atque alia exercitia sectantur, quam quæ sibi ab Institutoribus proposita fuere.

Si quis hic a me dicta cum Ecclesiæ decretis nequaquam congruere arbitretur, facile reponam, me ab Ecclesiæ mente nihilum discedere

scedere velle, cum Solitariis (hos enim unice specto) omne illud Studium, omnem scientiam, omnes cognitiones permittam, ad quas ipsa jubet ut admoveantur.

Eugippius Abbas (inquit Auctor) *Epitomam concinnavit Operum Sancti Augustini.* Pag. 173.

Nihil magis hoc exemplo probatur, quam reliquis, quæ supra refutavimus.

De Cassiodoro, quem in hanc rem citat, hoc habeo quod regeram, fuisse illum virum nobilem, qui eam quam animo imbiberat de scientia opinionem tunc cum in Sæculo viveret, nondum prorsus abjecerat.

Memorat Auctor *Cassianum, Sanctum Anselmum & Sanctum Bernardum eo nomine quod de Dogmatibus & de Theologicis materiis scripserint.* Pag. 175.

At quis non videt, Fratres mei, Cassianum quidem, præclaro & singulari ingenio virum, ad scribendum & docendum certam & peculiarem habuisse vocationem atque missionem; Sanctum vero Anselmum Episcopatui destinatum a via communi ac trita divino nutu excurrisse.

De Sancto Bernardo haud secus dixerimus. Neque enim ad exemplum trahi debet eximia vir sanctitate, superne missus, qui in supremos Pontifices, Imperatores, & Reges dominatum, ut ita dicam, habuit; qui consilio & morum pietate Ecclesiam roboravit; a quo tanquam suorum temporum Oraculo expetita est gravissimis de rebus sententia; quem virtutes, signa, & notæ Apostolum referentes condecorarunt; qui Verbum Dei prædicatione annunciavit; qui claudis gressum, cæcis visum reddidit; qui arida membra in pristinum vigorem restituit; qui dæmonia ejecit: Is denique vir, cui Deus suo præsidio nunquam defuit in omnibus, quæ ad ipsius Dei cultum & gloriam suscepit: *Obediente Deo voci hominis.* An aliqua institui potest comparatio tam sancti hujus magnique nominis Viri cum vilium & exiguorum hominum in Claustris degentium turba? Jos. 10. v. 14.

Quæ-

Pag.174. Quæritur ab Auctore: *Utrum Monachi ad omnium materiarum Studia indiscriminatim teneantur, quas Sancti Patres pertractarunt.* Deinde quidquid in Operibus Sanctorum Patrum legendum occurrit, ad quinque capita revocatur, videlicet, *Interpretationem Scripturarum, Dogmata Fidei, Christianos mores, Disciplinam Ecclesiasticam,*
Pag.175. *& Disciplinam Monasticam.* Tandem asseritur, *priscos Monachos neutiquam existimasse, singulis hisce Capitibus quidquam inesse, cujus intelligentia ac studium ipsorum professioni adversaretur.*

Si quidem diceret Auctor, antiquos Patres & Monachos nequaquam culpæ dedisse cuipiam Solitario, quod omnibus id genus notitiis operam impenderet, eosque in ea fuisse sententia, ut putarent, quosdam ex illis in hoc Studii genere ex professo versari posse, dummodo ex legitimæ auctoritatis arbitrio studeant; a veritate non abhorreret. Cum dicat vero, illis visum fuisse, hoc Studium tam late diffusum Monasticæ Professioni conveniens & proprium esse, falso id asserit, neque enim unquam hoc illis in mentem venit. Nova hæc & parum communis sententia defendi non potest, nisi eorum præcepta atque instituta penitus aboleantur, & nisi pretium operæ nullum esse putetur in iis, quæ de suo statu Patres dixerunt. In eorum agendi ratione aliud nihil vobis conspiciendum se præbet, quam humilitatis, simplicitatis, mortificationis cordium & sensuum specimina: In eorum vita maxime omnium eminet recessus & solitudinis amor, sæcularis commercii fuga, silentium, vilia & abjecta opera, duri labores; omne vero illorum Studium in Scripturarum sanctarum lectione substitisse cognoscitur. Quid in his omnibus elucet, unde veteres Solitarios Dogmatum, Moralis scientiæ, Ecclesiasticæ Disciplinæ, hoc est Conciliorum, Canonum, Sanctionum, & universæ rerum, quæ in Ecclesia peractæ sunt, Historiæ studio operam dedisse colligi possit?

Ludit operam Auctor in congerendis exemplis, quæ cum sint facta singularia, hoc solum denique probant, ut alias & pluries dixi, nonnullos e Solitariorum numero ad scientias animum adjecisse. Donec vero id genus Studia in antiquis Patrum Regulis aut ab earum Institutoribus mandata fuisse demonstretur, nihil quod jam non diluerimus in medium afferetur. Ex Regulis mens & consilium Fundatorum elucet; in illis suam ipsi sententiam perspicue aparuerunt, & quid omnino vellent declararunt. Propterea mera animi fictio est affirmare, Sanctos Antonium, Hilarionem, Pachomium, Benedictum, & reliquos omnes scientiarum Studia præcipere, cum hac de re in eorum Regulis nihil uspiam appareat.

Cassiodorus, qui passim in medium producitur, nullius, quod ad summam hujus controversiæ pertinet, auctoritatis est. Vir ille fuit prænobilis, qui Religionis instinctu ab Aula recesserat, sed nondum Sæculi instituta & mores plane deposuerat. Omnibus vanis scientiis toto

toto se animo dederat, Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, Arithmeticæ, Musicæ, Geometriæ, Astronomiæ, & vel delineandis figuris, & omnifariam machinis construendis sese exercitaverat. Habebat ille domi sciorerica horologia, clepsydras, & lampadas inextinguibiles: uti porro de se istæ disciplinæ ac notitiæ nequaquam malæ sunt, etiam postquam in solitudinem se receperat; illarum Studio quadantenus ducebatur. At si quis hac norma Solitarios universos metiri & componere velit, mira atque inusitata confusione Solitudinem repleverit. Itaque in præsenti quæstione Cassiodorus audiri nequaquam meretur; & ad ultimum decem exempla, quæ hic ab Auctore afferuntur, adversus Orientis atque Occidentis generalem Traditionem nullius sunt ponderis vel momenti.

Exemplum Sancti Fulgentii alias refutavimus, & satis præterea fecimus objectis, quæ ex Tractatibus Sancti Augustini ad Monachos Adrumetinos scriptis eruuntur. Quidquid denique ex allatis pag. 175. & 176. exemplis colligi potest, in hoc situm est, aliquos Monasticæ Professionis viros Fidei Dogmatibus studuisse, & de hac materia scripsisse; idemque fieri nunc quoque ab ipsis licite posse, si ad hoc Providentiæ nutu vocentur. Sed nimis infirmæ sunt hæ rationes, quam ut probare valeant, hoc Studium de se Monachis convenire.

Prout vero ad moralem doctrinam attinet, sat esse, inquit Auctor, *Christiano censeri nomine, ut inde necessitas, vel saltem libera potestas arguatur, evolvendi Patres propriæ eruditionis gratia.* Pag. 176.

Si per speciem addiscendæ Moralis disciplinæ, quatenus ad Christianos homines spectat, Solitariis injicere quis velit legendi omnia, quæ antiqui & neoterici Auctores hac de re scripserunt, necessitatem importune prorsus agit. Ex Sacris enim Scripturis, & Patrum Operibus, quæ a nobis toties indicata sunt, affatim discere licet quæ sunt hujus disciplinæ, tum ad propriam eruditionem, tum vero & ad aliorum institutionem; his ulteriora supervacanea sunt, inutilia, & confusioni inducendæ apta.

Illud autem animadversione dignum est, quod prisci Monachi ac veteres Ecclesiæ Doctores, qui divinam hanc morum scientiam, quam Dominus noster in Ecclesiam diffudit, & populis ipsemet tradidit, perfecte calluerunt, omnibus his præsidiis, quæ ut necessaria instrumenta modo proponuntur, destituti olim fuerint.

Forte

Pag.177. *Forte non deerit, qui disciplinæ Ecclesiasticæ Studium Monachis vix necessarium existimet*, &c.

Et jure quidem merito id quispiam existimaverit: Quippe rituum, qui hodie vigent, notitia illis sufficere potest; nec interest ipsorum Ecclesiæ Traditionem penitius expendere, sed ad Pastores Ecclesiasticos id spectat. Præterea lectio Ritualis propriæ Diœceseos, & librorum, qui de Morali disciplina postremis temporibns scripti sunt, quod supra innuimus, satis doctrinæ conferent ad rectionem Animarum.

Quæ de Sancto Viatico, ac de Extremæ Unctionis Sacramento obiter & exempli gratia afferuntur, non multum sane diligentem inquisitionem postulant. Ex Breviario, quo utimur quotidie, discere possumus, non nisi peracta Extrema Unctione Viaticum Ægrotis impertiri olim consuevisse, quamquam hodie hæc praxis in Ecclesia sit mutata.

Pag.179. *Nunc vero perpendendum restat* (inquit Auctor) *quinam sint Patres, quibus legendis Monachi potissimum occupari debeant*.

Si Monachorum Studium sive lectionem ad illa Auctor redegisset, quæ pag. 179. & 180. continentur, de hoc Monachorum officio recte ac distincte magis, quam in sequentibus, loquutus esset. Nam post Sacros Scripturæ Codices, ex quibus illi cognitionum suarum fundamenta petere, lumen & doctrinam ad recte ineundam vitæ rationem promere debent, nihil est in quo uberiorem fructum invenire possint, quam Patrum & Scriptorum Opera, quæ hic enumerantur. Præcedit omnes Cassianus; proxime subiiciuntur Theodoreti Philotheus, Tractatus Sancti Ephræm, Sancti Nili, Epistolæ Sancti Isidori Pelusiotæ, Scala Sancti Jo: Climaci, Monita Sancti Dorothei, Vitæ Sanctorum Patrum qui in Eremo vixere, Acta Martyrum, Ascetica & Moralia Sancti Basilii &c. Quæ in his Operibus leguntur, perquam idonea sunt illustrando Solitariorum intellectui, cordique inflammmando, ut deinceps statum quem amplexi sunt magni faciant, ut ejusdem officia & præstantiam agnoscant, ut Sacræ Scripturæ veritates clarius, quasi face præeunte, intueantur; denique ut de omnibus edoceantur, quæ noscere illos decet, dum scilicet hæc lectio illorum animum intus ad se revocat, atque ab evagatione defendit, quæ sublimiores & latiores scientias plerumque comitatur.

Ad

Ad Ecclesiæ disciplinam accurate dignoscendam, apte & apposite fiet (inquit Auctor) *si libri Apologetici, qui pro Religione Christiana conscripti fuere, attente legantur.* Pag.181.

Quid causæ fuit, Fratres mei, cur in iis quæ articulo præcedenti adnotavimus, Auctor minime conquieverit? Quid illum impulit, ut in profundissimi maris discrimina committeret ejusmodi homines, ad quos spectat in quiete & sancta tranquillitate vivere? Quid ille mere Ecclesiasticis scientiis implicare studet Monachos, & plane diversa instituta, dissimilesque conditiones invicem confundere? Quandonam ad hanc usque diem in eorum libris, qui de Solitariorum exercitiis tractavere, a quoquam lectum est, debere illos id genus lectionibus operam dare? Nonne id perinde est, ac si velit, ut iis rebus sese adplicent, quæ in Monasticarum obligationum numero nunquam sunt habitæ? An aliquid simile animadversum est in vita & gestis Sanctorum Patrum, in Collationibus Cassiani, in iis Sancti Joannis Chrysostomi Operum locis, in quibus de Monastica Professione disserit, apud Sanctum Hieronymum, in Admonitionibus, quas Sancti, Ephræm, Nilus, Isidorus Pelusiota, Dorotheus, Joannes Climacus scripto nobis tradiderunt; adde & in Sancto Bernardo, qui de Monachorum officiis tam late accurateque disputavit, apud Hugonem & apud Richardum de Sancto Victore; atque ut ad nostra tempora transeamus, an aliquid tale animadversum est in Operibus Sanctæ Therefiæ; in Collocutionibus Sancti Francisci Salesii, in Patris Rodriguezii, & Patris Sancti Jure scriptis ad vitam asceticam pertinentibus? Novum denique est atque inauditum hoc systema, quod ex ipsa novitate improbari, & cui nulla adhiberi fides debet.

Cohibere me non possum, quin hic ad vos afferam, Fratres, quæ Sanctus Franciscus Salesius hac de re scripto consignavit: Colloc. 7.
„ Sanctorum veterum Monachorum vitam vobiscum quæso reputate; Sancti Antonii, qui eximiæ sanctitatis & perfectionis causa in honore & gratia apud Deum & apud homines fuit: An per assiduam lectionem, per disputationum, & Communionum frequentiam illuc contendit? Nullo modo. Sed potius exemplis utens Sanctorum Anachoretarum, ab alio quidem abstinentiam, ab alio vero orationem decerpens, sedulæ apis ad instar, de virtutibus servorum Dei prædabatur & deligebat, ad mel sanctæ conversationis conficiendum. Sanctus vero Paulus, Eremitarum auctor & magister, nunquid ad sanctitatis culmen pervenit, optimos libros legendo? At nullos habuisse traditur. Quid in illo sanctitatem effecerit, discite. Acceptam retulit fidelitati & perseverantiæ in earum rerum Studio, quas

„ initio susceperat, & ad quas fuerat vocatus, aliis rebus se deti-
„ neri nunquam patiens.

„ Magna illi sanctitate viri, qui sub sancti Pachomii regimine
„ vitam ducebant, an ne libros præ manibus habuerunt? Nullos.
„ An ne conciones audierunt? Nullas. An Collationes? Has qui-
„ dem habebant, sed raro. Imitari ergo illos debemus, ad no-
„ strum opus intenti, illud videlicet agentes, quod a nobis Deus
„ postulat, juxta vocationem nostram, ferventer humiliter, & ni-
„ hil aliud cogitantes; nec aliam potiorem rationem inquirentes,
„ qua perfecti evadamus.

„ Nunquam alias tantopere Studiis data est opera, sicut hodie
„ solet. Egregii illi sanctique viri, Augustinus, Gregorius, Hila-
„ rius, cujus hodie festa celebramus, aliique plures haud ita eni-
„ xe lateque studuerunt. Neque id facere potuissent quidem, post-
„ quam ad Episcopatum promoti fuerant, cum tot libros scripse-
„ rint, cum Sermones ad populum sæpe habuerint, & quæcumque
„ alia muneris ipsorum erant, exequerentur. Sed illi in tantum
„ Deo & gratiæ ipsius fidebant, de semetipsis adeo parum, ut ni-
„ hil ex propria industria atque labore sperarent: sicque eorum ge-
„ sta fiduciæ ac spei, quam in Dei gratia & omnipotentia colloca-
„ verant, tribuenda sunt.

„ Tu es Domine, ajebant, qui hæc nos agere & in his occupari
„ jubes, propter quem agimus & occupamur; tu quoque laboribus
„ nostris favens, divitem messem nobis es largiturus. Itaque illi
„ suis scriptis & sermonibus uberrimos fructus reportabant; at nos
„ qui in persuasibilibus sapientiæ verbis, in dictionum elegantia,
„ in copia doctrinæ confidimus, evanescere sudores nostros cerni-
„ mus, nec ullum nisi vanitatis fructum colligimus.

Dicet aliquis procul dubio, Sanctum Franciscum Salesium alium fuisse, ac fuerint Sancti Basilius, Augustinus, Gregorius, Ambrosius &c. Ego vero continuo reponam, in illo perinde eminuisse Jesu Christi spiritum; Deum illius prædicationes ad æque bonos exitus semper duxisse; Catholicorum Patrum & Doctorum Opera ab eo fuisse perlecta; & nulli tam probe perspectam officiorum vitæ Monasticæ summam & veritatem fuisse, quam ipsi fuerit.

Monachorum naturale & proprium quoddam pabulum esse debent Sancti Bernardi Opera (inquit Tractatus Auctor.)

Utinam se horum Operum lectioni darent impensius, quam faciunt, atque utinam ei velint fidem habere: profecto alias agitarent animo sententias. Cuilibet ea legenti, quæ Capite decimo Primæ Partis de illo diximus, persuasum fiet, eum a Monacho non erudi-

ditionem aut scientiam, sed pietatem & sanctitatem vitæ requirere.

Idem omnino priscis Ecclesiæ Patribus visum est, inter quos Sanctus Ephræm vitæ Monasticæ labes deplorans, unam illarum esse ait, eruditionem scientiarum captare, Litteratos haberi velle & de Liberalibus Studiis sæpe disputare. „ Fit plerumque (ait il-
„ le) ut qui dum in Sæculo viveret, simplex operarius erat, qui
„ dexteram manum a sinistra vix dignoscebat, postquam Monaste-
„ rium ingressus est, doctrinam & eruditionem præseferat, & vide-
„ ri doctor velit. Omnes esse volumus, inquit, animarum ducto-
„ res, auctoritatem in alios exercere, imperare, Litteras humanas
„ profiteri, divinas Scripturas interpretari, Præceptorum munere
„ fungi omnes appetimus.

Nemo fit in veræ sapientiæ Studio perfectus (inquit S. Isidorus Pelusiota) disputationes & quæstiones Sophistarum curiose sectando.

„ S. Joannes Climacus hæc ait: Non convenit lugentibus Theo- *Grad. 7. art. 25.*
„ logiæ sermo, nam ex eo maxime solvi illorum fletus consuevit.
„ Is enim qui de Theologia disserit in solio Doctoris pompam præ-
„ seferenti, qui autem luget, in cilicio & sterquilinio sedenti com-
„ paratur..... Non accusabimur, o Socii, neque nobis crimini da- *Grad. 7. art. 71.*
„ bitur in separatione animæ a corpore, quod non miracula egi-
„ mus, quod non de Theologia disseruimus, quod non contempla-
„ tioni operam dedimus, sed ob hoc maxime rationem omnino
„ Deo reddituri sumus, quia lugere unquam destitimus..... Alibi *Grad. 25. art. 61.*
„ ait: Sciens Dominus exteriori habitu figurari animæ virtutem,
„ sumpto linteolo humilitatis nobis compendium ostendit. Studiis
„ assimilatur anima, & ad quæ gerit, formatur, atque ad ea figu-
„ ratur. Principatus Angelorum cuidam superbiæ materia fuit,
„ cum tamen non ideo ut superbiret illum accepisset. Aliter affe-
„ ctus est qui in sterquilinio sedet. Et alibi: Dogmatum ingens est *Grad. 27. art. 10.*
„ & alta profunditas: mens autem Solitarii non absque periculo in-
„ siliet in ea.

Non inculcamus hic vobis, Fratres, quæ jam attulimus ex Sancto Basilio in idem argumentum. Subjungam tantummodo quæ ipse ait in Quæstione 218. „ Cujusmodi nempe intelligentiam petere
„ debemus a Deo? Cui quæstioni sic repondet: Sane quid intelli-
„ gentia sit, ipse nos Dominus docet per Prophetam, cum ait: *Jerem. 9. v. 23.*
„ Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in
„ fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc
„ glorietur qui gloriatur, intelligere & nosse Dominum. Et per *Ephes. 5.*
„ Apostolum his verbis: Sed intelligentes quæ sit voluntas Domi- *v. 17.*
„ ni. Hac autem digni haberi possumus, si fecerimus quod scri- *Psal. 45.*
„ ptum est: Vacate & videte quoniam ego sum Deus. Et si persua- *v. 10. Isaia 7.*
„ sum nobis sit, verum esse omne verbum Dei. Nisi enim crederi- *v. 9.*
„ tis, inquit, non intelligetis.

Ep. de contemp. mundi. „ Eucherius ait: Clari apud veteres Sæculi hujus viri, defatigati „ laboribus negotiorum suorum, in Philosophiam se tanquam in do„ mum suam recipiebant. Quanto pulchrius ad hæc manifestissimæ „ sapientiæ Studia divertunt, magnificentiusque ad solitudinum liber„ tatem, & desertorum secreta secedunt, ut Philosophiæ tantum va„ cantes in illius Eremi deambulacris tanquam in suis gymnasiis exer„ ceantur.

Lib. 2. Vit. c. 3. S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, cum Pontiniacum persecutionis suæ tempore secessisset, in eo Monasterio Juris Canonici Studio se initio tradidisse legitur, ut Episcopatus jura, quæ tueri cogebatur enucleate, disceret: sed Joannes Sarisberiensis, quem utpote prudentissimum virum consulere solitus erat Thomas, ei retulisse; Legum. & Canonum scientiam utilem quidem esse, sed illi operam dare ab hoc tempore alienum; Eum, in quo versaretur, statum maxime decere, ut corde ad Deum converso orans ad ipsum confugeret misericordiam impetraturus. Sibi non videri, quod Legum & Canonum notitia ulli unquam compunctionis affectus ingesserit; econtra ex hoc Studio nullum in amore Dei profectum provenire, sed quo doctior quispiam evadit, eo vanioris & levioris animi fieri. Se denique illi auctorem esse, ut Psalmos potius meditaretur & S. Gregorii Moralia. Quod S. Thomas consilium amplexus est.

Pag. 181. Ait: *Jure existimari, ut utiliter legantur Patrum Opera, opus esse ea proprio quo sunt edita idiomate perlegere, proindeque præter Latinam, Græcam quoque linguam addiscendam esse. Insuper præter Sacram Paginam, cui hujuscemodi Studium in primis innititur, necessum esse, Historiam Ecclesiasticam, Scholasticam, prophanorum etiam Auctorum Scripta, Criticamque prænoscere.*

Non negamus esse quædam in libris Scripturæ & Patrum paulò abstrusiora, quæ linguarum Originalium beneficio nitidius ac planius explicari possunt, quam per versiones in aliud idioma; sed istà raro contingunt. Itaque ut divinæ Scripturæ, Sanctique Patres utiliter legantur, originarium horum textum legendum esse, nullo jure quis dixerit; alioqui pauci jam illorum intelligentiam attingerent, cum Linguæ, quibus primitius Libri illi scripti fuerunt, a paucis intelligantur.

S. Augustinus, licet Orientalium Linguarum ignarus, nonne Verbo Dei maximo cum fructu, ac benedictione præ ceteris usus est, sive cum illustres veritates atque Evangelica instituta, quæ in ejus Enarrationibus in Psalmos, & passim reperiuntur ubicumque de Morali Christiana disseruit, populis traderet; sive cum Hæreticos oppugnare, eorum impietatibus obsistere, errores, & blasphemias refutare aggrederetur.

Nemo

Nemo profundius Sancto Bernardo Scripturarum sensum scrutatus est, nemo tam acute, ac ille, earum mysteria evolvit, aut aptius accommodavit; quippe illas sæpe a se lectas, atque attente ponderatas eousque habebat in numerato, ut in omnibus locis apposite, proprie, demum inimitabili quadam ratione adhiberet. Nulla tamen erat Linguarum Orientalium notitia imbutus.

Et re quidem vera absonum foret, in Cœnobiorum Claustra Linguarum Studium introducere velle, præter Latinam, cujus tritus & vulgaris est usus. Nunquam enim quisquam tale quid prodidit circa Monachorum officia. Hujusmodi quidem sententia suapte sponte cadit, absurda vero & incommoda, quæ inde consecutura sunt, nemo non videt. An non satis est Monachis Scripturas intelligere, quemadmodum Patres illas intellexere, insuper habita ulteriori aut magis exquisita investigatione? Quod si rite parati earum lectioni & meditationi se dederint, Deus illos illuminabit, & sine ullo prorsus dubio illis necessarias quaslibet notiones ingeret. Accedit, quod tam accuratæ & fideles Sanctorum librorum in omnes passim Linguas versiones jam prostant, ut metu erroris excluso, his tuto fidere possimus.

Scholasticam quod spectat, ejus cognitio simplicitati, quam Monachi profiteri debent, ita est contraria; humilitatem, qua ablata Cœnobiticum Institutum utut sanctum, hypocritas potius exhibebit quam sanctos viros, intantum abolere valet, ut prorsus eximenda sit numero earum exercitationum, quibus ut sese adplicent, Monachis permittitur, vel imperatur.

Criticæ studium, cujus Auctor meminit, omnium Studiorum periculosissimum, atque ad depravandos animos Cœnobitarum aptissimum est. Jus illi atque arbitrium ab hoc Studio conceditur omnia expendendi, de omnibus judicandi; nihil est, quousque Censoris oculus non pervadat. Ipsa Sacra Scriptura parum illi correcta videtur; consulenda passim & quovis fere momento sunt (si illos audias) Autographa Greca, Hebraica, Syriaca: Patres & Doctores Ecclesiæ sensum illius nequaquam perceperunt; levia sunt eorum ratiocinia, obscuræ notiones, minus accuratæ interpretationes; hi quidem nimis breves, hi vero nimium diffusi; multa illi sæpe ignorant; Neoterici sunt illis doctiores & perspicaciores. Hæc aut his similia Monachi, qui si proprii instituti legibus obtemperent, dociles erunt, submissi & humiles spiritu, ad quos pertinet non ut aliorum duces sint, sed ut ab aliis ipsi ducantur, qui sub manu suorum Præpositorum, quasi oves sub Pastorum manu jugiter esse debent; hæc, inquam, Monachi deblatterant Critices Studio initiati, Judices sese constituunt, & ad propriæ rationis normam omnia componunt, aliter sentientes quoscumque contemnunt. Quid hoc aliud est, quam eorum professionem funditus evertere?

Porro ne Censoris animum sumamus, illud etiam obstare maxime debet, quod nostra memoria magis quam præteritis Sæculis Criticæ exercendæ cacoethes obtineat; quod Aristarchis omnia sint plena; demum quod cuncti fere sua Studia eo dirigere videantur, ut aptitudinem seu facultatem censoriæ virgulæ adhibendæ consequantur. In hoc omnis scientia & doctrina collocari fere solet; mirum quantum difficultatum numerus propterea augeatur, quanta ambiguitas atque incertitudo sanctissimis, certissimis & nunquam antea controversis veritatibus inuratur. Monachi ut in hæc absurda deveniant, proniores ceteris sunt; cum enim in solitudine agant, liberiori & magis assidua cogitatione facile eorum imaginatio effervescit, sibimetipsis impensius quam ceteri hominum indulgent, excutiunt intelligentiam, quidvis mente concipiunt, & proprii ingegnii opera quælibet sine ulla dijudicatione admittunt. Si ergo patimur, Monachos Criticæ Arti operam dare, pene ineluctabili ruinæ illos objicimus, ut plurimum enim quæ Monachorum animos semel affecerint, regressum non habent.

Pag.182. Monet Auctor, ut *Crisis prudenter, discrete ac moderate instituatur.*

Hæc docere & verbo quidem tradere proclive est, re autem ipsa viro Critico frænum injici nullo modo potest. Aliena castigandi atque expungendi libido jugiter crescit, extimulatur, acuitur; ubi vero cuipiam Solitario fræna remiseris, quis erit inhibendi modus? Effrænis hujusmodi licentia latius excurret, & hærebit in omnibus, ad quæ vitæ ratio aut negotiorum varietas illum appulerit: jam ipse Institutoribus & Patribus suis doctior erit: Regula, quam amplexus est, haud satis discreta, vel prudens ipsi videbitur: non obsequetur iis, quæ agi aut dici a Superiore suo viderit, & in eo sive hortante, sive arguente, quæ sunt culpanda semper inveniet.

Quæ vero ad lectionem prophanorum Auctorum pertinent, de iis alio loco dicemus.

Pag.183. *Convenire*, ait Tractatus Auctor, *ut in legendis Patrum scriptis series aut ordo temporum servetur.*

Monita circa instituendam rite Patrum lectionem paginis 183. 184. 185. comprehensa, hominibus ad penitiorem eruditionis Ecclesiasticæ notitiam contendentibus, informandis sunt apta; Monachis vero nullo pacto conveniunt. Priores illi maxime explicatam ordi-

ordinatamque rationem in Studiis suis sequi debent; tempora, quibus Auctores singuli scripserunt, accurate distinguere, ut peculiarem modum, quo de Dogmatibus disputatum est, animadvertant; opinionum originem, mutationes, defectus, qui subinde inoluerunt, rituum & consuetudinum diversitatem pro diversis Sæculis cognoscere; nihil denique eorum, quæ anteactis temporibus contigerunt, ignorare, quatenus ad rerum summam, aut adjuncta pertinet. At Monachorum quid refert; Cassianum ne legant ante Sanctum Basilium, Sanctum Augustinum ante Sanctum Joannem Chrysostomum, an vice versa? dummodo quæ unoquoque illorum documenta invenerint, docibili animo suscipiant, dummodo illis intime afficiantur, atque inde proficiant. Non ea illi mente legunt, ut doceant, ut disputent, sed ut propria officia cognoscant, simulque vias, & media, quibus uti debent ut illa exequantur. Neque erraverit quispiam dicens, utiles fore eorum lectiones, quoties illas simpliciter, incuriose, sine ulla arte & adfectatione peregerint, & quoties eum sibi scopum proposuerint, ut in Professionis suæ amore confirmentur, ut quæ Deus ab ipsis requirit, intellectu capiant, & opere fideliter compleant.



CAPUT IV.

Pag. 188. *De Sanctorum Patrum lectione, prout ad Theologiam confert.*

CAPUT V.

Pag. 193. *De Studio Conciliorum, & juris, tum Canonici, tum Civilis.*

CAPUT VI.

Pag. 207. *De Theologia Positiva & Scholastica.*

CAPUT VII.

Pag. 219. *De Doctoribus Theologiæ Moralis.*

OMne id, quod ab hujus Secundæ Partis Capite quarto usque ad decimum apud Tractatus Auctorem disputatur, certum ordinem, accuratam, doctamque methodum definit ac docet, cujus adminiculo ad rerum Ecclesiasticarum scientiam tuto perveniatur. Nec ulla res, quanta sit hujus Auctoris eruditio, apertius demonstrat, quam præceptorum tam belle connexa ordinataque series: Nihil his utilius aut scitu magis necessarium iis hominibus, quos Deus altiori scientiæ destinat, qui alios docere, ad populum conciones habere, conscientias regere, Ecclesiam doctrina & loculentis scriptis illustrare debent.

Quod vero Monachos spectat, quos Deus in Ecclesia suscitavit, ut ab aliis docerentur, quos Solitudini dicavit & silentio, quive Patrum suorum consiliis inhærentes, hoc est Dei ipsius voluntati obsecundantes, tectam obscuramque vitam agere debent; nihil illis minus conveniens est, quam hoc latum & diffusum variarum rerum studium. Et si ad illud compellantur, perinde erit, ac si de proprii status finibus eos quispiam eduxerit, periculoque objecerit delendi ab animo originis & Institutionis suæ veritatem, amittendi quietem, sectandi vanitatem atque elationem, eousque ut esse appetant, quod ut sint conditio ipsorum non patitur. Demum id perinde erit, ac sanctam illorum tanquillitatem interturbare, quam spectare animo debuerunt tunc, cum de Sæculo emergerent, omnem illis fructum, omnem utilitatem, omnes recessus deli-

delitias subtrahere, quemadmodum pluries a nobis animadversum est.

Sancti, Antonius, Pachomius, Hilarion, atque ut in Occidentem transeamus, Sancti, Benedictus, Romualdus, Joannes Gualbertus, Stephanus Grandimontensis, Bruno, Stephanus primus Cisterciensis Abbas, Bernardus, Petrus Cælestinus, illud sibi minime proposuerunt, ut Doctores Ecclesiæ darent, doctrina & eruditione sua illi militaturos; sed tales viros, qui suis gemitibus, lacrymis, orationibus, silentio, carnis & spiritus mortificatione, virtutis & pietatis exemplum omnibus essent: Atque omne illorum Studium eo spectare debet, ut horum officiorum veritatem intelligant, & rationes, quibus exequi illa possint, inveniant.

Hæc vobis, Fratres, crebro atque iteratis vicibus inculco, quod mihi sese occasio id agendi indesinenter offerat: & quemadmodum alii quidam numquam defetiscuntur usque adeo experiri, donec Monachos in ignorantia suorum officiorum confirment; ita, ut de iisdem sæpius disseram, atque ea subinde illorum oculis & memoriæ subjiciam, nunquam est mihi cessandum.

CAPUT VIII.

De Studio Sacræ atque Prophanæ Historiæ.

Pagina 224.

RES hoc Capite comprehensæ, similiter reliquis hucusque examinatis, ejusmodi sunt, Fratres mei, ut Solitariorum animos dissolvere, & ad varias cogitationes distrahere valeant, ut a cura & studio suimetipsorum illos facile avocent, & ad ea cognoscenda impellant, quæ non custodiendæ humilitati quam amplexi sunt, sed augendæ noxiæ curiositati nimis inserviunt.

Indubitatum est (inquit Auctor) *absque Studii hujus adminiculo nec Patrum exactam notitiam, nec Theologicæ scientiæ a quoquam obtentum iri.*

Pagina 225.

Sed quæso, Fratres, an est necesse, ut Monachi quidquid Patres scripto consignarunt, perfecte absoluteque cognoscant? Cui unquam Veterum in mentem venit, ut talem scientiam ab illis requireret? Modo ex institutis atque doctrinis, quas illic inveniunt, profecerint, dummodo quæ illic de ipsorum obligationibus disputantur, in proprium usum converterint, mores ad eorum præscripta composuerint, pias veritates ibi traditas tanquam regulas moderandæ vitæ acceperint; quid ultra ab illis desideramus?

Melchior Canus, qui hoc loco citatur, Theologorum quem-

quam

quam Historiæ ignarum, Theologi nomine immerito gloriari, ait: digna profecto tali Monacho sententia, qui suapte natura in cogitando & dicendo acer & vehemens fuit. Verum enimvero Monachi quid interest, absolutum omnibus numeris Theologum esse, modo fuerit vir absolute perfecteque religiosus, nempe modo sese compescat, atque illarum virtutum exercitium unice studeat, quæ ipsum proprii status sanctitate dignum efficere possint? Cum D. N. Jesus Christus Judex cunctorum advenerit, illum non de Theologico Studio, sed de Obedientia, de humilitate, ac de omnibus suæ Professionis officiis interrogabit.

Pagina 225. *Ex Historiarum peritia* (subdit Auctor) *peculiaris quædam prudentia ratio in nobis gignitur, ob diuturnam præteritorum eventuum animadversionem.*

Fateor quidem, Historiæ cognitione homines prudentiores & sapientiores fieri posse; nulla re magis quam eventis contingentibus Deum hominibus documenta præbere: & si quid est, quod, a Sæculi amore, ab ejus voluptatibus, fortunis, laude & vanitate tanquam a rebus fallacibus nos exolvere valeat, id profecto esse, attentam eorum quæ in Sæculo eveniunt considerationem. Necesse tamen non est Historiam nosse in tota ejus latitudine, aut historicum Studium ut apprime requisitum & præcipuum instituere. Sacra Historia, quæ innumeris eventis notatu atque animadversione dignissimis passim est referta, Monachis sufficere potest. Cumque fuerit Spiritu Sancto dictante, ad nostram doctrinam scripta; vim egregiam & singularem continet ad persuadendum, ad movendos & convincendos animos: Quod non perinde fit in profana Historia. Denique Monachus non Historicus esse debet sed Monachus.

Pagina 225. *Quod si eos nemo reprehendit, qui Sacræ vacant Veteris Testamenti Historiæ, ne Ecclesiasticæ quidem* (inquit Auctor) *Studium vituperari convenit.*

Licet ad hæc, Fratres mei, bifariam respondere: & primo quidem quosdam ex Patribus in hac fuisse sententia, ut alias demonstravimus, quod nempe Veteris Testamenti lectio, demptis Psalmis, librisve Sapientiæ paræneticis, Solitariis nequaquam conveniret.

Deinde vero, Historiam Veteris Testamenti uno tantum Volumine esse comprehensam; at Ecclesiasticam Historiam adeo late patere, ut si in eo perfectionis gradu addiscenda sit, qui proponi videtur, oporteret Monachos omne vitæ suæ tempus in ea collocare, ut jura & rationes Pontificum, Episcoporum, Regum perspecta habe-

haberent; factiones item, partes, occulta consilia & varia molimina Conciliorum; quod infinitæ propemodum disquisitionis est: Qui fiet vero, ut tam varia historicorum lectio non agat in transversum animos, distrahatve, aut tollat prorsus religiosam mentis collectionem; quæ finis præcipuus esse debet, propter quem a mundo digressi sunt.

De Herodoto verba faciens innuit Auctor, *Henricum Stephanum conatum fuisse illum excusare super omnibus commentitiis narrationibus, quas in ipso inveniri multi opinati sunt.* Pag.235.

Cum Herodotus tum ipso genere Historiæ ac factorum quæ narrat, tum sermonis venustate & nativo quodam colore lectu sit perjucundus; cumque evenire facile possit, ut qui eum excusatione digniorem existimari gauderent, ejus defensionem ex Apologia quam concinnavit Henricus Stephanus, desumere velint; proderit fortasse monere, hanc Apologiam, atque eam præsertim, cui titulus est, *Introduction au Traité de la conformité des merveilles anciennes avec les Modernes ou Traité préparatif à l'Apologie pour Herodote*, adeo esse sacrilegis & impiis sententiis refertam, ut ab homine vere Christiano sine horrore legi non possit; atque ejus lectionem Monachis absolute interdicendam.

Photii sententia, quam adducit hoc loco Tractatus Auctor, licet non ad Henricum Stephanum, sed ad ipsum Herodotum referatur, omnino est periculosa. Plerumque enim illi, qui non divino instinctu, sed ut sibi solis placeant, ad legendum se conferunt, rebus noxiis libentius immorantur quam utilibus; & proprio judicio, ac ratione innixi, pravas affectiones induunt, quæ vix aboleri umquam poterunt, justam præsumptionis pœnam subeuntes.

Auctor ait, *prophanam Historiam ad Sacræ Historiæ cognitionem multum conferre.* Pag.232.

Certus equidem sum, Fratres mei, Sanctos Antonium, Hilarionem, aliosque Solitudinum religiosos incolas, immo, ne longius provehamur, Sanctos Benedictum & Bernardum his instrumentis aut præsidiis nequaquam usos fuisse, ut sublimem hanc atque adeo necessariam scientiam sibi compararent. Scripturas callere possumus tum quatenus ad nostram, tum etiam quatenus ad aliorum eruditionem pertinet, licet hoc genus adminiculorum insuper habeamus. Ad ultimum nihil erit in hoc absurdi aut incommodi, quod minimas quaslibet Scripturarum circumstantias Monachus haudquaquam didicerit; quin etiam proderit aliquando, ut nonnulla ignoret, quorum notitia nullatenus ipsi est necessaria: Quod fatetur ipse Tracta-

Pagina 352. Tractatus Auctor, cum disertis verbis ait, assiduam Scripturarum lectionem cum meditatione atque animadversione conjunctam, vice Commentarii Monachis esse posse, qui pietatem tantummodo ob oculos habent; non nisi enim litteralem & moralem illarum sensum investigare debent, de difficultatibus Chronologicis & Criticis, quæ ipsis nulli usui forent, parum aut nihil soliciti.

CAPUT IX.

De Studio Philosophiæ.

Pagina 243. CUm agendi ratio ab Antiquis custodita, Regulæ loco nobis sit, quam sequi omnino debemus; cum ii præiverint, ut nobis iter sternerent, & suo nos exemplo docerent: Nihil magis est Solitario metuendum, quam ne a Patrum suorum via recedat; siquidem illos a Deo missos fuisse, Deique instinctu ac Spiritu ductos egisse, usquequaque certus est.

Quamobrem cum illi intra Cœnobia Philosophicas Scholas minime erexerint, neque operam huic scientiæ dederint, quæ nata est distractionem & superbiam parere, animi passiones ciere, ad pravam æmulationem provocare, rixandi & disputandi libidinem ingerere animis illorum, quos se submittere, & aliis obtemperare maxime decet; Quomodo nobis probari poterit Studium Veteribus ignotum, seu potius ab illis rejectum, cujus nempe pericula ipsi præviderunt, quodque aptissimum obruendis virtutibus Cœnobiticæ vitæ propriis existimarunt?

Et revera quid illa humilitatem, firmissimamque pacem, quæ intra Cœnobia vigere debet, certius turbare valet, quam invectio Studiorum, ex quibus perpetua suboriatur occasio elationis, & rixæ propter opinionum differentias, ad hæc malorum habituum, obfirmati in propria sententia animi, demum arrogantiæ intolerabilis, qua quis propriam opinionem Fratris sui opinioni omnino vult prævalere? Nec enim aliquid contingit frequentius inter eos, qui Studiis hujusmodi sese dederunt, quam quod argumenta undequaque petant ad ea quæ ipsi sentiunt sustinenda, quæ vero aliis videntur, oppugnanda. Quilibet a se stare victoriam præsumit, valentior aliis, doctior, perspicacioris ingenii videri studet, quid sit docili intellectu manus dare veritati prorsus ignorat. Nonne id Monacho perinde esset, ac omnium passionum perniciosissimam ultro fovere?

Institutores Cœnobiticæ vitæ pro virili sua parte conati sunt aptissimas excogitare atque invenire rationes, quibus animos versatiles, ac flexiles redderent, quibus benevoli obsequii, sanctæque submissionis sensum illis ingererent, ut proprium abnegare judicium, &

suas

suas quidem cogitationes deponere, alienis morem gerere parati semper essent. In hoc sita est Sanctorum scientia, quæ eadem est ac Monachorum; hoc spectare omnia illorum Studia debent; hæc est illis addiscenda Philosophia; quam qui jam consecuti sunt, aut in præsenti consequi student, eos prophanæ Philosophiæ maximos contemptores esse, pro certo, Fratres, velim habeatis. Denique alterius quidem Philosophiæ Studio Monasteria audacium atque obstinatorum virorum, alterius vero simplicium ac docibilium plena reddentur.

Hæc omnia ad Solitarios tantummodo refero, atque ad illos, qui Monachatum vere profitentur: Ad illos autem, quos Deus ipse vocat ad scientias, viris in solitudine agentibus alienas, noster hic sermo non pertinet.

Necessariam esse Philosophiam, inquit Auctor, *ad hoc ut recte ratiocinari, & verum a falso secernere discamus.* Pag.246.

Profecto quibus Deus naturalem rationem, accuratum & rectum ingenium contulit, hi nullatenus egent Philosophia, ut dispositiones, quas ab ejus benignitate receperunt, perfectiores reddant; præsertim si non in eo sunt statu, in quo scribere, docere, de scientiis disputare teneantur, sed illius instituti censentur, quod vitam in quiete ac silentio agere postulat. Quod si naturæ dotes perficere ipsis quandoque necesse fuerit, satis ad hoc erit eorum librorum lectio, quibus licite ac tuto uti possunt, aut debent.

Monachus bono a natura præditus ingenio, in Homiliis Sanctorum Patrum, Jo: Chrysostomi, Basilii, Augustini, aliorumque multorum facile inveniet quidquid rationi suæ lumen & normam præferre potest; cogitandi, ratiocinandi, forsan & loquendi modum his Patribus familiarem exprimet atque imitabitur, quoties sese offeret occasio proprias explicandi, aut in lucem edendi sententias.

Econtra ille, cui æque bonum aut æque rectum ingenium minime obtigerit, magis magisque vitium capiet, nedum Philosophiæ studio corrigi aut reddi melior possit. Illius judicia & ratiocinia errori ac falsitati propius accedent, absonas magis atque inusitatas sententias mente revolvet, a trita via nimium aberrabit in omnibus: Quodque gravius est, audacior ac præfidentior ab hoc Studio factus, ineptias atque absurditates temere ac libere venditabit, & perinde tuebitur, ac si pari cum Sancto Bernardo auctoritate & sapientia munitus esset.

Quamobrem affirmare licet, Philosophicum Studium non solum in Solitariorum Claustris inutile esse, verum etiam magnæ illorum depravationi occasionem præbere posse. An non pietati ac sapientiæ adversantur, qui hisce offendiculis & tentationibus integras Soda-

Sodalitates Monasticas exponunt, quin ulla cogat aut necessitas aut ratio.

In ejus vit. c. 25. In Sancti Antonii vita memoriæ proditum est, quosdam Sæculi Sapientes, qui eum convenerant, ut irriderent, eoquod Studiis operam nequaquam dedisset, interrogatos ab eo fuisse: Quid prius esse putatis, ingenium, an scientias? Utrum vero horum vobis videtur alterius causa esse? Illis porro ingenium scientiis præcedere, has quippe illud excogitaverat, respondentibus, subjecit sanctus Vir: Non ergo necessariæ sunt scientiæ bonum ac sanum habenti ingenium.

Pagina 254. *Catechismum Concilii Tridentini, sive aliquam Theologicam Summam, sufficere posse*, inquit Tractatus Auctor, *ad juniorum Monachorum instructionem*.

Cum Tridentini Concilii Catechismus sufficiat, ut hic affirmatur; cumque liceat compendiosam quandam ac brevem Theologiam tradere, quæ necessarias notitias præcipuorum Capitum Religionis Christianæ comprehendat; quid est cur Monachos gravioribus Studiis implicemus? cur illos velimus tempora dicata orationi, meditationi, asceticis lectionibus, manuali labori, aliisque exercitiis, quibus uniuntur Deo, insumere Studiis & occupationibus, quæ ab hujusmodi officiis illos avocare atque abstrahere possunt.

CAPUT X.

Pagina 257. *Continuatio ejusdem argumenti; ubi etiam de Scriptis, ac Disputationibus Philosophicis agitur.*

TOta hujus Capitis materia non minus ac illa, de qua in præcedenti actum est, ad Solitarios nullo modo pertinet. Quantum inde emolumenti petere Ecclesiastici possunt, tantum indidem damni ad Monachos potest redundare. Illi quidem hic habent, quibus professione sua digniores reddantur; his vero metuendum est, ne a sua professione discedant, ita ut reipsa apud Deum & apud homines ii esse nequeant, qui esse debent; nisi forte ex peculiari Dei munere damna ab hisce Studiis illata imposterum farciant.

Vix aliquis, sat scio, huic nostræ sententiæ subscripserit, nisi quælibet anticipata opinio procul facessat, & nisi de Monastica professione judicium feratur ex ipsa potius rei veritate, quam ex statu, in quo hodie conspicitur. Sed hoc parum omnes curant; sine quo nihi-

nihilominus de Monachorum officiis atque institutis nec recte nec vere pronunciari quidquam potest.

CAPUT XI.

De Studio Humanarum Litterarum. Pag.268.

NEutiquam miror, Fratres mei, Sanctos Cœnobiticæ vitæ Auctores discipulis suis Humanarum litterarum Studia interdixisse, nec pati potuisse, ut iis rebus sese exercerent, quæ cum promissis, quibus se Deo obstrinxerunt, tam parum conveniunt. Puritas, quam voverunt, magnum aliquid ac sublime eatenus est, ut jugiter ad exequenda officia sua intenti esse debeant, quo ab omnibus, quæ hanc puritatem vel minimum lædere possunt, sedulo caveant. Quomodo ergo Litteris Humanis sese dederint, cum illæ innumeras cognitiones includant, quæ sunt ceu totidem scopuli, ad quos vix fieri potest, ne illi suam navim allidant?

Humanarum Litterarum nomine veniunt (inquit Auctor,) *Grammatica, Linguarum Studium, Gentiles Philosophi, Oratores, Historici, ac Poetæ;* ea videlicet Opera, quæ quidquid castissimos animos corrumpere atque inficere natum est, in se continent. Ut certum exploratumque omnibus sit, Philosophorum lectionem perniciosam esse, nosse sufficit, quomodo Sanctus Paulus suam hac de re sententiam aperiat, cum his verbis Collossenses monet: *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* Coloss. 2. v. 8.

In Constitutionibus Apostolicis legere est, quatenus Fidelibus inculcetur, ut a Gentilium Libris abstineant, qui imbecillium fidei convellendæ, iisque in errorem perducendis aptissimi sunt: *Abstinete ab omnibus Gentilium libris; quid enim tibi cum externis libris, vel legibus, vel falsis Prophetis, quæ quidem leves a fide abducunt? Nam quid tibi deest in lege Dei, ut ad illas Gentilium fabulas confugias? Nam si historica percurrere cupis, habes Reges. Si sophistica & poetica, habes Prophetas & Job & Proverbiorum Auctores, in quibus omnis poeticæ ac Sapientiæ accuratam rationem invenies, quoniam Domini Dei, qui solus est sapiens, voces sunt. Quod si Cantilenas cupis, habes Psalmos. Si rerum origines nosse desideras, habes Genesim. Si leges & præcepta, gloriosam Dei Legem. Ab omnibus igitur exteris & diabolicis libris vehementer te contine.* Constit. Ap. Lib. 1. c. 7.

Eodem sensu Tertullianus de Platone loquens, qui omnium veterum Philosophorum celebratissimus, & hominum existimatione cumulatissimus fuit, hæc ait: Doleo bona fide *Platonem omnium Hæreticorum condimentarium factum. Illius est enim & in Phœdone, quod Animæ hinc euntes sint illuc, & inde huc.* Lib. de Anima c. 23.

Ejus-

Ejusdem Tertulliani nativa descriptio ac pictura Gentilium Philosophorum conspicitur, ubi Philosophum cum Christiano comparat: Apologet. c. 47. *Quid simile Philosophus & Christianus? Græciæ discipulus & Cœli? famæ negotiatur & salutis? verborum & factorum operator? rerum ædificator, & destructor? interpolator erroris, & integrator veritatis?* Adversus Hermog. n. 9. *furator ejus, & custos?* Ne multa, *Philosophos Hæreticorum Patriarchas* fuisse, alio loco pronunciat.

In Oratoribus atque Historicis quid aliud, Fratres, sæpius advertitis, quam homines, qui omnes conatus atque omnem operam ponunt in iis rebus acquirendis, quas Dominus Deus noster jubet ut contemnamus; qui gloriam quærunt, cujus ne ullo sensu, aut ulla cupiditate tangamur, idem vetat? Oratores quidem illud sibi unice proposuerunt, ut laudem immortalem apud posteros consequerentur. Prophani vero Historici quid aliud exhibent, nisi homines immodico suarum passionum amore constrictos, honoris cupidos, ambitioni, vanitati, odio, vindictæ, cupiditati obnoxios, qui ut animum suum ac libidinem explerent, nihil prætermiserunt?

Poetas quod spectat, vix datur illos intelligi, nisi discantur Gentilium fabulæ: At quid non scelestum, quid non turpe fabulæ istæ præseferunt? Poetæ sciunt fœdissima vitia decorare, coloribus deformitatem inumbrantibus pingere, in specioso lumine collocare, ut amabilitatem illis conferant, & venenum, quod intus latet, sub honesta decentique facie tegant.

Jure igitur merito Sancti tam perspicuis verbis Solitarios ab humanarum Litterarum Studio prohibuerunt. Nec nostræ sententiæ oppugnandæ idonea sunt Sancti Clementis Alexandrini, Sancti Cypriani, & Sancti Justini quæ afferuntur exempla. Quippe illos Deus destinaverat ut essent Gentilium monitores, ut eorum falsas & insanas opiniones subverterent: Quod ut illis ex sententia succederet, oportuit eorum, quæ Philosophi & Poetæ scripserant, exquisitam habere notitiam, in horum enim scriptis dogmata, opiniones, & Religio Gentilium continebantur.

Quando eorum lectionem permisit Sanctus Basilius, ut singillatim de Homero notat Tractatus Auctor, hoc ad Monachos & Solitarios non retulit. Ipsum vero huic lectioni non multum opere dedisse, vel hinc patet, quod illam commendans, ad virtutem animos excitare ait, quemadmodum acceperat a docto quodam viro, qui maxime Poetarum sensus tenebat.

Sed ut ad Monachos redeam; antiquos Patres librorum prophanorum Regul. fus. q. 75. lectionem illis interdixisse certum est. Sanctus Basilius de institutione illorum agens, qui per Professionem Deo dedicandi sunt, monet ut fini quem jugiter ante oculos habere debent convenienter edoceantur; ut magistri vocabulis in Sacris Litteris usitatis apud ipsos utantur, & loco fabularum, historias ipsis rerum mirabiliter a Deo gestarum denarrent, itemque sumptis ex Proverbiis sententiis ad virtutem erudiant.

S. Hie-

S. Hieronymus eamdem animo versabat sententiam, cum ait: *Dæmonum cibus est Carmina Poetarum, sæcularis sapientia, Rhetoricorum pompa verborum; hæc sua omnes suavitate delectant, & dum aures versibus dulci modulatione currentibus capiunt, animarum quoque penetrant, & pectoris interna devinciunt.*

Videre est apud Cassianum, quo pacto Germanus Abbas, qui hos libros in prima ætate lectitaverat rerum in iis contentarum memoriam altas jecisse radices queratur: „ Speciale impedimentum salu- Coll. 14. c. 12.
„ tis accedit, pro illa quam tenuiter videor attigisse notitia litte-
„ rarum, in qua me ita vel instantia Pædagogi, vel continuæ le-
„ ctionis maceravit intentio, ut nunc mens mea Poeticis vel infe-
„ cta carminibus, illas fabularum nugas, historiasque bellorum,
„ quibus a parvulo primis studiorum imbuta est rudimentis, ora-
„ tionis etiam tempore meditetur, psallentique, vel pro peccato-
„ rum indulgentia supplicanti, aut impudens poematum memoria
„ suggeratur, aut quasi bellantium Heroum ante oculos imago ver-
„ setur, taliumque me phantasmatum imaginatio semper eludens,
„ ita mentem meam ad supernos intuitus adspirare non patitur, ut
„ quotidianis fletibus non possit expelli.

Idem animo versabat Sanctus Augustinus, eamdemque fovebat Lib. 1. sententiam, de institutione, quæ sibi adolescenti fuerat tradita in Confess. Libro suarum Confessionum loquens; & quando in una ex suis Epi- cap. 13. stolis ait: *Huic humilitati saluberrimæ, quam Dominus noster, ut doceret, humiliatus est: huic, inquam, maxime adversatur quædam, ut ita dicam, imperitissima scientia; dum nos scire gaudemus, quid Anaximenes, quid Anaxagoras, quid Pythagoras, quid Democritus senserint, & cetera hujusmodi docti eruditique videamur, cum hoc a vera doctrina & eruditione longe absit.* Ep. 118.

S. Isidorus Pelusiota hanc eandem sententiam confirmat his verbis, Lib. 1. quæ in quadam ex ejus Epistolis leguntur. „ Quis te (affatur Mona- Epist. 63.
„ chum) comicis salibus non perstringat? Quis te non commisere-
„ tur, qui cum in Philosophiæ discipulorum Domini tranquillitate
„ sedeas, Gentilium Historicorum & Poetarum tumultum atque æstum
„ tecum trahas? Quid enim, dic quæso, apud illos est, quod Reli-
„ gioni nostræ sit præferendum? Quid non mendacio ac risu scatet,
„ ex iis quæ magno studio consectantur? An non divinitates ex vitio-
„ sis affectionibus? An non fortia facinora pro vitiosis affectionibus?
„ Quamobrem ipsam quoque fœditatis & obscenitatis lectionem fu-
„ ge (nam ea miram ad aperienda vulnera jam cicatrice obducta
„ vim habet:) ne alioqui vehementiore cum impetu spiritus impro-
„ bus revertatur, ac deteriorem & perniciosiorem tibi priore igno-
„ rantia aut negligentia cladem inferat.

„ Idem Sanctus Pater alio loco ait: Si divina oracula sinceram & Lib. 1.
„ perfectam vivendi rationem significant, supervacaneam esse curio- Epist. 5.
„ siorem inquisitionem iis, qui prudenter in eorum lectione ver-

Ep. 369. „ ſantur. Alibi quoque, poſtquam Monachis Sacræ Scripturæ le-
„ ctionem commendavit, hæc ſubjungit: Quæ autem extra hoc Vo-
„ lumen circumferuntur, etiamſi quidpiam habeant, quod ad gravi-
„ tatem, vitæque honeſtatem allicere queat, iis inveſtiganda & con-
„ ſervanda relinque, qui verborum pompæ potius ſtuduerunt.

Lib. 4. Epiſt. 1. „ Si vis acquirere compunctionem, ait S. Nilus, Auctores Propha-
„ nos ſive Hiſtoricos, ſive Oratores, ne legas. Præterea in hanc
„ rem graviſſimis ſententiis ſcribit in Epiſtola quadrageſimanona li-
„ bri ſecundi, ubi ceu inſanam & abſurdam traducit illorum agendi
„ rationem, qui cum Monaſticum ſtatum amplexi ſint, vanis hiſce ac
„ falſis lectionibus detinentur.

Cap. 38. In regula Solitariorum hæc legitis: *Non oportet Solitarios Gentilium libros legere, ne forte oblectamenta inanium fabularum, vel figmenta Poetarum mentem excitent ad incendia libidinum.*

Petrus Dam. ad Ar. Ab. & Mon. Epiſt. 17. S. Petrus Damiani, poſtquam incommoda, quæ a ſcientiarum Studio proveniunt, enumeravit, ac exemplis demonſtravit, ſic exclamat: *Quocirca Dilectiſſime Fili, noli hujuſmodi ſapientiam quærere, quæ tibi ſimul cum reprobis & Gentilibus valeat convenire. Quis enim accendit lucernam, ut videat Solem, quis ſcolacibus utitur, ut ſtellarum micantium videat claritatem? Ita qui Deum vel Sanctos ejus ſincero quærit intuitu, non indiget peregrina luce, ut veram conſpiciat lucem. Ipſa quippe vera Sapientia ſe quærentibus aperit, & ſine adulterinæ lucis auxilio, lucis inoccidua ſe fulgor oſtendit. Unde ſcriptum eſt:* Sap. 6. *Clara eſt ſemper, & nunquam marceſcet ſapientia: & facile videtur ab his qui diligunt illam: & invenitur ab his qui quærunt illam: præoccupat eos qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat.*

Hugo a S. Victore lib. 4. de arca moral. c. 8. tom. 2. Silentio præterire non poſſum, Fratres, ea quæ ſuper hac re legimus apud Hugonem Sancti Victoris „ Quot modo Litteratos cerni-
„ mus (inquit magnus hic vir) qui vocari Chriſtiani volunt; & cum
„ ceteris Fidelibus Eccleſiam intrant, & de Sacramentis Chriſti par-
„ ticipant: in quorum cordibus ſæpius eſt memoria Saturni, Jovis,
„ Martis, Herculis, ſive Achillis, Hectoris, Pollucis, Caſtoris, So-
„ cratis, Platonis, Ariſtotelis, quam Chriſti, & Sanctorum ejus!
„ Nugas Poetarum diligunt, & veritatem divinarum Scripturarum
„ aut negligunt, aut quod pejus eſt, irrident, & contemnunt. Vi-
„ deant nunc quid eis proſit, foris Eccleſiam ingredi, & intus in cor-
„ de a fide fornicari. Ego eis pronuncio, quod illis in fine ſociandi
„ ſunt, quos nunc in cogitationibus ſuis per affectum cordis ſibi con-
„ jungunt; & quorum hic vitam diligunt, eorum illic ſupplicii par-
„ ticipes erunt. Quid illis prodeſt habere fidem, & non manere in
„ fide? Quid illis prodeſt navem integram habere, & in fluctibus
„ naufragium, non dicam pati, ſed ſponte facere? Quid prodeſt ve-
„ ritatem cognoſcere, & falſitatem diligere? Non ſunt tales qui vere
„ fideles ſunt. Vis ſcire quales ſint? Audi qualis unus illorum fuerit,
„ & tales omnes intellige. Diſſimiles enim eſſe non poſſunt, qui ve-

ritate

„ ritate unum sunt. Audi ergo quid de illo dicatur: Lex Dei ejus in „ corde ipsius, hoc est arcam intus habere; & quia hoc fortassis non „ sufficit, audi iterum: In lege Domini voluntas ejus.

En igitur, Fratres, quæ mihi in mentem venerit de Litterarum Humanarum Studio pronunciare, postquam universa legi, quæ hoc Capite continentur.

Primo; Rationi consentaneum non esse Monachos huic Studio implicare, quod natum est omnem illorum pietatem labefactare, spiritum, quo ferri, ut ita dicam, atque incitari debent, extinguere, atque alium huic plane oppositum surrogare.

Secundo; Neque Deo neque hominibus probari posse, quod exercitatio judicio Sanctorum rejecta ac damnata, sit in ea hominum conditione familiaris, quæ solemni consecratione ad Jesum Christum pertinet.

Tertio; Sanctorum institutis ac præceptis nos minime æquos esse, si hoc exercitationis genus, quod illorum communis & sancte explicata sententia prorsus explosit, constituere ac stabilire velimus. Et si vel unus ab Auctore citatus D. Augustini locus suppeteret, ubi ait: *Nam si primo Sanctis tuis Litteris informatus essem, & in earum familiaritate obdulcuisses mihi, & postea in illa volumina* (*Platonicorum*) *incidissem; fortasse aut abripuissent me a solidamento pietatis; aut si in affectu quem salubrem imbiberam perstitissem, putarem etiam ex illis libris eum posse concipi, si eos solos quisquam didicisset*: Satis hic locus argumenti esset, cur prophanorum lectionem exsibilaremus, & a bene moratis Cœnobiis ablegaremus. Pagina 276. Conf. c. 20.

Quarto; variæ huic lectioni ita vacare, ut aliqua inde utilitas decerpatur, Monachos non posse, nisi dicatum regularibus exercitiis, atque a Regulis præscriptum tempus intercipiant: Ita vero susque deque in Monasteriis cuncta agerentur, & rectus ordo perverteretur, a quo omnis illorum decor, tranquillitas, atque omne solatium pendent.

Abs re tamen prorsus non fore, putat Auctor, *quod qui Reipublicæ litterariæ utilem operam navant scripta elucubrando, tantillum temporis identidem suffurentur ad Veterum Auctorum quorumdam lectionem, ut a diuturno labore ingenium aliquatenus recreent?* &c. Pagina 276.

Divus Thomas post diuturnas gravesque meditationes, post laboriosas scriptiones, quæ firmissima ingenia & Studiis omnino assuefacta delassare poterant, haud alia lectione recreabatur, quam Asceticorum librorum, puta, Cassiani, Vitarum Sanctorum Patrum, aut aliorum ejusdem notæ. Nullam quippe animi relaxationem a viro peculiariter Deo dicato quærendam esse putabat, quam quæ a rebus sanctis redundare posset; & lectionem asceticam, modo sine ulla mentis contentione perageretur, proprium illius solatium In ejus Vit.

 esse

esse. Tam exquisita diligentia, sive potius religione sese gesserunt ii, quibus perspecta erat solitariæ vitæ sanctimonia; cujus vitæ singula momenta maximi æstimanda esse, utpote æternitatis pretium, crediderunt, & in rectum usum impendere omnibus viribus studuerunt.

Pag. 176. Ad extenuandam Sancti Isidori Pelusiotæ auctoritatem, qui tam valide prophanorum Scriptorum lectionem insectatur, *ab ipsomet Sancto viro hosce Scriptores citari, & plura ex eorum libris desumpta exempla apposite usurpari*, inquit Tractatus Auctor.

Facile patet, Fratres mei, illationem, quæ hinc ducitur, non esse satis accuratam; licuit enim Sancto Isidoro prophani & gentilis cujuspiam auctoritatem proferre æque serio ac pio sensu, ac si Patris alicujus sententiam retulisset. An non sæpe me ipsum, Fratres, Sancti Pauli exemplo, nonnullos versus ac sententias quasdam ex Veteribus referentem audistis, ut sanctas veritates, quas vobis proposueram, confirmarem? Dicta illa Veteris Poetæ, quorum fortasse meministis,

Quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum, quatiente animo tortore, flagellum.

plusquam semel attuli vobis, ut malos in hac vita nulla quiete gaudere ostenderem, dum propria illis conscientia culpas exprobrat, dum eos intus agitat, & occultis pœnis suppliciisque castigat.
Quoties vobis verba illa cujusdam Poetæ inculcavi, ut ex ipsa Paganorum sententia demonstrarem, pietatem esse prorsus interiorem, & cor rectum a Deo præcipue in hominibus requiri?

Quin damus id Superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago,
Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?

Sed quamvis ista citaverim, nihilominus persuasum mihi semper fuit, atque adhuc omnino persuasum est, prophanorum Scriptorum lectionem Monachis nequaquam convenire. Ut ut enim quædam ibi utiles sententiæ reperiri possint, id raro accidit; adeoque ad hanc lectionem incumbere, perinde esset, ac diem perdere, & res multas malas legendi occasioni sese objicere. Ego quidem illos legi, antequam hanc vitæ conditionem sequerer; ex illo vero tempore, me, cum ter aut quater Homerum, Theocritum, nonnullosque Poetas tragicos in manus sumpsissem, continuo illos deposuisse, fateri possum; dictante conscientia, me his lectionibus jam

non

non amplius idoneum, nec illas me, hoc est hominibus hujus instituti dignas esse. Secus de me, quisquis voluerit, judicet; sed ut super hac re de sententia decedam, committere non possum.

CAPUT XII.

Ubi de *Manuscriptorum, Inscriptionum & Numismatum* Studio agitur. Pag. 279

INspecto hujus Capitis titulo, Fratres mei, vix aut ne vix quidem erit qui illud in Monachorum gratiam scriptum fuisse arbitretur. Cui rei inservire illis potest Codicum Manuscriptorum Studium? Quid per Inscriptionum notitiam, quid per Numismatum scientiam addiscent, ex quo magis perfecti reddantur, & ad eum sanctitatis gradum assurgere valeant, ad quem ex divinæ Providentiæ nutu vocantur? Quænam est hujus tam diffusæ curiositatis ad illam simplicitatem, quæ eorum instituto convenit, ratio, ac similitudo? Quis audivit unquam, requiri ad hoc ut quis Monachus sit, ut Inscriptionum antiquarum, Codicum manuscriptorum, & Numismatum notitia polleat? Ignotum id priscis Patribus omnino fuit, nec ulli usque ad nostram memoriam id in mentem venerat.

Utilia nonnunquam ex veteribus monumentis detegi possunt, nonnunquam quæ media ratione se habent. Dicendum tamen est, quod si propterea mutetur vis ac summa conditionum, quæ ad Jesu Christi gloriam, ad Ecclesiæ ædificationem, & ad hominum sanctificationem institutæ fuerunt, jam tunc detegendi labor periculo vel suspicione non vacat: Quomodo ergo tam miræ novitatis sententia nobis arridebit? Non modo nihil tale animo versarunt, qui de Monastico statu locuti sunt, sed & Regulas illos instituisse, eaque docuisse, quæ huic methodo agendi prorsus adversantur, satis constat.

Hujus Capitis initio recte dicendi & scribendi præcepta traduntur; cum iis, qui in Monasteria sese receperunt, præcipue illa, quæ Sancti Benedicti Regulam profitentur, id solum propositum sit, ut tacere discant, loqui autem nullo modo.

Egregiæ sane regulæ, quibus Oratores aut Declamatores informari possunt, hoc Capite continentur. Sed quid hoc cum officiis, quæ S. Benedictus discipulis suis imperavit, commune habet? Jubet ille, ut perenne silentium custodiant, ut a malis & otiosis verbis se abstineant, ut sermones joci perpetuo ablegent: De ipsis ad pietatem collocutionibus sic ait: *Ergo quamvis de bonis & sanctis ad ædificationem eloquiis, perfectis discipulis, propter taciturnitatis gravitatem, rara loquendi concedatur licentia.* Ben. Reg. c. 6.

Quanam ratione Studium, quo bene dicendi præsidia quærun-

tur cum hac Sancti Benedicti sententia componi potest? *Omni tempore silentio studere debent Monachi*. In hoc situm est præcipuum inter Sæculares homines, & Solitarios discrimen. Hi quidem de omni re caute pronunciant, sibi ipsis parum fidunt, & nihil sibi magis convenire silentio putant; illi vero multum sibi arrogant, audacter se gerunt, de omnibus ut Magistri, loquuntur. Illis humilitas tacendi ingerit desiderium; his superbia loquendi præbet audaciam.

Ib. c. 42.

Pag. 180. *Aptiora instrumenta, quibus recte loquendi artem consequimur, esse*, ait, *multum legere, sæpiusque scribere, ut optimos quosque Auctores imitandi exerceamus industriam.*

Sancti Patres & Institutores lectioni operam dare nos jubent, libros nobis in manus tradunt, a quibus piis institutis ac præceptis imbuamur, atque unde præsidia & faciles modos imitandi illos, sive potius Dominum Nostrum, qui Sanctus Sanctorum est, nobis comparemus. Hic vero juniores Monachi (ad hos enim præcipue Tractatus de Studiis dirigitur) suadetur, ut legant & scribant, veteres ac optimos quosque Auctores imitandi gratia. Heu! Quodnam ad imitandum exemplum Monachus sibi ante oculos rectius proponat, quam quod illi Jesus Christus offert his verbis: *Exemplum dedi vobis*? Nonne hæc illorum est meta? Nonne huc assidua mentis intentione, atque omnibus ingenii animique operationibus tendere debent? Cur hoc illis objectum subtrahimus? Cur a via, quam illis Sancti monstraverunt, illos deducimus, & in novas illos semitas trahimus, a quibus nunquam fortasse divertent?

Joan. 13. v. 15.

Initio hujus Operis nobiscum fassus est Auctor, Sanctum Benedictum non nisi binas horas ad legendum Fratribus suis assignare. Tunc profecto sanctus Pater hæc legendi & scribendi exercitia minime versabat animo, nec facile cogitasset, fore ut exigua illa temporis spatia Studiis adeo ab ipsius consilio & mente alienis aliquando insumerentur. Ipse quidem ex omnibus quotquot suam amplectuntur Regulam, totidem Sanctos efficere optavit, Auctori vero Tractatus omnino propositum est, ut illi totidem Doctores evadant.

Verum etiamsi Monachis convenire demus, ut recte loqui ac recte scribere discant; annon satis esset, si id illi facerent, quemadmodum Sancti Patres, Augustinus, Gregorius, Leo, idipsum fecere? Hi sunt nimirum quasi quædam exemplaria, in quorum virtutes sese Monachi formare debent, quin ad illa confugiant, quæ Declamatoribus aut foro destinatis hominibus convenire tantummodo possunt. Quid? Non sibi satisfaciet Solitarius quispiam, si eodem modo loquatur, quo loquuti sunt Sancti, Augustinus, Gregorius, Leo? Num majus aliquid spectare poterit, (nisi forte ex peculiari Dei vocatione) quod non ex depravatione cordis,

immo

immo ex arrogantia, ac temeritate in viro silentio ac solitudini dicato non ferenda, oriatur? Quid de se ipso sentiet? Quam sibi animo finget de sua Professione notionem, quæ non adversetur prorsus veræ notioni? Ad quem ille scripturus est? Cui se præsentem sistere meditatur, dum satagit dicendi scientiam sibi comparare, quæ tam parum ad id refertur, quod debet Deo? Sane oportet eum sui valde oblitum esse, & cum certo judicare deberet, vivendum sibi ac moriendum in Claustri sui obscuritate, falsa imaginatione eum sibi illudere, qua se natum credit ad splendida magnaque facinora. At S. Bernardus, *laborem & latebras, & voluntariam paupertatem, insignia esse Monachorum*, ait, *hac solere vitam nobilitare Monasticam*. Epist.42. n. 37.

Facessat (inquit Auctor) *indigesta illa novorum syntagmatum Artis Rhetoricæ congeries, quorum præsidio nihil prorsus addiscitur; Rhetorica Aristotelis & Quintiliani longe præstant* &c. Pag.280.

Et nos, Fratres, quid vetat dicere: Facessat Aristotelis & Quintiliani scientia? Scientia Jesu Christi atque Sanctorum ipsius longe præstat; sine ulla comparatione nobilior atque excellentior est; quoniam per eam discimus imitari Jesu Christi humilitatem, vanas, ejus exemplo, negligere cognitiones, quibus sectatores & amatores Sæculi replere se student, atque gloriantur; vias unice sequi, quas ille nobis monstravit, adhærere illi indivisibiliter, & nos, dum conformes illi fieri optamus, dignos reddere promisso Regno iis, qui eum sequendi faustum consilium, omni laudi atque existimationi, quæ in hac vita comparari potest, antetulerunt.

Facessat ergo quidquid vanitatem redolet, quidquid vanitatis memoriam refricare, aut revocare cogitationem, quidquid nos ad ejus modos, ut ita dicam, refingere, & ad ejus præcepta nos inflectere potest, officio illi contraria, cui satisfacere omnino debemus: *A Sæculi actibus se facere alienum*: & quo ad agendum compellimur diversa a Sæcularibus ratione, rejicientes quæ ab ipsis expetuntur, magni æstimantes, quæ ab ipsis negliguntur; denique tam pure & libere agentes, ut nulla nostra operatio eorum vel minimum imitetur aut exprimat cogitationes, affectus, sententias. Bened. Reg.c.4.

Ad litteras humaniores referuntur *notitia Codicum Manuscriptorum, Inscriptionum, & Numismatum; cui etiam additur Artis Criticæ vulgatissima hodie notitia.* Pag.284. 288.290.

Nulla mihi sese offert causa, Fratres mei, quæ Monachos ad hoc scientiarum genus compellere videatur; cum nihil in se illæ

 conti-

contineant, cujus aliqua sit cum earum professione convenientia, nec ulla sibi inde præsidia petere possint Monachi ad propria officia exequenda, sive ad obtinendam Sanctitatem, quam jugiter animo spectare, & quo tendere indesinenter debent. Scientiæ, inquam, hujusmodi, non illos humiliores reddent, non obsequentiores, non benigniores, non denique mortificationis sensuum animique amantiores; non illos ad orationem, ad solitudinem, ad silentium, ad sanctam illam tranquillitatem & quietem, quæ vitæ illorum solatium est, ad ullam denique instituti, quod amplexi sunt, exercitationem, magis inflammabunt.

Econtra hisce præditi scientiis Solitarii, præfidentiores erunt, & propriæ opinionis tenaciores, sibi ipsis magis placebunt, commercia Sæcularium, atque colloquia magis amabunt, repugnaces, curiosi, loquaces, distracti quotidie magis fient. Innumera denique sunt incommoda, quæ ab id genus scientiis ad Monachos redundare possunt; commoda & utilitates nullæ. Quod enim ait, ex hac Inscriptione
Pag.289. NATU SEVERI, NOMINE PASCASIUS &c. innotescere, quod Constantini, & Rufi Consulatus respondeat anno 457, quo Paschale festum in diem 31. Martii incidebat: Quid hæc ad Monachum? Ista ad eum difficultas nec remote nec proxime pertinet: hanc quæstionem sibi ut propriam adjudicent Episcopi, & Docti viri; quodque hi vel illi hac de re pronunciaverint, si Monachi credant satis ipsis superque est.

Factorum quorundam, rerumque historicarum exigui fere momenti intelligentiam, idoneam esse rationem non video, qua quis velit, ut Monachi tempus & operam utilioribus ac magis necessariis exercitiis dicatam, Studio, quod ad se non pertinet, impendant.

Non possum non idem sentire de notitia Numismatum, Manuscriptorum, Criticæ; quandoquidem nulla est, aptior extimulandis atque extollendis ingeniis, vanæ curiositati ingerendæ, vitæ interiori labefactandæ, in qua omnis dignitas atque omnes divitiæ professionis ipsorum sitæ sunt; præterea, si qui oratione delectabantur; continuo ejusdem tædio capiuntur; si qui lacrymas pœnitentiæ facile mittebant, cito arescunt; hujus denique scientiæ occasione cunctas virtutes, in quibus summa, veritas, & solatium instituti ipsorum consistunt, vel amittunt, vel acquirere amplius non valent.

Sed ut perfecte intelligatis, Fratres, quæ sit Monastici instituti disparitas, contrarietas, & omnimoda discrepantia ab hoc Humanarum Litterarum Studio, quod Grammaticæ, ac recte loquendi scribendique scientiam, Auctorum profanorum, Oratorum, Historicorum, Philosophorum, Poetarum, Manuscriptorum, Inscriptionum, Numismarum, & Criticæ notitiam continet; nihil magis ad rem mihi esse videtur, quam veram ac germanam Cœnobiticæ vitæ imaginem graphice vobis describere. Longe amplius

plius ex hac simillima veri specie discetis, quam ego vos integris voluminibus docere possem. Quod enim hominum de eadem re sententiæ minime conveniunt, illud in causa est, quod alii aliter illam intueantur. Alii quidem Solitarios considerant pro eo, in quo nunc reperiuntur, statu: alii vero originem spectant, hoc est status ipsorum veritatem; quo intuitu nulla vitæ Monasticæ pars adverti potest, in qua variorum id genus Studiorum unum aliquod collocetur.

„ In Libro de Ecclesiastica Hierarchia Sancti Dionysii legere est, *De Hier. Eccl. c. 6.*
„ Solitarios & Ascetas nihil aliud, cum profiterentur, contestari
„ consuevisse, nisi quod cunctis sensibilibus & transitoriis abrenuncia-
„ bant, quæcumque illos ab intima unione cum Deo avocare & di-
„ vellere possent. Sacerdos autem Monasticam imprecationem psal-
„ lens, interrogabat eum primo, an renunciarent divisibilibus omni-
„ bus non solum vitis, verum imaginibus quoque ac phantasiis.
„ Deinde exponebat illis perfectissimam vitam, illud aperte conte-
„ stans, oportere illos medio ordine longe antecellere, & in divi-
„ nam & Deo gratam monadem perfectionemque promoveri.

„ Idem Sanctus Dionysius ait, plurima quæ impune a medio ge-
„ runtur ordine, Monachis omnino interdici; & debere illos ad
„ Dei exactissimam similitudinem virtutibus singularibus & unicis
„ properare.

„ S. Basilius passim docet; Solitarium illud vitæ genus ample-
„ xum esse, quod ultra humanæ naturæ fines procedit; vitæ se cui- *Serm. 1. de Inst. Mon.*
„ dam instituto tradidisse a corpore sejunctæ; in angelicæ jam di-
„ gnitatis ordinem transivisse, in assidua usque divinæ majestatis
„ contemplatione permansurum, ceteris omnibus ceterarum rerum
„ Studiis omissis .... Eum, qui præclaram hujus vitæ professio-
„ nem emisit ad gloriam Dei, & Christi ejus attentiore cura reli-
„ quo vitæ spatio cogitare debere: in hoc Sanctum effici virum
„ Solitarium, quod Deo jugiter & totis viribus adhæreat, & quod
„ sedulam operam ponat in exquirendis modis, quibus illi pla-
„ ceat.

„ Idem Sanctus Basilius ait, Monachorum vitæ rationem unum
„ sibi tantummodo propositum habere, animæ suæ salutem, & quid- *Serm. 1. alio c.*
„ quid prodesse ad eum finem potest, id ut tanquam Dei mandatum
„ cum timore observet.... Alibi ait: Ubi vero jam quis sponte
„ sua ipse professus est, hic Deo custodire se ipsum debet, veluti eo-
„ rum aliquid, quæ dicata sunt Deo, ne sacrilegii crimen incurrat,
„ cum videlicet corpus, quod semel Deo consecravit, ministerio rur- *Reg. fus. disp. 4. 8.*
„ sum communis vitæ contaminet. Et alibi; Vitam Monasticam
„ esse cordis ad eum, qui in cœlo est, vivendi ritum traductionem,
„ quam adepti vere illud possunt dicere: Nostra conversatio in cœ-
„ lis est. *Const. Mon. c. 18.*

„ Idem Sanctus Basilius ait, Solitarios Liberatoris nostri Jesu
„ Chri-

„ Christi, ejusque vitæ, dum inter nos versaretur, perfectos imi-
„ tatores esse; genus præterea vivendi Apostolorum & Angelorum
„ æmulari. Et postquam fassus est, se dicendo rei magnitudinem
„ attingere non potuisse; subdit sibi metuendum esse, ne exilitate
„ sua argumentum potius obscuret, ne dum splendorem illi va-
„ leat afferre.

Orat. 12. „ S. Gregorius Nazianzenus Monachum describit quasi homi-
„ nem, qui obstructa sensuum janua, & a carne & mundo segrega-
„ tus, ut in seipsum redeat, & cum hujus inferioris vitæ rebus nequa-
„ quam communicet, nisi quatenus vera illum necessitas adigat; pro
„ portione sua Dominum habet, & animo illum solum cogitat; vi-
„ tam agitat omnia sensibilia prætergredientem; & divinorum collo-
„ quiorum & communicationum vivas imagines in corde gerit, im-
„ munis ab omni commixtione rerum terrenarum, quæ illusioni sem-
„ per obnoxiæ sunt.

„ Cassianus inquit, primam Solitarii curam, in qua mentis suæ
„ intentionem debet habere defixam, hanc esse, ut jugiter Deo inhæ-
„ reat, ut in res divinas firmum revocet intuitum, & quidquid eo
„ non collimat, ut ut magnum aliquid sit, omnino esse negligen-
„ dum; Deo offerendum esse a Solitario viro perfectum, purum, &
„ ab omni passionum perturbatione liberum cor; & si quando illud a
„ Deo distractum sentiat, dolendum ipsi ac suspirandum, ac rursus
Coll. 1. c. 13. „ ad eum cordis oculos retorquendos: *Toties vero se a summo bono sentiat recessisse, quoties se ab illo intuitu deprehenderit separatum: fornicationem judicans vel momentaneum a Christi contemplatione discessum.*

Col. 23. c. 8. Alibi inquit: *Cum ab ea inviti vel paulolum violentis cogitationibus abstrahuntur, velut quoddam in se sacrilegii genus præsenti pœnitudinis puniunt ultione, ac vilissimam Creaturam, ad quam sit detortus mentis intuitus, Creatori suo se prætulisse lugentes, pene dixerim impietatis sibi crimen adscribunt. Et licet ad conspiciendam divinæ gloriæ claritatem, oculos sui cordis summa alacritate convertant; tamen etiam brevissimas carnalium cogitationum tenebras non ferentes quicquid ab illo vero lumine mentis adspectum retrahit, execrantur.*

Alio loco ait: Solitarii mentem Deo semper inhærere debere, neque unquam ab illo divelli; quidquid enim ab eo diversum est, & se
Col. 1. c. 8. 9. & c. 1. vel parum distrahere potest, noxium esse putandum..... *Omnis Monachi finis*, inquit, *cordisque perfectio, ad jugem atque indisruptam Orationis perseverantiam tendit; & quantum fragilitati humanæ conceditur, ad immobilem tranquillitatem, & ad perpetuam nititur puritatem.*

Instit. l. 4. c. 38. *Itaque non leve noveris* (ait) *esse peccatum, perfectionem professum quempiam, ea quæ sunt imperfecta sectari.*

Hist. de SS. Basil. & Joseph. c. 12. „ Postquam persecutio finem accepit; tradit S. Joaunes Damasce-
„ nus, ac pii Imperatores totius orbis imperio potiti sunt, succeden-
„ tes alii, ac zelum martyrum, divinamque cupiditatem sibi imi-

„ tan-

„ tandam proponentes, eodemque timore divini Judicii fauciam animam habentes, illud optime secum considerabant, atque spectabant, ut ab omni spurcitie puram animam & corpus Deo exhiberent .... Quoniam autem hoc non alia ratione, quam per mandatorum Christi observationem a se præstari posse intelligebant, ac virtutum cultum in mediis mundi tumultibus ægre consequi se posse perspiciebant; novum quoddam atque ab aliis diversum vitæ genus sibi ipsis instituerunt, ac juxta divinam vocem relictis omnibus rebus, hoc est parentibus, liberis, amicis, cognatis, opibus, deliciis, cunctisque mundi commodis contemptis, in solitudines, tanquam exules quidam sese contulerunt, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ; ac se ipsos ab omnibus terrenis jucunditatibus, & voluptatibus procul removentes, atque adeo panis etiam & vestimentorum gravi penuria laborantes......

„ Per hæc exempla, & per hujusmodi coitiones & actiones, terreni cœlitum vitam imitati sunt, ut qui in jejuniis & precibus ac vigiliis, in calentibus lacrymis, & luctu ab omni animi distractione libero, in peregrinatione ac mortis memoria, in lenitate animique affectu ab iracundia remoto, in labiorum silentio, in paupertate atque inopia, in castitate ac pudicitia, in humilitate & quiete, ac denique in perfecta erga Deum charitate, præsentis vitæ curriculum confecerint, Angelosque moribus expresserint. Ob eamque causam Deus miraculis ac signis, variisque virtutibus eos exornavit, effecitque ut admirandæ eorum vitæ rationis sono ipsi quoque orbis terrarum fines personent.

„ S. Joannes Chrysostomus hæc habet: Vere domus luctus Monasteria sunt, ubi cinis atque cilicium, ubi solitudo, ubi risus nullus, nullus negotiorum sæcularium strepitus, ubi jejunia, ubi terrenorum duritia lectulorum, ubi absunt perturbationes, curæ, tumultus: ibi Solitarii tranquillo in portu navigant, ac veluti luminaria sunt, sublimi de loco navigantibus fulgore suo iter aperientes, omnes ad quietem suam invitantes ac pertrahentes. *Hom. 14. in Ep. 1. ad Timoth.*

„ Si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines (inquit alibi) paradiso quovis omnem illam videbit Eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus, & populos martyrum, & choros virginum; & omnem quidem tyrannidem diaboli dissolutam, Christi autem regnum coruscans....... Est cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutumque cœlestium conversationem in terris micantem. Atque hæc non in viris solum, verum etiam in fœminis splendere conspicias...... Non ita variis astrorum choris cœlum refulget, ut Ægypti Eremus innumeris Monachorum distinguitur atque illustratur habitaculis... Hi cunctis præsentibus rebus exuti, mundoque crucifixi, nihilominus ad perfectionis ulteriora *Hom. 8. in Matth.*

„ teriora contendunt: proprii siquidem opera corporis ad indigen-
„ tium utuntur alimoniam. Neque enim quia jejunant, aut vigi-
„ lant, idcirco otium sibi indulgent diurnum: sed noctes quidem
„ sacris hymnis ac vigiliis: dies vero orationibus, manuumque ope-
„ ribus exercent, apostolicæ cursum virtutis imitantes.

Homil. in Matth. „ Alio loco illos exhibet ac describit sacco indutos, remotissima
„ deserta regionum petentes: tanquam pauperes qui hanc vitam
„ exilii locum computant; sed simul ut viros Angelorum similes,
„ atque ut invicta veritatis Ecclesiæ testimonia virtutum ipsorum
„ excellentia reddita.

„ Illos loqui tantummodo ait, & mutuos miscere sermones de
„ venturis atque æternis rebus, de terrenis hujus vitæ disputare de-
„ dignantes; humilitatem, abjectionem, annihilationem unice dili-
„ gentes; & per hæc quasi faces esse, quæ totum orbem illustrant;
„ atque aggeres ad populorum tutelam; cœlo illos vivere in quo jam
„ spiritu reperiuntur; in solitudine altissimaque quiete cum monti-
„ bus, vallibus, rivis & fontibus, omnium vero maxime cum Deo
„ versari, quem in suis precibus jugiter alloquuntur. Ne multa, dies
„ omnes suos inter laborem, orationem, & sanctorum librorum le-
„ ctionem partiuntur.

Lib. de Virginit. c. 77. „ Maximum virginitatis bonum, ait Sanctus hic Vir, in hoc situm
„ est, quod superfluæ solicitudinis cunctas occasiones, omnesque vi-
„ tæ inutilitates auferat, quodque animum divinis pietatis exercitiis
„ prorsus dedicet.

Epist. ad Hilar. „ S. Eucherius Solitudinem orationis locum appellat, in quo inti-
„ me Deo fruimur; sanctuarium quoque charitatis; thesaurum pie-
„ tatis, omnis perfectionis centrum. De Studiis omnino silet.

Lib. 1. ep. 129. „ S. Isidorus Pelusiota: Dei regnum monastica vita est, ut quæ nul-
„ li vitiosæ affectioni succumbat, verum alta sapiat, ac virtutes cœ-
„ lo superiores præstet.

„ Eodem loco ad Monachum loqui pergit: Hanc tu vitam comple-
„ xus, da operam, ne quod te delictum in servitutem addicat, ac de
„ Monasterio hoc est regiis templis & palatiis exturbet.

Hieron. in Psalm. 115. S. Hieronymus hæc habet: *Sicut enim martyres laudant Dominum pure in regione vivorum; ita & Monachi qui die ac nocte psallunt Domino, debeat eandem puritatem habere Martyrum, siquidem ipsi martyres sunt; Quod enim faciunt Angeli in cœlis, hoc Monachi faciunt in terris.*

Grad. 1. art. 4. „ Monachus est, ait S. Joannes Climacus, qui solum ad Deum
„ acie mentis intentus, illum semper orat in omni tempore, & loco
„ & opere. Monachus est perpetua naturæ violentia, sensuumque vi-
„ gilantissima & indefessa custodia. Monachus est castificatum cor-
„ pus, expiatum os, animusque semper divino lumine irradiatus. Mo-
„ nachus est, qui afflictus & mœrens jugi mortis memoria, sive vi-
„ gilans, sive obdormiens seipsum semper exercet.

Grad. 1. art. 4. „ Qui vere Monachus est, nihil jam in præsenti Sæculo diliget,
„ nul-

„ nullius rei curis angetur, non pecuniarum, non prædiorum, non *Grad. 2.*
„ parentum, non mundanæ gloriæ, non amicorum. Sed hujusmodi *art. 1.*
„ omnem affectum, omnem harum rerum curam a se excutiens &
„ execrans, præterea & carnem suam odio habens, nudus, secu-
„ rus, impiger Christum sequitur, in cœlum semper aspiciens, at-
„ que inde adjutorium expectans, secundum David verba, dicentis:
„ *Quid enim mihi est in Cœlo, & a te quid volui super terram?*

„ Non est reis in carcere lætitia, ita ne Monachis quidem vera *Grad. 7.*
„ in terra solemnitas. *art. 30.*

„ Monachorum quidem lux Angeli sunt, cunctorum autem mor- *Grad. 26.*
„ talium lux monastica est disciplina. Certent ergo summa ope *art. 31.*
„ per omnia fieri omnibus optima forma, neque ullam cuiquam
„ dent offensionem. Nam ex his quæ gerunt vivendi normam om-
„ nibus proponunt. Denique si lux vertatur in tenebras, tenebræ
„ ipsæ, idest homines, Sæculo addicti, quantum putas propterea
„ obtenebrabuntur?

„ Solitarius est forma terrestris Angeli, qui orationem suam *Grad. 27.*
„ charta desiderii & solitudinis litteris desidia & torpore liberabit. *art. 17.*
„ Solitarius est, qui revera clamare potest: Paratum cor meum
„ Deus. Solitarius quietus ille est qui ait: Ego dormio & cor
„ meum vigilat.

„ Modicus pilus perturbat oculum, & modica cura demolitur *Art. 32.*
„ quietem. Quies enim Solitarii est depositio sensuum, curarumque
„ rationabilium abnegatio.

„ Vita Solitaria est perpetuo atque intentissimo cultu Deo jugi- *Art. 60.*
„ ter assistere.

„ Vita quiescentium, immo vero Anachoretarum, secundum con- *Art. 67.*
„ scientiam ex intimo cordis sensu fiat. Is qui rationabiliter cur-
„ rit, studia sua ac locutiones & cogitationes & incessus & motus,
„ omnia secundum virtutem studiosissime atque ex affectu cordis
„ operatur coram Domino. Quod si adhuc abripitur nondum se-
„ cundum virtutem operatur.

„ In eo te statu exerce qui curiositatem nesciat: nihil enim ita *Art. 83.*
„ quietem inquinare potest, ut curiositas.

„ Sed mittamus Veteres; ac videamus, quid hac de re tradide-
„ rint Sancti illi, quibus a nobis major habenda esse fides videtur,
„ siquidem ii duces ac magistri nostri sunt proximiori quodam gra-
„ du, quam qui eos præcesserunt; digitum autem intendo ad San-
„ ctos, Benedictum & Bernardum.

Monachus est (inquit S. Benedictus) qui in Monasterium se re-
cipit, quasi in quoddam sanctitatis gymnasium, ubi sola hæc scien-
tia discitur, Jesu Christo vero Regi militare; hoc est eum sequi
in solitudine, in recessu, in silentio, in abjectionibus, in abdita
vita, atque in omnibus instituto suo convenientibus exercitationi- *Prolog. Ben. in Reg.*
bus; *Constituenda est ergo a nobis Dominici Schola servitii.*

Mona-

Monachus est (ait idem Sanctus Pater) qui metuens, ne perpetuam tradatur ad pœnam, & dignum se hereditate Sanctorum reddere volens, hoc tempore nihil agit, quod obtinendæ æternitati
Ibid. non prosit: *Currendum & agendum est modo, quod in perpetuum nobis expediat.*

Atque alibi: Monachus est, qui apertis oculis cordis non ad tenebrosa Gentilium Philosophorum dogmata, sed ad divinas veritates & lumen Scripturarum sanctarum, verba sacra quæ in illis Dominus Noster digito suo impressit, reverenter audit: *Apertis oculis nostris ad*
Ibid. *deificum lumen, attonitis auribus audiamus divina quotidie clamans quid nos admoneat vox, dicens, &c.*

Is est Monachus, qui Dominum Deum diligere ex toto corde & tota anima constituens, abnegat semetipsum sibi, ac rejicit quæcumque possunt se a Deo avocare; actus vitæ suæ omni hora custodit, qui cum
Cap. 4. de In str. bonor. oper. sibi a Regula præcipiantur, divino illi objecto conjunctum ipsum indivisibiliter servant. Id vero patet tum ex singulis Regulæ deinceps exponendis Capitibus, tum ex sedula cura quam habuit S. Benedictus
Ibid. quælibet actuum momenta enucleatè designandi.

Is est, cujus tota vita cantu, præconiis, manuum labore, oratio-
Ibid. nibus, piis lectionibus constat.

Is est, qui super omnia veritatem diligens, os suum a falso eloquio custodit; illosque devitat, quorum lingua verba vanitatis, erroris, & illusionis profert, qualis est Philosophorum lingua atque Gentilium.

Ibid. Is est, qui animum exercet timore magni illius diei, quo Dominus Jesus de cœlis excelsis mundum judicaturus descendet, ac metu pœnarum, quæ ab æterno peccatoribus manent: *Diem judicii timere, gehennam expavescere.*

Is est, qui *Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderat, mortem quotidiè ante oculos suspectam habet.*

Is est, qui bicipitem æternitatem ante oculos jugiter propositam
Id. c. 7. grad. 1. habens, in bono se sustinet bona illa sperans quæ sibi Deus præparavit, & malum evitat mala timens, quæ sibi ille minatur. *Qualiter contem-*
hum. *nentes Deum in gehennam pro peccatis incidunt, & vitam æternam quæ timentibus Deum præparata est, animo suo semper revolvat.*

Is est, qui per abjectionis, & continuæ humilitatis gradus sciens contendendum sibi ad perfectam charitatem diligentissima opera vi-
Ibid. grad. 12. tat quidquid superbiam & elationem gignit: *His omnibus humilitatis gradibus ascensis, Monachus mox ad charitatem Dei perveniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem.*

Ibid. Is est, qui cunctos aditus cordis occludit, qui semper vigilat ne referentur, & ne illuc quidpiam ingrediatur, quod nitorem puritatis obscuret, quod pacem ableget, & passiones excitet. *Custodiens se omni hora a peccatis & vitiis, idest cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ &c.*

Is est,

Is est, qui *Lectiones Sanctas libenter audit*, & prophanas omnino rejicit. *C. 4. de Instr. bon. oper. 56.*

Is est, qui mala sua præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confitetur. *Ibid. 58.*

Is est, qui per profundæ humilitatis sensum, defixos humi oculos semper habet, & inclinatum caput; qui omni tempore atque in omnibus actibus cordis sui affectiones testatur: *Inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus.* *Id. c. 7. grad. 12. homil.*

Is est, qui ab intuitu Dei nunquam distractus, & judiciorum ejus rigorem ob oculos tenens, sibimet repetit illa Publicani verba: Domine non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad cœlum: *Reum se omni hora de peccatis suis existimans, jam se tremendo Dei judicio præsentari existimet, dicens sibi in corde semper illud, quod Publicanus ille Evangelicus, fixis in terram oculis dixit* &c. *Ibid.*

Denique, Fratres mei, Monachus is est, qui se mancipat Dei servitio, qui mundo abrenunciat, Sæculi opiniones & præcepta rejicit; qui accuratissime ac asperrimæ Regulæ cunctisque humilitatis & obedientiæ actibus in ea contentis sese sponte subjicit: sciens futurum ut, si unquam ab obligatione contracta recesserit, desertionem & infidelitatem suam æternam damnatione Deus puniat: *Si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat quem irridet.* *Id. c. 58.*

Quod Sanctum Bernardum attinet, Fratres mei, sæpius a me vobis dictum est, velle eum, ut Monachi spiritum Apostolorum Angelorum, & Prophetarum habeant, eosque Martyribus comparare solitum esse. *Videtis, Fratres, qualem spiritum accepistis, spiritum qui ex Deo est, ut sciatis quæ a Deo donata sunt vobis. Audivimus Apostolicum, audivimus, & Propheticum, etiam & Angelicum gradum.* *Ser. 17. de divers.*

Imitantur Apostolos, eorum paupertatem, simplicitatem, mortificationes, & fidelitatem perfectam actu exprimentes, qua illi Dominum Jesum in ejus nuditate & abjectione secuti sunt. *Ser. 1. in octa. Pasch. n. 7.*

Imitantur Prophetas, dum instar ipsorum futura prædicunt per rerum præsentium contemptum; & Dominum Jesum Christum annunciant, ad secundum ejus adventum summo studio se præparantes.

Imitantur Angelos, dum a rebus sensibilibus & terrestribus se avellunt, dum nihil aliud cogitant aut desiderant nisi cœlum, in assidua divinæ majestatis contemplatione viventes, sicut illæ immateriales substantiæ.

Vitam agunt quasi Martyres, dum omnia bona nihili æstimantes, & felicitates ac delicias hujus mundi spernentes, supernam felicitatem sancto desiderio expectant; ac pœnitentiæ suæ rigore Jesum Christum confitentur, veluti Martyres magnitudine tormentorum.

Jam nunc, Fratres mei, a vobis, atque ab omnibus, quibuscumque in hanc Imaginem, quam hactenus vobis expressi, oculum flectere strictim libuerit, peto, an aliquid vobis esse videatur, quod cum his virtutibus, cum his officiis & dispositionibus, ex quibus sum-

ſumma ac veritas Cœnobitici Inſtituti conſtat, difficilius copulari poſſit, quam earum ſcientiarum varietas, quibus ut Solitarii dent operam, Auctori placet, & quas addiſcere inter præcipua illorum officia numeratur?

Quid Rethoricæ, Philoſophiæ, Criticæ, Inſcriptionum Studium, quid omnes illæ curioſæ ſcientiæ, quarum meminimus, commune habent cum iis hominibus, quibus Apoſtolorum, Prophetarum, Angelorum, & Martyrum ritu vivendum eſt? Qui fieri poterit, ut in ſimplicitate & abnegatione Apoſtolorum, in ea, cum Chriſto perpetua ipſorum conjunctione, in contemptu rerum omnium hujus vitæ, quem præſetulerunt Prophetæ, in illa animi libertate & conſtantia Martyrum, in illa denique puritate & ſanctitate, quæ Angelorum propria eſt, atque in defixa contemplatione divitiarum, altitudinis & formæ Dei, fideles permaneant, inter tot turbas ac diſtractiones litterariæ exercitationis, quæ omnino, velis nolis, eorum imaginationem, memoriam, & cor ad ſe pertrahet, quæque ne exiguum quidem temporis ſpatium illis relinquet, quo in exequenda omnium maxima obligatione libere uti poſſint?

Quomodo Solitarius intentam de Deo & Judiciis ejus cogitationem ſuſtinebit? quomodo illi puram & quæ exaudiri mereatur orationem offeret? Quanta mentis perturbatione fluctuabit ad ſacrum accedens Altare, tunc cum rerum, quas legerit, tractaverit, ſtudio verſaverit, imagines turmatim ſeſe illi offerent, & mediæ inter Deum & ipſum conſiſtent, tanquam obſcura nebula, qua ſibi divini Numinis præſentia ſubripietur? Quomodo inter multiplicem lectionum varietatem, quibus illius animus omnino diſtrahitur, collectionem mentis ſervabit, quæ illi ad Sanctificationem & quietem adeo eſt neceſſaria?

Quomodo illa Sancti Spiritus unctio, quæ delitias ac ſolatium vitæ Solitariæ conſtituit, ſimul eſſe poterit cum ariditate, quæ a vanarum ſcientiarum Studio ineluctabiliter provenit. Quis labes & ruinas ignorat, quas animis omnium fortiſſimis ac perfectiſſimis inferre illa Studia poſſunt?

Quid tandem Solitario omnibus hiſce Studiis ac ſcientiis, quas relate ad ejus vitæ inſtitutum vanas ac inutiles appellare conſuevi, evenire poteſt; niſi quod jacturam faciat pietatis ac virtutis, quantamcumque in ſua profeſſione jam acquiſivit; quod in ſuperbiæ, vanitatis, præſumptionis, deſidiæ, ac levitatis affectibus confirmetur, qui ſe in præſens tempus & in futuram fortaſſe æternitatem utilitatibus & commodis privabunt, quæ ſibi jure merito pollicitus fuerat, dum a Sæculo in Monaſterium receſſit?

Hominem vobis, Fratres, ob oculos ponite, qui de Deo ſemper cogitet; cujus menti Dei Miſericordiæ & Judicia ſemper obverſentur; qui in compunctione ac lacrymis vivat; qui humilitatis exercitatione continua omnia illa caute devitet ac fugiat, quæ ipſum ſuperbia efferre, & ſuimetipſius nimis honorificam opinionem inge-

ingerere possunt; qui ad omnes voluntatis suæ motus, & ad omnes actionum suarum circumstantias diligentius attendat; qui denique ex propria status obligatione ad omnimodam puritatem & sanctitatem tendere compellatur. Hujusmodi prorsus esse debet Solitarius Vir, juxta omnium Patrum sententiam, uti jam demonstravimus.

Nunc vero cum illo homine componite Virum Criticum, qui Rhethoricæ, Poesi, Grammaticæ, Philosophiæ, prophanis aut curiosis scientiis animum adjunxerit; qui in Manuscriptorum, Inscriptionum, Numismatum notitia acquirenda laboret; qui (nam & hoc addam) Ecclesiæ Canonum, Disciplinæ, atque Historiæ sit studiosus. Non ne talis coagmentatio monstri quiddam vere præsefert? An est in rerum natura quidpiam magis dissociabile atque invicem magis oppositum, quam prioris, quem vobis descripsimus, alteriusque viri conditio?

S. Bernardus monstri similem vitam suam appellabat, & se quasi sui Sæculi chimæram esse arbitrabatur: *Clamat ad vos mea monstruosa vita ...... Ego quædam chimæra mei Sæculi;* quamquam non nisi manifesto Dei jussu & satis evidenti vocatione solitudinem deserere cogeretur, ut adesset rebus Ecclesiæ, & divini nominis gloriam pro virili sua parte tueretur. Hic vir Dei se pro monstro quodam habet, quod extra proprii status confinia se agere videat. Hinc facile est utiles animadversiones ad rem nostram colligere, ut discamus, quid ad Sancti Bernardi normam sit de illo Monacho pronunciandum, qui omnibus illis studiis, quæ hujus instituti virum minime decent, abstractus est, & quodammodo dispertitus. Ep. 250.

Cohibere me non possum, quin piissimi post divinas Scripturas Libri auctoritatem luculentissimam hic ad vos afferam, quæ cunctis Monachis ad scientiarum studia animum adjicientibus maximum metum atque horrorem incutere deberet: *Væ eis, qui multa curiosa ab hominibus inquirunt, & de via mihi serviendi parum curant. Veniet tempus, quando apparebit Magister Magistrorum Christus, Dominus Angelorum, cunctorum auditurus lectiones, hoc est singulorum examinaturus conscientias. Et tunc scrutabitur Jerusalem in lucernis; & manifesta erunt abscondita tenebrarum, tacebuntque argumenta linguarum. Ego sum qui humilem in puncto elevo mentem: ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quam si quis decem annis studuisset in Scholis.* De Imit. Christi l. 3. c. 43.

CAPUT XIII.

De Critica, & de Regulis in ea servandis.

Pag.190. *Nihil nostra hac tempestate* (inquit Auctor) *communi usu magis vulgatum est, quam aliorum Censuræ vacare; hoc opus universi aggrediuntur, & vel ipsis mulierculis hujus artis professione nihil est antiquius.*

HÆc aperta atque ingenua confessio satis per se idonea est ad probandum, Critices scientiam Solitariis non convenire, præsertim iis qui secundum Regulam atque Spiritum Sancti Benedicti vivunt; quoniam ipsis præcipit Sanctus Pater, ut *a Sæculi actibus se faciant alienos*. Hæc illos peculiaris nota discernit, & omnino diversos ab illis facit, cum quibus perpetuum agere divortium propriæ Professionis lege tenentur. Sentio me nunc passim ignotam orationem prædicare; Sancti tamen hoc pacto loquuti sunt.

Reg. c.4. art. 20.

Verum enim vero si ultro conceditur, Censuræ libidinem passim grassari, & generalem depravationem esse; quid est cur Monachos, qui a Sæcularium judiciis, actibus, & rationibus discrepare debent, aquarum, ut ita dicam, cursu abripi velimus? Quare torrenti non obsistitur potius, neque tam vana, tam maligna, tamque diffusa scientia damnatur, commendatione simplicitatis, quæ professioni illorum prorsus est consentanea? Ne multa; vel hinc quod Criticæ ab omnibus opera impenditur, quod ejus vulgaris est usus, discant Monachi sibi ab illa esse abstinendum.

Quod si persuadere Monachorum animos hæc ratio non valet, accedunt aliæ plurimæ, quæ sequuntur. Et primo quidem Monachorum, atque Religiosorum innumera exempla, qui veritatis inquirendæ cognoscendæque specie, in omne vitæ tempus eandem deseruerunt.

Secundo, quis negare potest, Monachos ex proprii status finibus egredi, quoties ad scientias curiositatis plenas incumbunt, quas ipsorum Patres minime cognoverunt, & quæ illorum tantummodo propriæ sunt, quorum muneris est alios docere; non autem illorum, qui audire, & doceri ab aliis debent?

Tertio, nunquid parum existimas tempus, quod insumendum est in accurata Manuscriptorum collatione, in variarum Editionum comparatione, atque aliis hujusmodi ad hanc rem necessariis discussionibus? Non ne hisce immorans Monachus jacturam temporis facit, cum longe sibi convenientiora & utiliora agendo occupari possit?

Quarto, quid hoc aliud est, quam in illo curiositatis sensum excitare? Sciendi libidinem extimulare, quæ a crimine vacua esse

esse non potest in iis, qui ut ad id genus scientias sese adplicent, nulla peculiari a Deo vocatione impelluntur?

Quinto, non ne sic illi dubitationes movendi, difficultates in Sacram Scripturam, in ipsam Fidem, in Religionem excogitandi materia præbetur? An non inde quidvis est metuendum mali, cum pleraque ingenia in objectionum salebris hærere sciamus, neque ad aliud illas inservire, quam ut de ipsa veritate dubia illis ingerantur?

Sexto, si cum successu Monachus hæc studia peregerit, si acutæ naris Criticus fiat, an illum sibi non placiturum putamus, dum ea quæ aliis quamplurimis obscura sunt, ipse pernoscet? Non ne ille Fratres suos, quorum mens hisce notitiis fuerit destituta, quantavis cæteroqui virtute præditi sint, despectui ac deridiculo habebit?

Septimo quid est quod Monachum difficilem ac morosum reddere magis possit, eumque ita comparare, ut procaciter omnibus adversetur, ut omnia reprehendat, ut Fratrum suorum actiones, Superiorum præcepta quasi suo quoddam jure expendere atque judicare velit?

Denique si Monachis hoc prorsus alienum ac novum Studium permittas, perinde agis, ac si humilitatem, docilitatem, simplicitatem, mansuetudinem, obsequium illis subtrahas; cunctisque illos virtutibus exuas, a quibus instituti ipsorum summa ac omne decus pendent, & in virtutum denique locum vitia & contrarios affectus sufficias.

Orthodoxæ Fidei dogmata adversus Criticorum censuram tuta non esse, inquit Tractatus Auctor; *& majori fiducia de quopiam Religionis capite pronunciari, quam a Synodico conventu fieri posset.* Pag.291.

Ergo ne tam incredibilem perversitatem inter homines vigere, illorum audaciam eousque procedere, nostrorum temporum pestem tam late grassari, omnino intelligentes, non pro virili obsistemus parte, quominus in Claustrorum fines irrepat; neque omnes auditus præcludemus huic malo, quod vastitatem & omnimodam ruinam illuc inferre potest? Solitarii effingendis animo levibus cogitationibus, magis quam ceteri, obnoxii sunt; quamlibet illi materiam excutiunt, assidua reflexione mentis altius scrutantur: & quod semel in animum illorum receptum est, profundas radices agit, nec inde facile avellitur. Quamobrem illi, qui hujus professionis amore tanguntur (quæ, si in sua veritate spectetur, tam amabilis est) qui eam qualis revera est, attente perspicient; qui prærogativas, atque utilitates illi divinitus connexas in ea perennare sincere optabunt; summa ope studebunt a re periculi plena huic professioni addictos removere; nec illos specie acquirendi utiles co-

gnitiones, quæ nihil interea illis proderunt, in certam perniciem adduci patientur.

Si ea quæ hoc Capite continentur ad Monachos dirigere propositum Auctori non fuisset, nihil dicere contra habuissemus. Nam Regulæ, quæ hic ad rectum Critices usum instituendum exhibentur, sapientissimæ ac prudentissimæ sunt. Modo illæ diligenter serventur, & nulla ex præscriptis conditionibus prætermittatur, quod tamen exequi haud est ita facile, tutum & æquabile de rebus judicium feretur.

CAPUT XIV.

Pag. 303. *De Excerptis, & Collectionibus.*

Elegantissimam sane, atque utilissimam excerpendi & colligendi ex quotidiana lectione methodum tradit hoc Capite Tractatus Auctor. Ordo ac distributio rerum in hoc negotio servanda confusionem de medio tollit, atque obstat, ne temere ac pro suo quisque arbitrio Religiosi legant, ex qua legendi ratione nullum fructum percipiunt.

Illud tamen maximi ponderis atque momenti est, de quo admoneri debent; ne scilicet arbitrentur, se ideo lectioni incumbere, ut Doctores, & Magistri fiant, sed se toto vitæ tempore Discipulos futuros esse noverint, non ad docendum natos, sed ut ab aliis doceantur: tantumque absit, ut in posterum tempus ita se animo comparent, quasi alios aliquando docturi sint aut verbo aut scriptis; ut potius Regulæ præceptum jugiter præ oculis habeant, de nunquam intermittenda mortis cogitatione. Quapropter suas illi Lectiones quotidiani alimenti loco habeant; certique sint, se non alio fine legere, nisi ut se sustentent, ut animarum suarum vitam servent & muniant, ut proficua exercitatione tempus exigant, ut inutilia studia, quæ illos facile perderent, submoveant, denique ut animum sanctarum veritatum, quas ore suo vel Sanctorum suorum opera Dominus Jesus illos docuit, meditatione distineant.

Hanc inire rationem omnino debent, si ex lectionibus suis præsidia ad acquirendam sanctitatem petere volunt; secus illas sibi nocuas magis quam utiles fore, cito sentient. Lectio, Fratres mei, quod pluries ex me audistis, & vobis adhuc repetam, ideo Monachis imperata ab Institutoribus fuit, ut ex ea humiliores & sanctiores fierent, non ut eruditionis & doctrinæ incrementum facerent.

CAPUT XV.

De Compositione, & de una in aliam linguam Scriptorum conversione.

Scientiæ absconditæ, & thesauri invisi nullam esse utilitatem, teste divina Scriptura, inquit Tractatus Auctor; & e vestigio subdit, *Monachos omni ævo scientiis operam dedisse.* Pag. 312.

Isthæc divinæ Scripturæ sententia, Fratres mei, ad illos tantummodo accommodanda est, qui ad aliorum instructionem a Deo sunt constituti; quive traditum sibi talentum non invicem communicant, sed abscondunt; atque ad ea propter quæ illud acceperunt, eodem uti negligunt. Minime vero illos spectat, quos Deus ad vitam solitariam vocat, qui ideo tantum legunt, sanctisque veritatibus animum imbuunt, ut ad sanctitatem ipsi contendant, sintque illis exemplo, cum quibus vivunt. Eorum autem scientia materia quodammodo est sacrificii, quod Deo jugiter offerunt, dum voluptatem aliaque commoda ultro abdicant, quæ iis provenire solent, qui quidquid habent scientiæ cum aliis participant.

Monachos quod spectat, illos se omni ævo scientiarum Studiis dedisse, sine ulla probabili ratione affirmatur. Oppositum alias vobis ostendimus, & quamquam nonnulli ipsorum doctrinæ nomine inclaruerint, frustra hæc aut illa exempla in medium adduci, utpote singularia demonstravimus. Si in hoc negotio omnes Monachi Cassianum aut Sanctum Bernardum imitari voluissent, Claustrorum sanctitas minus profecto enituisset; magnitudo Religionis ipsorum laudem & decorem Ecclesiæ non attulisset: atque innumera Monachorum multitudo solicitudinibus, atque sæcularibus curis, mentisque distractionibus obnoxia reperta fuisset, dum scilicet sponte sua Studio scientiarum sese immiscuissent, nulla ad illa scientias vocatione, nulla missione, nulloque legitimo imperio compulsi.

Quod si contigerit, Monachos ad libros scribendos impelli Sancti Leonis hortatu, ut Cassianus; multiplici Sanctorum Præsulum ac illustrium Virorum suasione, ut Sanctus Bernardus; nemo crimini illis dabit, quod calamum arripiant. Cum vero ex suo met ingenio, cui omnes diffidere debent, ad scribendum se conferent, nihil est quod timere non possint, si magnum illorum numerum attendant, qui recto calle se incedere rati, in immensam ruinæ profunditatem delapsi sunt. Mihi quidem, Fratres, summopere periculosum videtur, sese in vulgus proferendi, aliosque docendi cupidita-

piditatem in Monachis excitare, qui ad hoc tantummodo nati sunt, ut ab aliis erudiantur.

Pag. 314. Solitariorum lucubrationes his finibus materiarum ab Auctore concluduntur, ut videlicet opera, *quæ in lucem ediderint*, *ad Fidei progressum*, *ad morum disciplinam*, *ad Ecclesiæ vel Reipublicæ bonum*, *ad vitæ Monasticæ perfectionem*, *bonarumve Artium incrementum prosint*.

Nempe de omnibus fere argumentis scribere Solitario licebit; vix enim ullum invenire est, quod non ad aliquod ex hisce Capitibus redigatur.

Quam latus campus earum rerum patet, quæ ad Fidei progressum, ad Ecclesiæ utilitatem conferre possunt? In hunc sensum venient universæ Quæstiones ad Theologiam, Scholasticam, Dogmaticam, ad Controversias, ad Disciplinam, ad Historiam Ecclesiasticam, ad Jus Canonicum, & ad Moralem pertinentes.

Reipublicæ vero bonum quid non includit? Jus Civile, humanas Leges, prophanas Historias, scientiam regendarum urbium, quidquid ad populorum Regimen referri potest, sive Principum officia, sive subditorum consideres.

Artium denique incremento & perfectioni subsunt Pictura, Sculptura, Geometria &c. Quod Astrologiam Judiciariam, Chiromantiam, aliasque Divinationis species attinet, eas jure merito Auctor exclusit: Et sane in Monachi animum venire posse, ut studium illis impendat, vix mente concipimus, nisi ille omnem non modo suæ Professionis sensum, sed & quodlibet Religionis Christianæ principium, pietatisque rudimentum abjecerit. Nec aberit a veritate, qui omnes illas futura cognoscendi aut investigandi rationes a Dæmone ideo excogitatas fuisse dixerit, ut credulos & imbecilles animos seduceret, ac Sanctorum prædictionibus fidem detraheret, qui Sancti Spiritus lumine collustrati sæpius futura prænoscunt.

Pag. 314. *Hæbraicæ linguæ notitiam ad Sacræ Scripturæ Studium quodammodo necessariam esse*, inquit Tractatus Auctor.

Profecto, si id verum est, Divinæ Scripturæ a quamplurimis ignorantur; paucos enim reperias, qui hanc notitiam, quæ necessaria intelligendis Scripturis existimatur, sibi comparaverint. Non me fugit, quædam rerum capita, ac nonnullas difficultates hæbraicæ linguæ præsidio indigere, ut perspicua fiant. Sed quid hæc ad Monachum? Nunquid ab illo perfectam ac penitiorem hujusmodi intelligentiam requirimus, Ecclesiasticorum atque Concionatorum

millia

millia suis Exhortationibus, ac piissimis ad populum Sermonibus, Ecclesiæ olim profuerunt, & nunc quotidie prosunt; omnem vero illi vim, omnem eloquentiam, omne doctrinæ lumen a Dei verbo in utriusque Testamenti Vulgata Editione contento eliciunt, quin unquam vel unam illius linguæ vocem didicerint.

Verum etiamsi illius notitiam in aliqua magni momenti difficultate necessariam fore ponamus, Versiones passim suppetunt, quibus uti possumus. Sed eas non esse ex Authographo ubique fideliter expressas, statim quispiam dixerit: Cur vero Censori potius quam Interpreti fidem habebimus? Quis erit utriusque Judex? Accurate ista perpendere non ad Monachum pertinet, sed ad Doctores, atque ad eos, qui pro erudiendis populis in Ecclesia constituti sunt. Velle autem in id genus Studia Monachos injicere, perinde est, ac ea quæ nihil habent cum eorum instituto commune, ab ipsis exposcere.

Animadvertit *Auctor, eos qui Philosophicos, sive etiam Theologicos Tractatus, quorum nullum operæ pretium est, conscribunt, qui linguarum Studio perpetuum exercentur, nullo cum onere quemquam edocendi &c. jacturam temporis facere.* Pag. 314

Hæc animadversio non Monachos tantummodo, sed omnes, qui Religione Christiana censentur, spectat. Postquam enim Dominus Jesus, tempus pretiosum quiddam esse pronunciavit, cujus usus tanti intersit, ut de omni otioso verbo reddenda olim sit ratio; nunquid commune omnium hominum officium esse dubitabimus, necessaria vel utilia tantum loqui? *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Quare ad solos Monachos hanc interdictionem referendam putabimus, quum in universum prolata sit; neque ignorare possimus, Deum, qui sua illos maledictione ferit, qui futiles animo cogitationes versant, illos quoque execrari, qui Studiis atque exercitationibus, unde nullum fructum, nullam utilitatem percipere valent, tempus eximunt? *Væ qui cogitatis inutile.* Matth. 12. v. 36. Mich. c. 2. v. 1.

Poeticæ Regulas callere, Carminum Scriptores intelligere, aliqua etiam suo marte componere, quod Sancti quidam Solitarii fecere, haud erit incongruum, inquit Tractatus Auctor. Pag. 314.

Alibi jam de hac re verba fecimus. Quod vero Marci, qui Sancti Benedicti discipulus fuit, exemplum spectat, aptissimum illud est ad injiciendos laqueos iis, quibus eum imitandi cupido incesserit. Vix sunt qui ignorent, Poetam in opere quod molitur totum esse dum scribit, quasi hominem affectu quopiam vehementer abreptum,

 nihil

nihil aliud illum cogitare, nihil meditari ac mente versare, quam sibi propositam carminum materiem. Quapropter Solitarius, qui sibi tam male consulit, ut scribendorum versuum cupiditati cedat, sive preces fundere, sive regulari lectioni vacare voluerit, variis ac ineptis cogitationibus distractus huc illuc fertur, imaginationis æstum cohibere nescit, atque ab illa vel invitus trahitur; ut vere dici queat, eum sibi imperare non posse, & quidvis magis cogitare ac facere, quam quod maxime vellet.

Sacra illum tantummodo argumenta tractaturum si dicas; ego quidem certus sum, nisi forte in illo perfecta fuerit, cumulataque virtus, quod in Poeta perrarum est, aut nisi peculiari vocatione divinitus impellatur, huic pangendi versus scientiæ ac facilitati maximum subesse periculum, ne fines, quos sibi præscripsit, aliquando transiliat. Ne multa; quamvis Monacho sine peccato versus componere quandoque liceat, vere nihilominus dicimus, Poesin nequaquam Solitariis convenire; ac nulla illos niti ratione, ut regulas hujus artis callere, & pangendis versibus exercitari velint. Frustra vero quosdam illorum in medium profers, qui olim in solitudine carmina scripserunt: Quæ enim ratio suadet, exiguum illorum numerum sequi, atque ad illorum exemplum ea re occupari, quæ a solitariæ vitæ instituto penitus abhorret, potius quam innumeram Sanctorum multitudinem sibi proponere, quos hoc studium minime delectavit?

Pag. 315. *Monachi, qui pro suo arbitratu, & ex propria destinatione operibus non necessariis insudant, id facere debent* (inquit Auctor) *sine ulla regularium proprii instituti Officiorum intermissione.*

Alibi ad hæc aut his similia responsum dedimus, Fratres mei, non nisi videlicet in Communitatibus, in quibus sine regula & sine disciplina vivitur, Monachos sponte sua ad aliquid agendum procedere, aut suas sibimetipsis deligere exercitationes. Abs re igitur est dicere, Monachis, qui ex propria destinatione Operibus non necessariis insudant, a regularibus officiis non esse cessandum; neque enim illis ita se gerere unquam licuit; agendi autem ratio, qua votum Obedientiæ infringitur, probari non potest. Ab alterius nutu in omnibus vitæ suæ circumstantiis Monachus pendere debet, cujus omnes actus Superioris imperium moderatur: alia quam sua voluntate duci illum oportet omni tempore, præsertim si Sancti Benedicti Regulæ nomen dedit, qui discipulorum suorum arbitrium obnoxium esse omnium maxime voluit, ut ex ejus verbis liquet: *Quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate.* Reg. c. 33.

Interea soluta hujusmodi pro lubitu suo agendi libertas, quamvis Regulæ definitioni adeo contraria, æqua ac legitima censeri videtur, dicendo, eos, qui ex propria deliberatione studiis incumbunt, id fa-

id facere debere salvo regularium officiorum exercitio ; quasi nihil esset in iis reprehendendum, qui studiis occupari sponte sua voluerunt, dummodo suæ Professionis officiis satisfacere non desinant.

Ac nimium quidem hodie inter Regulares hæc agendi praxis obtinuit ; quæ licet passim inoluerit, ac sit pene generalis, non ideo minus Claustrorum pietati adversatur. Locus a Patribus Cisterciensibus desumptus interdictionem continet, quæ hujusmodi libertatem damnat : *Ne quis dum in onere sibi non imposito occupatur, orietur ab imposito.*

Ad Græcos Patres perfecte intelligendos, Septuaginta Seniorum Versionem, Demosthenem, atque Homerum legisse oportet. Pag.320.

Eorum, quæ hoc Capite differuntur, nulla est ratio aut convenientia cum Studiis, quæ Monachorum institutum decent ; sed illa verius in usum cedere possunt Laicorum, atque eorum qui in Sæculo Litteris student. Hoc enim cognitionum genere Monachum informare velle, perinde est, ac illum sui officii immemorem, atque ad ea quæ ipsius status postulat cæcutientem reddere. Certissime quidem affirmare possumus, Antonios, Pachomios, Hilariones, Macarios, Columbanos, Romualdos, Gualbertos, Stephanos, Brunones, & Bernardos, Monasticarum observationum Institutores, nunquam illud sibi proposuisse, ut discipulos suos hisce studiis, exercitationibusve occuparent. Quid ergo causæ est, cur nova penitus, & Sanctis illis incognita studiorum instituta Monachis inculcemus ?

Quinimmo iidem illi (inquit Auctor) *qui ex majorum suorum imperio feriis diuturnisque Operibus addicuntur, a communibus ceterorum Sodalium oneribus minus, quoad poterunt, immunes se reddere debent, exemplo Venerabilis Bedæ.* Pag.315.

Pauci hoc exemplum, Fratres mei, animadvertunt, pauciores imitantur. Monachi studiis addicti sese a communibus regularitatibus sine ulla hæsitatione eximunt : Superiores vero, qui has exemptiones nihil pensi habent, eas facillime impertiunt ; accurata & regularis agendi ratio, ac subjectionis obsequium ab illis ignoratur ; atque illud vere dici potest, ex iis Sodalitatibus, in quibus litterarum studia vigent, regularum cognitionem & usum abesse. Magnus ibi omnium motus, ac mutua concursatio : loco silentii, a quo Monasteriorum tranquillitas atque alta pax oritur, collocutiones & commercia, perpetuo agitantur ; somnus in locum succedit sanctarum vigiliarum, in quibus situm est illorum spirituale solatium, qui, nocturnas preces minus esse distractionibus obnoxias

xias adeoque puriores, ferventiores, Deoque magis gratas, sciunt.

Vera esse quæ dicimus, ex Regulæ Declarationibus Congregationis Montis-Cassini, quæ Parisiis anno 1604. typis prodierunt, nimium compertum sit; ex illis præsertim verbis: *Et ut Fratres nostri ardentius præfatis studiis incumbant, quo major eis commoditas data fuerit, hortamur Prælatos, & Superiores Monasteriorum per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnem eis commoditatem tribuant, etiam a communibus exercitiis, & ab aliquibus horis Canonicis (non tamen diebus festis, nec prætermissa Oratione mentali, integra etiam pro viribus regulari observantia) si opus fuerit, eximendo.*

Ad C. 48. Reg. S. Ben. v 8.

Hujus similes declarationes habentur in Constitutionibus aliorum Ordinum Monasticorum, in quibus Religiosi Litterarum studium profitentur.

Non desunt argumenta, quibus hanc agendi licentiam, quam sibi permittunt, defendi posse putant. Necessarium esse, ajunt, exsuscitare ingenia, quæ alioquin nisi sedulo excitentur, aditus ad scientias sibi præcludi, & idonea invideri præsidia sentient. Præterea fieri non posse, ut dum exactius ac strictius vivendi Institutum cum assiduitate conjungitur, valetudo diutius sustentetur. Denique quod lubitum est faciendi Monachis scientiarum Studio addictis potestas conceditur, iisdemque exemptiones atque immunitates deberi putantur, quæ subjectæ ac morigeræ Regularium vitæ prorsus adversantur. Omnia vero hujusmodi speciosa argumenta vix attendi digna sunt ab iis, quorum est vias arctas ingredi, quive assiduo studio niti debent, ut perfectam absolutamque pietatem assequantur.

CAPUT XVI.

Pag. 323.

De Collationibus Monasticis.

QUamquam in Regula S. Benedicti nihil sese nobis offerat, unde colligamus, propositum illi fuisse inter discipulos suos Collationes instituere; eum tamen easdem excludere noluisse credendum est: Dummodo enim cum necessariis conditionibus peragantur, ad pietatem augendam, ad zelum inflammandum, ad excitandum in Fratribus rectitudinis amorem, ad sanctarum virtutum, quibus eorum vita constare debet, praxim invehendam, miro quoddam modo conducunt. Idoneo autem argumento est, secundum hujus Institutoris spiritum illas esse, quod videlicet Monachi Cistercienses, qui accuratissime hunc spiritum expresserunt, a proprii Ordinis primordiis Collationes habuerint.

Ritus ac modos Collationes agendi quod spectat, diversos variis & locis & temporibus fuisse non dubitamus. Utilior fuerit procul dubio,

dubio, qui colluſtrandis mentibus, & cordibus permovendis aptior: Finis quippe, quem ſibi Monachi dum conveniunt, proponere debent, hic denique eſt, ut invicem conſolentur, ut alter alteri dextram porrigat, & mutuo ſe fulciant, ut in via, quam ingreſſi ſunt, alacrius progrediantur.

In hoc negotio illud ſummum eſt atque præcipuum, ut pia & ſancta non minus, quam humilis & ſimplex ſit dicentis oratio. Pietas quidem neceſſaria eſt; quod ſine illa Monaſticæ collocutiones diſciplinam verius depravarent, quam audientes perficerent. Simplicitas vero ad pietatem ac ſanctitatem accedere debet, ut illi ex fratribus, qui naturæ ac doctrinæ præſidiis magis ſunt ad dicendum parati, parcius illis utantur, nec inde alios antecedendi occaſionem arripiant, minus autem docti & rudiores in doctorum conſeſſu quæ ſentiunt dicere non refugiant aut erubeſcant.

Simplicitas utroſque pares reddit, atque æmulationem & invidiam de medio tollit, quæ inter colloquentes & converſantes ſæpius erumpit.

Pietas ad argumenta & dicendi materias refertur; quæ quoad fieri poteſt, ſtatui Monaſtico convenientiſſimæ ſeligantur, ut inde, qui jure expectandus eſt, ſpiritualis profectus exurgat. Agatur ſæpius de aſcetica vivendi ratione, de officiis, de puritate & vita illorum, qui celebriores in Solitudine fuerunt, de virtutibus, quæ in illis effulſere, de illorum denique geſtis & ſententiis notabilioribus.

In hanc rem Sanctorum Solitariorum Hiſtoriæ, Caſſiani Collationes, Aſcetica Sancti Baſilii, atque omnes Libri de Monaſtica Profeſſione agentes appoſite adhiberi poterunt.

Id genus Collocutionibus convenientiſſima eſt divina Scriptura; in utroque enim Teſtamento infiniti propemodum loci ſuppetunt, quos ita propoſito argumento aptare facile eſt, ut audientes inſtruantur atque ædificentur; locutiones & ſententiæ, immo facta atque Hiſtoriæ paſſim occurrunt, in quibus Spiritus Sanctus ad Solitariorum doctrinam peculiariter locutus eſſe videtur.

Id videre eſt in Libris Prophetarum; in Verbo autem Evangelico maxime perſpicuum eſt, præſertim ubi Dominus Jeſus de neceſſitate abrenunciandi Sæculo, & per viam dolorum atque privationum ambulandi verba facit; ubi mundi hujus gloriam, honores, voluptates, & divitias contemnere docet; denique ubi arctam & anguſtam viam eſſe pronunciat, quæ ducit ad vitam. In hoc diceres Dominum Jeſum ſeſe quodamodo oblectaſſe, ut Monachorum ſtatum in omnibus documentis atque inſtitutis deſignaret. Neque id mirandum valde eſt, quandoquidem maximum ejus in hoc Mundo negotium fuit, juſſa Patris exequi, miſſionis ſuæ officiis ſatisfacere, ejus Electos informare; ac nulla porro vitæ conditio, nullum inſtitutum eo magis conferre viſum eſt, majoremque Electorum numerum illi præſtitit, quam Monaſtica Profeſſio.

Vivus,

Vivus, fervidus, & ad movendum efficax sit in Collationibus sermo; animus se in illis magis prodat, quam ingenium: cumque ita fere comparatum sit, ut dum in idipsum conveniunt homines invicem depraventur, juxta illud Prophetæ dictum: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum:* Et vel innoxia ac pura Colloquia pietatem plerumque lædant; Fratres nihilominus nunquam a Collatione discedere debent, nisi ardentiores facti, ac magis magisque cupidi obsequendi prorsus illius mandatis atque institutis, cui se totos dedidere.

Ps. 11. v. 2.

Hunc, inquam, Collatio Monastica sortiatur exitum, ut inde abeuntibus Christi jugum levius videatur, ut nullæ illos jam difficultates remorentur, & in via præceptorum Dei pleniori gradu incedant, juxta illud: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*

Ps. 118. v. 32.

Cum nihil vero sæpius contingat, quam inter se dissitas hominum videre sententias; & cum propensus animus ad ea tuenda, quæ semel protulerit, contentiones & dissidia plerumque pariat; diligentissime cavendum est ne opinionum varietate Fratres incalescant nimis, aut exasperentur, & ne dum quisque suæ fidem conciliare nititur, in ejusdem oppugnatores contemptu & indignatione feratur. Hinc abalienationes, aversos animos, simultates, & odia oriri cernimus; ac nonnunquam propter contentiones id genus, & sententiarum discrepantias, sanctæ illius pacis atque unanimitatis, quæ in Monasticis Congregationibus vigere debet, omnimoda ruina consequi visa est.

Atque ut perniciosum hunc scopulum, Fratres, vitemus, levissima quæque occasio nulla mora præcidenda est. Quamobrem si forte aliquis Fratrum opinionem alterius opinioni contrariam foveat, surgere debet, atque ea quæ sentit dicendi veniam a Superiore petere. Deinde Superior ei, qui prior dixit, imperare poterit, ut opinionis suæ rationes edisserat: ac mox ipsemet quæstiones dirimet, & ea, quæ ad rem esse judicaverit de suo addens, a neutra parte disputionem ulterius proferri permittet. Ita animi eo confessionis & pacis loco, quo esse debent, perpetuo manebunt, & charitas, quæ apud illos integra servanda est, ne minimam quidem labem unquam patietur.

Denique omnium maxime his Collocutionibus Superiorem præsentem adesse, præsidere, & circa Fratrum suorum agendi rationem attentum se præbere oportet; dumque illis libertatem nullo fræno coercitam permittit, caveat, ne quid illis excidat, quod a regulis, juxta quas vivere tenentur, vel minimum deerret.

Si quempiam illorum ad loquendum aliter quam debeat paratum sentiat, necesse est, ut in ejus ore verba, ut ita dicam, inhibeat, vel immutet, atque obstet, quominus inde vox ulla erumpat, status sui sanctitate, & exemplo, quod Fratribus præbere debet, in digna. Necesse est, ut illis animum addat, ut eos consoletur, ut eri-

erigat, ut eorum dictis auctoritatem conciliet, ut se illos audientem magnopere delectari, perspicuis multisque signis testetur.

Optimum factu esse non puto, quod Collationum argumenta illis proponantur, & materiæ, de quibus acturi sunt, antea designentur. Hic agendi modus, qui Ecclesiasticis viris utilis esse potest, quive usu apud illos obtinuit, Solitariis hominibus gravia incommoda afferre posse mihi videtur.

Primum quidem, Fratres, illud est, quod argumentum sibi propositum jugiter animo versabunt, & vix ad alia cogitationem convertent, in omnibus exercitiis sese illis hoc argumentum offeret, præsertim in Oratione, cujus puritatem distractione continua labefactabit, atque illam utpote non integram, ac nimis interruptam, Deo parum acceptam reddet.

Deinde vero unusquisque, ut sibi bene inceptum opus succedat, nervos omnes intendet, & sibi laudi tribuet argumentum ita pertractare, ut sua doctrina atque industria appareant facillime atque eluceant; proprii ingenii & eruditionis signa proferre sataget; inanis gloria, quæ se omnibus vel piissimis actibus plerumque inserit, & hic locum inveniet: denique alios antecedendi, & inter Fratres eminendi cupido incesset: ita fiet, ut exercitatio, cujus unicus scopus est pietatis incrementum, eorum humilitati, simplicitati, ac Religioni depravationis periculum importet.

Quod si quis me vatum in morem futura prænunciare dicat, me nonnisi rerum experimentis, quæ loquor, deprehendisse fatebor; vix aliud hisce auribus audio, quoties de Claustrorum disciplina apud me sermo instituitur, nisi quod coitiones & Colloquia Monachorum adeo indignis modis peragi solent, ut illos plane dedeceant, inter quos charitas, mansuetudo, humilitas, atque honestas sancte ac religiose servari debent.

Ex Historia Sangallensis Abbatiæ in Helvetiis exploratum habemus, tres ex insignioribus Monachis, qui Sæculo nono in ipsa effloruere, singulis diebus, Præposito sic permittente, mutuo contulisse de rebus ad Sacram Scripturam pertinentibus, tempore quod inter Matutinum Officium & Laudes intercedit. Pag. 326.

Hoc factum tacere, quam in vulgus edere, præstitisset; apertissime enim ostendit, quatenus regularitati & disciplinæ in quolibet Monastico Sodalitio Studia officere possint. In primis videre illic est Superiorem a nocturno silentio Fratres eximentem, quæ est potissimi Regulæ Capitis infractio; in qua nimirum Regula silentium adeo enixe præscribitur, ut, *si quisquam inventus fuerit hanc taciturnitatis regulam prævaricari, is gravissimæ vindictæ subjacere* dicatur. Reg. C. 42.

Secundo, tam inusitata concessio curiositatem Fratris cujusdam excitat, ac pravas illis suspiciones ingerit, eousque ut audacter explorare velit, quidnam tres illi Monachi simul facturi convenerint,

eo ma-

eo maxime tempore, quod secessui ac silentio prorsus dicatum est.

Tertio, temerarium facinus, quod in morigera Sodalitate nunquam evenire debet, a tribus illis tanti nominis Solitariis committitur. Cum enim, dum de Scripturis colloquia miscebant, hunc Fratrem ex improviso occupassent; duo ex illis magis ad audendum projecti, socio, cui plus inerat pietatis ac timoris Dei, in Ecclesiam interea misso, curiosum exploratorem apprehendunt, eumque flagello severe atque acriter verberant, *Alii duo hominem egregie excipiunt, rapto flagello Fratrum quod pendebat in pyrali*. Violentum porro fuisse supplicium, quo miserum Fratrem mulctarunt, ex iis quæ de Monacho executore dicuntur, apparet, *Ratpertus id exequitur, vir ad disciplinas acutissimus*, nempe in hac re conficienda peritissimus, ac vehementissimus.

Ekchard. c. 33.

Ex hoc itaque facto dumtaxat colligitur, valde dissolutam & inordinatam disciplinam in eo Monasterio viguisse, in quo ceteroquin Scholæ florebant, & nimium Studii amorem in iis hominibus, quibus hic amor minime convenit, licentiæ fontem atque perversitatis esse; Regulam, Regularitatem, Constitutiones, Disciplinam, atque ædificationem omnino ignorari in iis Cœnobiis, in quibus Studia constituta sunt, & sciendi libidini cuncta cedere. Frustra hoc exemplo Studiorum & Monasticarum Collationum patrocinium quæritur, quibus illud potius omnem detrahit auctoritatem, atque ab illis alienos animos facit. Quod si, ut fertur, tres illi Monachi omnium celeberrimi fuerunt, quotquot in hoc Monasterio floruere; sane illos consilia & mentem admodum immutasse oportet, ut hoc elogio digni redderentur.

Pag. 328. *Collationes vero* (inquit Auctor) *quæ fiunt per mutua Colloquia* (*si Relaxationum tempora, in quibus vel de seriis nonnumquam salubriter disputatur, excipias*) *haud amplius in Monasteriis usu receptæ sunt*.

Nulla apud Veteres mentio fit harum Relaxationum, sive temporis huic rei dicati, nempe ut animi remittantur: de his quoque silent Antiquæ Patrum Regulæ, quod sancti illi viri existimaverint, Solitarii vitam actionum ad perfectionem ducentium perpetuam seriem esse debere. Et ne rem ex Sanctis Orientis Patribus altius repetamus, quid magis oppositum spiritui & consilio sancti Patris Benedicti, quid cum ejus documentis magis pugnans, quam id genus exercitii? cum ipse discipulos suos nunquam ab æternitate aciem mentis deflectere, & ante illorum oculos supplicia & præmia, quæ cum æternitate conjunguntur, jugiter versari velit; cum ipse, inquam, in Regula omnibus ista præcipiat. *Reum se omni hora de peccatis suis existimans; jam se tremendo judicio Dei præsentari existimet*.

Ben. Reg. C. 7. grad. 12. Hum.

Om-

Omnes quoque Regulæ, quæ post Benedictinam conflatæ sunt, nempe illa Sancti Columbani, Sancti Stephani Grandimotensis, Sancti Romualdi, Cartusianorum, Vallis umbrosæ, Sancti Victoris, Monachorum Cisterciensium, Cœlestinorum, vestigiis Sancti Patris institere, & eandem exactitudinem ac severitatem adhibuerunt.

Quandoquidem vero mens humana diuturnam contentionem atque attentionem nunquam intermissam perpetuo servare nequit; ideo illi Collationes habuerunt, quæ, licet nonnisi de rebus ad sanctitatem pertinentibus, ac de boni exempli institutis inibi ageretur, solatii tamen, ac remissionis simul loco illis esse solebant. Hæ veterum Collationum ritum accurate exprimebant: singuli ex ordine loquentes propriam sententiam nativa quadam simplicitate cum pietate & charitate conjuncta dicebant; eorumque colloquia recreandis ingeniis, simul & nutriendis animis maxime idonea erant. Superior his præsidebat, & sua præsentia, ac Fratrum obsequio, & fide, quam ipsi habebant, ut modus sancte religioseque servaretur efficiebat; idque porro Collocutionum genus ab omni incommodo immune fuisse, magnasque utilitates attulisse affirmari potest.

In antiquis Ordinis Cisterciensis Definitionibus circa id genus Collationes, hæc legimus: *Studeant Abbates & Monachi, ut quando ad Colloquium venerint, talia habeant inter se colloquia, quæ gravitatem redoleant, & salutem respiciant animarum.* A Capitulo quodam generali decretum est, ad collocutiones, in quibus disciplinæ leges minime servantur, eliminandas, ut quoties fuerint Fratres ad Collationes appellati, illorum *colloquium fit de Sanctorum miraculis, de verbis ædificatoriis, & de his quæ pertinent ad salutem animarum, exclusis detractionibus, contentionibus & aliis vanitatibus.* Nimirum hujusmodi esse debent argumenta, circa quæ Monachorum Colloquia versentur, si ea prodesse, & scopum attingere, hoc est illud bonum, ad quod referuntur, efficere reipsa volumus.

Monast. Cisterc. 1. part. Instit. c. Gen. c. 5. Ann. 1232.

Primus itaque, juxta Auctoris consilium, *conferendi modus esset, una cum ceteris Sodalibus materiæ cujuspiam magni momenti, puta Conciliorum, aut Ecclesiasticæ Historiæ lectionem instituere, & unicuique suas difficultates promendi veniam præbere; quæ methodus servatur in Collocutionibus, quæ a multis annis in domo præclari cujusdam Prætoris Parisiensis iniri solent.* *Pag. 328.*

Hæc Collationes habendi methodus nimium abludit a Monastica disciplina, & nihil tale apud veteres Monachos reperitur, quos ut Patres & Duces nostros sequi debemus: neque periculo vacat alias vias aut rationes inire, quam quæ ab ipsis nobis patefactæ sunt, & exemplo indicatæ. Convenientior est hæc methodus Novitiis Theologis, qui in Scholis erudiuntur, sive Ecclesiasticis, qui conventus

ventus agunt, ut de propriis officiis instruantur, & quos oportet acta in Conciliis non ignorare; sed nihil horum tum quoad materiam, tum quoad modum cum Monastica Professione copulari potest.

Et quidem non est cur id miremur; quoniam non ex usu recepto in domibus Prætorum, quantacunque reverentia & obsequio illos cæteroquin prosequi teneamur, quærenda sunt quæ Claustrali disciplinæ conveniunt; sed apud ipsos Monachos, illos videlicet, qui præteritis Sæculis sanctitate & præcipuis gratiæ donis præclari atque illustres extitere.

Pag.329. *Secundus conferendi modus* (judicio quidem Auctoris) *esset, capita quædam aut argumenta proponere sub anni exordium in totum annum, sive in qualibet Collatione in proxime subsequentem.*

Duo sunt quæ in hanc agendi rationem, Fratres mei, dici possunt. Unum, si ita fiat, prorsus evenire quod superius indicavimus, nempe Monachos distractionibus obnoxios reddi, & inter eos invidiæ atque æmulationis quoddam genus excitari, unde perniciosi effectus omnino manabunt.

Alterum, multum inter Ecclesiasticas Collationes, atque Monasticas interesse debere; quoniam duo hæc instituta juxta Sanctorum Patrum sententiam plane sunt diversa. Et si quis unius legibus alterius politiam moderari voluerit, in errorem continuo impinget; atque hæc est brevissima ratio, qua communi & prophanæ vitæ Monasticus status reddatur, atque unicus modus, quo illi peculiares notæ ac prærogativæ, quibus distinguitur, auferantur.

Pag.330. *Tertium conferendi modum*, Auctor innuit, *æque utilem: cum videlicet Monachus aliquis doctus orationem habeat de uno quopiam argumento, & difficultatibus, quæ sibi proponi poterunt, satisfaciat; quod usu receptum est in Congregatione Presbyterorum S. Maglovii.*

Quid est, Fratres, cur Collationum Monasticarum formam, exemplis ab Ecclesiasticorum methodo petitis, constituere velimus? Quamvis utrique eundem sibi finem statuant, nempe ut in Deum erigantur, atque illi adhæreant; modi tendendi prorsus discrepant, & aliæ ab aliis usurpandæ viæ sunt: Hi quidem ad exteriora prodire, illi vero intra semetipsos coarctari, ut sic dicam, debent. Duos hosce status tot certis officiis, muneribus, actionibusque distinxit Deus, ut invicem ab hominibus non sint confundendi.

Adden-

Addendum prorsus esse & quartum conferendi modum, inquit Auctor, *quamvis paulo sublimiorem, qui in celebratissimis illis Collationibus Domini Archiepiscopi Parisiensis usurpabatur.* Pag. 330.

Collationes, quarum hic Auctor meminit, adeo esse sublimes & splendidas, omnibus exploratum est, ut nulla earum cum Monasticis, quas informamus, ratio intersit. Quomodo enim magnificam collationem eruditissimi, perspicacissimi, & eloquentissimi Præsulis, ad Doctores Ecclesiasticos, ad Pastores habitam per quandam Synodi speciem, ubi de potissimis argumentis populorum regimen & animarum curam spectantibus agitur, cum eo colloquio comparabimus, quod inter duodecim circiter Monachos ultro citroque miscetur, quibus Superior ut plurimum mediocriter doctus præsidet; ubi nonnisi de ipsorum officiis agendum est, eaque sola commemoranda sunt, quæ illos in suæ Professionis amore, in charitatis, humilitatis, simplicitatis, obedientiæ, solitariæ vitæ, silentii, mortificationis, omnium denique Monasticarum virtutum exercitio confirmare possunt?

Oporteret, inquit Auctor, *methodum a Sancto Basilio Magno Monachis in suis Collationibus præscriptam observare.* Pag. 335.

Nihil esse hac methodo conducibilius, nihil Regulis ab hoc sancto viro constitutis sapientius, omnino verum est; his firmiter adhærendum esset, neque rationes & viæ ineundæ, quæ cum hominibus solitudini addictis commune nihil habent.

Si Monachi instructiones Veterum Patrum, quatenus ad hanc rem pertinet, sequi diligentius studuissent; si regulas ab illis usurpatas in Collationum praxi in suos usus convertissent, nec illas (uti heu nimium fecere!) rejecissent; vel hæc sola exercitatio Claustrorum pietatem confirmare, ac diutius retinere Fratres in sedula observatione omnium mediorum, quibus juxta Sanctorum traditionem ad perfectionis culmen evehi possunt, roborare; veritates, quibus Sancti fierent, eorum cordibus alte inscribere, earumque memoriam atque commentationem, dum in idem conveniunt, identidem renovare, eosque vinculo sinceræ sanctæque charitatis mutuo conjungere, e medio denique illorum contentiones, & æmulationes, quæ Monasticarum Sodalitatum majorem partem dilacerant atque inficiunt, prorsus tollere valuisset.

Sed cur, Fratres mei, eorum duodecim Monachorum, quorum descriptionem jucundissimam legimus in vita Sanctorum Patrum Eremi, & de quibus alibi ad vos verba feci, exemplum non sequimur? Hi Dei famuli eandem fidem, atque eundem scopum sibi propositum habebant, ac nosmetipsi. Illi quidem omnibus locis *Eclaircissement sur la feizieme difficulté.*

 sibi

sibi Dominum Jesum præsentem constituebant; nobis vero præcipit Regula, ne unquam ab illo mentis oculos dimoveamus. Toto desiderio in hoc ferebantur, ut Jesu Christo conjungerentur; atque ut id ex sententia ipsis succederet, mundi hujus bona, voluptates, & divitias pedibus proculcare nitebantur. In eum tantummodo finem aliquando ad mutuam collocutionem conveniebant, ut se ad hoc pium desiderium magis magisque invicem excitarent; huc omnes illorum Collationes tendebant; eorum sermo igne charitatis ardebat; Sanctus denique Spiritus, quo agebantur, in omnibus eorum dictis enitebat.

Hæc est Collationum forma Monasticarum; hac ratione utiliter in idipsum convenimus, mutuam consolationem & doctrinam accipimus. Fratres, qui hanc methodum sequuntur, instrui atque ad virtutem inflammari facile poterunt; & futilium, seu curiosarum quæstionum loco, quæ apud illos tractantur, qui Sæculum adhuc spirant, de iis argumentis disputabunt, quæ mundi contemptores decent: Hi quippe rerum, quæ labuntur, & quarum desiderium abjicere tenentur, obliti, omnes suas cogitationes, omnia consilia ad illas convertunt, quæ perpetuo manent, & quas Deus, ut unicum proprii amoris objectum constituant, illis jubet.

CAPUT XVII.

Pag. 336. *Prædicatio Evangelii, quæ nobilissimum altissimumque in Ecclesia Dei ministerium est, Monachis quoque fuisse commissam ab ipso Cœnobiticæ Professionis exordio, Auctor affirmat.*

NEmo est quin facile credat, Fratres mei, Monachos vel ab ipso Monasticæ institutionis exordio in partem Apostolicæ solicitudinis fuisse vocatos, & ad populorum conversionem missos, ita ut nationes incredulæ eorum ministerio lumina Fidei receperint. Hujusmodi tamen Ministerii, quod ut magnum quiddam atque præclarum nobis exhibetur, summa redit ad nonnullas instructiones seu Catechismos, complectentes Fidei rudimenta atque principia; & ad id quod præstitit S. Benedictus erga quosdam Idololatras Monasterii sui in Monte Cassino accolas, quos ipse erudire curavit. Extra communem ordinem hæc facta sunt, ut jam alias diximus, neque ad consequentiam sunt trahenda; quoniam Gentiles, qui ad Fidem convertantur, jam non habemus, totque Operarios in sua Hierarchia jam numerat Ecclesia, ut Solitariorum subsidio amplius non egeat.

Certum est igitur (inquit Auctor) *concionandi munus neutiquam Monachis esse interdictum, quandocumque ad ipsum persolvendum fuerint apti.* Pag. 337.

Multa sunt, quæ his reponere opportunum ducimus. In primis Ecclesia quidem potest extraordinaria agendi ratione Monachos ex ipsorum naturali statu educere, quoties illi hæc ordinis perturbatio ad consolationem populis afferendam, & ad Fidei ædificationem, patrocinatura videatur. Sed quod quispiam velit unius Monachi obtentu, qui e solitudine ad hoc munus subeundum evocabitur, plura Monachorum millia, qui jugiter in Monasterio delitescent, ad hanc provinciam capessendam se comparare, & scientiis semetipsos imbuere, quarum nullus ipsis usus imposterum erit, id ab omni denique rationis & veritatis specie abhorrere puto.

Deinde prorsus absonum est velle, ut homines, quos S. Benedictus, seu verius Deus ipse vitæ in jugi silentio ducendæ destinavit, quemadodum ex ejus apparet Regula, publice loquendi leges addiscant; ut ii, quibus conceptis verbis silere jubetur, Rhetoricis præceptis imbuantur. Qua tandem ratione sextum hujus Regulæ caput, itemque quadragesimum secundum, ubi dicitur : *Omni tempore, silentio debent studere Monachi*, cum tam opposito ministerio, tamque aliena exercitatione componemus? Quamquam vero S. Benedictus suis Discipulis sermone uti nequaquam interdixerit, si quando ab iis jussi fuerint, quorum suprema auctoritas est, nimirum ab Ecclesiæ Præpositis; ejus tamen consilium fuisse nemo non videt, ut in vita interiori sese contineant, ut sibimetipsis unice attendant, ut Dei legem in secreto cordis noctu diuque meditentur. Reg. c. 44.

Tertio quænam est hæc illatio? Sanctus Benedictus Gentiles aliquot Prædicatione & Catechismo in Fide christiana erudivit; necesse est ergo, ut qui illius Regulam amplectuntur, scientias discant, quæ Missionariorum & Concionatorum muneri obeundo necessariæ videbuntur, nulla discretione facta eorum, quæ illius institutis proprio quodam modo conveniunt, atque eorum, quæ privilegio speciali ipsius personæ adhærent? Quidquid a Sancto Benedicto peculiariter gestum est, universi ejus discipuli neque fecerunt, neque facere debent; sive quod dotes & charismata, quæ illi Deus impertiverat, ipsi neutiquam receperint; sive quod in iisdem temporibus, circumstantiis, & necessitatibus nequaquam versemur. Opera quædam ita in Fundatorum atque Institutorum persona consistunt, ut ad eorum discipulos & sectatores ordinaria quadam successione non transeant. Huc referenda est Sancti Patris Benedicti ad rudes in Fide erudiendos Missio; & nihil magis inutile, nihil ejus consilio & Regulæ magis oppositum, quam si inde occasionem arripias hanc Regulam professos ad Sacrorum Oratorum eloquentiam instituendi.

N 2 Quar-

Quarto, in magnam perturbationem Monasticas Sodalitates conjeceris, si Monachos ad munera obeunda designaveris, quæ cordis eorum tranquillitatem interturbare possunt, humilitatemque evertere atque simplicitatem, in qua illis vivendum est, hisce virtutibus subrogando desideria & consilia, quæ ab illorum animis exulare perpetuo debent. Quod si Monacho, quem instituis, incœpta studia feliciter succedant, sique ille laboribus tuis, quibus eum eximium Oratorem efficere niteris, respondeat; jam jam incenso desiderio flagrabit in publicum prodeundi, ostentandique ingenium atque doctrinam; omnem movebit lapidem, nihil prætermittet, ut sibi dignitates & ministeria comparet; & divinum propemodum munus humanis ac minus rectis rationibus compulsus aggredi, vix religioni habebit.

Ceteri qui ad idem muneris inepti fuerint, facile sibi multum arrogabunt, seque illa posse, quæ revera non possunt, arbitrabuntur; in publicum conspectum exire æque ardenter cupient, ac si doctrina & eloquentia, quibus destituuntur, abundarent; omnes lectiones suas, omnes cogitationes, omnia studia ad hunc unice finem referent. Quam aliena a Monacho constitutio, qui nihil nisi simplicem, humilem & quietam vitam profiteri debet! quemadmodum ipse Tractatus Auctor fatetur.

Defendi hoc axioma non potest, si quis videlicet asserat, ea quæ S. Benedictus gessit, & quorum interdictor non fuit, ab ejus Discipulis tuto usurpari posse. Si ita est; quemadmodum ille in pio colloquio cum Sancta Scholastica sorore sua integram noctem extra Monasterium exegit; ita illius discipuli hoc ut faciant sibi sumere possunt, quin ullam in reprehensionem incurrant. Quemadmodum ille Sanctum Maurum super aquas ambulare jussit ad Placidum a periculo, in quo versabatur, eruendum; ita inconsultus & imprudens Præpositus eandem rem imperare poterit, atque illi parendum erit.

Quæ ratio si nobis probetur, quatenus ad Sanctum Benedictum pertinet, idem & de Sancto Bernardo dicendum esset. Quapropter postremi hujus exemplo, qui ad Principum & Magnatum aulas accessit, facile in animum inducet Monachus Cisterciensis idem sibi facere licere; quemadmodum ille Ecclesiæ rebus agendis interfuit, ita hic Monachus iisdem negotiis se immisceri posse credet, quandoquidem ille dissitas a suo Monasterio regiones adiit, ut quosdam Hæreticos impugnaret atque confunderet; quis impediet quominus hic Monachus licere sibi crediderit longa itinera simili obtentu peragere.

Annal. Cist. an. 1122. & 1125. Rem notatu dignam, quæ Sancti Bernardi ævo contigit, quatenus huc spectat, vobis, Fratres, enarrabo. Subiit animum cujusdam Abbatis in Moribundi Monasterio, se illius Apostolici sanctique viri exemplum sequi, & perinde ac ille, mundum concionando peragrare posse. Relicto itaque Monasterio, apud Batavos

verbum

verbum Dei annunciare cæpit; & usque in Germaniam progresso transfretandi Maria, visendique Loca Sancta studium incesserat. Acriter eum quidem increpavit S. Bernardus; sed tanta auctoritas depravationem mentis animique illius cohibere non valuit: Denique suæ illum Professionis fastidium cepit, quam cum abjecisset, adeo irregularem vitam infelici exitu clausit.

Hoc eventu magnopere erudimur, ex eoque intelligimus, Fundatores nonnulla egisse, quæ ipsis solis peculiari quodam pacto convenerunt, quæve ab eorum discipulis imitanda non sunt: Nempe quod in illis religioni tribuitur, qui Dei ipsius jussis paruerunt, in aliis idem sponte sua aggredientibus ineptum atque audax consilium existimatur: *Quid Deo jubente nisi pietas? Quid Deo non jubente nisi stultitia?* *August.*

His Sancti Gregorii verbis, ***Prædicatione continua***, valdopere nititur Auctor Tractatus. *Pag.337.*

Prædicationis vocabulo æquivocatio subest; neque enim eo sensu olim usurpabatur, quem hodie recipit. Omne genus exhortationum, instructionum, aut actionum publicarum hac voce denominari solebat; quæ nunc propria quodammodo est eorum Sermonum, qui publice ad populum habentur, & *Homiliæ* olim aut *Enarrationes* dicebantur: hujusmodi fuere Sancti Joannis Chrysostomi, S. Augustini, & S. Gregorii sermones, quos Prædicationum titulo nunquam indigitavit Antiquitas.

Illud denique certum est, Monachum S. Benedicti posse ad populum de Deo sermocinari, si legitima ad hoc vocatione ducatur; atque id a Sancti Patris exemplo unice consequitur. At si quis propterea prædicationis exercitium hanc regulam professis convenire, eosque ad rite hoc munus obeundum se comparare debere putet, ab illius consiliis, institutis, ac præceptis prorsus alienum se facit.

Silentii potius exemplo, solitudinis amore, modestia, atque mortificatione, ejus Discipuli documento Populis erunt, rerum mundanarum vanitatem illis hoc pacto prædicabunt, earumdem contemptum ingerent, quamque Ecclesiæ debent, ædificationem pietatis dabunt. Et sane quam exiguus in tam amplo tamque diffuso Sancti Benedicti Ordine Prædicatorum numerus fuit a longo jam tempore, saltem eorum, quorum celebre nomen extiterit! Non ne vel hinc elucet, quam parum hoc exercitium moribus institutisque nostri Ordinis conveniat?

Pag. 341. *Catechismi & Prædicationis exercitium usu inter Monachos receptum semper fuisse*, putat Tractatus Auctor, & *Sancti Pachomii* exemplum affert.

Factum S. Pachomii non minus singulare fuisse, quam conversionem ad Fidem Incolarum Montis-Cassini a Sancto Benedicto prædicatione & exhortatione peractam, alibi jam diximus. Singularia hæc a communi Regula excipienda: absurdum autem est inde legem aut commune quoddam exercitium conflare velle. Illud tantummodo ab his exemplis conficitur, Solitarium catechizare posse, si necessitas, aut Dei jussus urgeant; quemadmodum ille Episcopus esse potest, si ad hunc Ordinem atque ad hanc dignitatem vocetur. Non ideo tamen Monachis cum vitio providis esse licet, ad hoc ut scientiæ, quæ Episcopos decet, in antecessum acquirendæ studeant. Neque illi minus sibi illuderent, si in animum inducerent studium & operam in hoc collocare, ut idonei Missionarii, ac præstantes Concionatores fiant.

An quod S. Antonius de Monte descenderit, quod S. Julianus Abbas propriam solitudinem reliquerit, ut hostium Fidei Christianæ vim frangerent, quod Macarii idem gesserint; satis causæ aut juris habent Monachi, ad januas sui Monasterii sibi aperiendas, & efferendum inde pedem, ut Prædicationis munere fungantur? Id nemo audeat dicere, quin sibi cordatorum virorum censuram contrahat.

Sed Monachorum proprium esse in Solitudinibus suis latere, & negotiorum atque necessitatum Ecclesiæ curam Ecclesiasticis relinquere, egregie demonstratur ex iis, quæ magno illi Solitario S. Vit. Pat. Aphraati evenerunt. Cum Imperator eum obvium habuisset Civitatem versus euntem, ut sese adjungeret defensoribus veritatis, quæ tunc atrociter oppugnabatur, mirari se dixit, quod Solitarius cum esset in populi medio, & publicis congressionibus interesse auderet. Cui Sanctus vir, qui non minus prudentiæ quam zeli habebat, mirum hoc responsum dedit: „ Quemadmodum scilicet puella „ virgo in recessu domus abdita de suo egrederetur cubiculo, si „ Patris sui domo ignem immitti videret; ita mirari eum non „ debere, nec sibi improperare, quod solitudinis quietem, qua „ fruebatur, relinqueret, ut incendium, quod ipse Imperator in „ Domo Dei suscitaverat, restingueret; haud multa sanctarum „ Litterarum eruditione opus esse, ut innotescat, Deum verius „ multo nostrum esse Patrem, quam illos a quibus ortum duxi„ mus.

Duæ hinc res, Fratres mei, colligi atque animadverti possunt. Ac primo quidem ideo admirationi esse, Monachum quempiam extra Monasterium, aut procul a Cella conspicere, quod cum illud proprius mansionis illius locus sit, ibi detineri prorsus debeat, nec inde egredi, haud secus quam e suis sepulcris mortui. Deinde vero,

vero, quoties ille ad operam suam divinæ fidei negotio impendendam, sustinendamque Dei gloriam alio vocatur, primum solitudinis servandæ officium alteri huic officio, quod majoris est momenti, cedere debere: tunc vero illum per quandam resurrectionis speciem, quasi e tumulo mortuum, de suo Monasterio exire.

Monet Cassiodorus (inquit Tractatus Auctor) *ut magnopere curæ sit, in Monasteria frequenter advocare operarios laicos eidem Monasterio subditos, ut videlicet de bonis ibi exemplis proficiant, & salutaribus instructionibus, adhortationibusque ad pietatem erudiantur.* Pag. 343.

Non eadem erat Sancti Benedicti, atque Cassiodori sententia; iste quidem sermones in Monasterio haberi permittit ac jubet, & loquendi opportunitates subinde esse quærendas; ille vero omnem vitari in Monasterio sermonem, æternumque silentium custodiri præcipit. Haud tamen dubitandum est, quin verbi panem frangere, & domesticos, omnesque illos, in quos obtinemus auctoritatem, instituere peculiaris aliquando muneris nostri sit. Veruntamen hæc solicitudo intra Monasterii fines subsistere, nec extra proferri debet. Ne scilicet illam longius & ad remotiora loca, inque omnes illos, in quos aliquid jurisdictionis habetur, extendant, cavebunt diligenter quicunque norunt, quantum sæpe mali externa hæc commercia gignere soleant. Facile improborum consuetudine boni corrumpuntur; improbos vero societate bonorum meliores reddi raro contingit: Sæcularis auræ, quæ de se est contagiosa, proprium est plerosque inficere qui eam spirant; quive se ab illius malignitate custodiant, pauci profecto sunt.

Sancti Pachomii exemplum ad quæstionem non facit. Agimus hic de domesticis, sive de hominibus qui Monasterii negotia curant, & prædiis assistunt. Sanctus vero de illis tantummodo verba facit, qui ad Monachatum comparantur, ac jubet illos ad legendum Psalmos, atque Novum Testamentum compelli.

CAPUT XVIII.

Pagina 344. *Ad auspicandam* (inquit Auctor) *Noviciorum institutionem, opportuniores libri esse videntur: Scala S. Joannis Climaci, S. Augustini Confessiones, Rodriguezius novissimæ versionis, manuductio Peccatorum Ludovici Granatensis, Homo Spiritualis, & Homo Religiosus Patris S. Jure* &c.

NOS quidem, Fratres mei, circa libros, qui Monachis Noviciis hic proponuntur, quique duobus post Noviciatum annis usui adhuc illis futuri sunt, hoc judicium ferre possumus, ut eorum quidem alii aptissime illis ut Christianis atque ut Monachis convenire, alii vero Laicis & simplicibus Fidelibus accommodatiores quam Monachis esse videantur. Priorum classi accensemus eos, ex quibus notitias & regulas haurire poterunt, quibus instructi de sua Professione juxta veritatem sentient, nempe S. Augustini Confessiones, manuductionem Peccatorum Ludovici Granatensis, S. Joannem Climacum, Rodriguez, Hominem Religiosum, atque Hominem Spiritualem Patris S. Jure &c. Posteriorum serie ceteri continentur. Accedit tandem, quod nimis librorum numerus dissipationi obnoxios illos facile reddet, curiositatem fovebit, collectionis animi, & simplicitatis amorem neutiquam illis ingeret, qui statui ipsorum necessarius cæteroquin est, & a quo ipsorum quies atque sanctificatio pendent.

Pagina 347. *Junioribus vero Professis, præter supra recitatos Libros, quamplures alios suggerit* Tractatus Auctor, eorumque Catalogum exhibet.

Nova hæc librorum & Voluminum accessio, Juniorum, qui solemne Professionis votum emiserunt, animos dissipatos adhuc reddet, sicuti paulo ante de Noviciis monuimus. Qui fieri enim poterit, ut tanta Auctorum varietas eorum mentes perpetuo distractas a sanctis meditationibus neutiquam avocet, quibus jugiter occupati esse deberent? Non ne id perinde est, ac si illos omnino ineptos efficias ad ea cogitanda, agendaque, quæ ab ipsis Deus postulat? ab ipsis, inquam, quibus ita vivendum est, ut Deo soli serviant, postquam omnia deseruerunt eum secuturi, & publica solemnique protestatione ejus cultui sese manciparunt atque obstrinxerunt. Quis unquam credat, aliquam ex tam confusa lectione utilitatem eos posse percipere? Quæ hic legenda aut studio versanda illis exhibentur, satis superque sunt, ut integrum vitæ cursum, quantumlibet diuturnum valeant occupare.

Hæc

Hæc debet esse præcipua Monachum professum instituentis cura ac meta, in solida illum pietate confirmare, atque in vera omnium earum rerum abalienatione, quæ sanctitati morum, quam pollicitus est, nequaquam conveniunt, quæ perfectæ puritati adversantur; a qua puritate excludendum est quidquid illum Deo propius non admovet; Deum enim ille omni tempore spectare, in Deum continuis adspirationibus, totoque conatu erigi debet.

Haud multis opus erit Voluminibus, dummodo selectis & prudenter accomodatis utatur, tum ut notitias augeat, tum ut zelum pietatis accendat; at magnus ille librorum numerus oneri potius illi erit, ejus cursum retardabit, atque impediet, quominus prompto satis ac levi pede in via, cui se commisit, progrediatur.

Velim quoque (inquit Auctor) *Junioribus Professis unum aut duos Humaniorum Litterarum Auctores in manus dare, ne juvenilis fervor restinguatur prorsus, aut imminuatur, ita tamen ut illos non nisi certis horis legant.* Pag.347.

Cur soliciti erimus, Fratres mei, ut ea servemus, quæ forent extinguenda? Cur in eo Monacho adeo contrarios editis votis habitus perennare volumus? Quare notiones, quibus in omne tempus abrenunciare debuit, adhuc ille retinebit, aut excitabit? Quid? Humanarum ergo Litterarum studia necessaria illi fuerint, in quo vetus homo prorsus abjectus est, qui se a terrenis omnibus dimovit, quive jam ad cœlum tantummodo anhelare debet? Quem locum Ciceronis Epistolæ in sacro illo pectore obtinebunt? Quid illæ rerum & negotiorum varietates, quam continent, efficere poterunt, nisi ut sui status obliviscatur, & de sede, quam servare debet, cito dejiciatur.

Hos tamen libros ad Humanas Litteras pertinentes legent (pergit Auctor) *quando ad seria nullatenus erunt occupati.* Pag.348.

An pars aliqua temporis Monacho vacat, cujus vita actione aut meditatione continua distinetur? Sancti qui id potissimum ac maxime necessarium ad rectæ piæque mentis custodiam esse noverant, nullam intercapedinem, nullum vacuum tempus, nullam inutilitatem sivere in vita Monachorum; omnia illorum exercitia tam accurate ac distincte partiti sunt, ut nunquam hæsitabundi futuri essent, & quid quaque hora agendum, sit certe ac definite cognoscerent.

S. Benedictus, cujus accuratissima fuit in hoc negotio diligentia, vel minimas quasque circumstantias definivit; atque olim dies singuli manuali labore, Psalmodia, lectione duarum horarum, spa-

tio

tio refectioni atque orationi dicato dispertiebantur: omnes vero hi regulares actus sibi invicem ita succedebant, ut nullum temporis instans esset, quo Monachus magis occupatus quam alio quopiam instanti videretur, aut quo liberior aut major illi temporis vel sui ipsius potestas esset.

Id in omnibus Observantiis, ubi viget disciplina, servandum est; quod si ordo hujusmodi vel minimum perverteretur, jam ibi non esset vera Sodalitas communis atque unius instituti, sed quædam potius actionum atque inclinationum enormis diversitas, ubi velle cuique suum foret, ac ubi suæ quisque voluntati obsequeretur.

Pag. 348. Numerat Auctor in his libris *Epistolas Ciceronis ad Familiares*, *item Epistolas Sancti Hieronymi*, &c.

Quid hoc mutuæ rationis & societatis est? Quid habet S. Hieronymus cum Cicerone commune? Quid Epistolæ omnino Christianæ omnino piæ, & gravissimis veritatibus redundantes cum Epistolis hominis prophani? Quamvis enim morales aliquot sententiæ in illis occurrant, quæ suo Auctori existimationem peperere; si tamen juxta ponantur & comparentur cum præceptis & documentis nobis a Spiritu Sancto per os & manum Sanctorum traditis, exclamare cum Ps. 118. v. 85. Propheta licebit: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.*

Phædrus cum Paraphrasi Evangeliorum ab Erasmo concinnata, Orationes Sancti Joannis Chrysostomi cum Luciani Dialogis, nihilo magis apposite conjunguntur. Hunc Apostatam, Sancto illi Ecclesiæ Doctori, cujus scripta omnia fide, religione, pietate ac doctrina adeo referta sunt, quasi socium & parem nonnisi cum stomacho video.

Legendi proponuntur tantummodo *aliquot* illius *Dialogi selecti*; perinde ac si Lectorum aviditas aut curiositas intra præscriptos fines omnino se cohibitura sit. Fervida nimis atque actuosa cupiditas est, & de facili terminos qui sibi præfiniuntur transcendit: levissimus intuitus, notio vel imperfectissima cujuspiam turpis historiæ aut improbæ narrationis, mera locutio paulo licentior ac dissolutior, morum & Fidei puritatem de repente labefactare, ac lethaliter animum afficere possunt.

Pag. 348. *Juniores Professi* (inquit auctor) *elapso Professionis biennio, præceptorum grammaticorum repetitione egent; legere autem poterunt, pro libris quidem spiritualibus, Sanctum Basilium & Sanctum Gregorium Nazianzenum.*

Auctor Tractatus mihi videtur nimis esse solicitus de junioribus Mona-

Monachis in humanis cognitionibus erudiendis. Ciceronis & S. Hieronymi Epistolarum lectionem, Phædrum, & Luciani Dialogos paulo ante illis permisit, *ne* videlicet (ait) *juvenilis fervor elanguescat*; nunc vero ut grammaticæ rudimenta denuo repetant, Sancti Basilii & S. Gregorii Nazianzeni libros evolvere eos jubet. Præcipuam in hoc curam se impendere apertissime ostendit, ut ea Juniores doceantur, quæ nulli sunt ipsis utilitati. Quoniam vero non intelligimus, quidnam ad Grammaticæ notitiam conferre possunt Sanctorum Basilii & Gregorii Nazianzeni, & Domini Bartholomæi de Martyribus Vitæ, Perfectio Christiana Cardinalis Richeli, Patris Thomasini de Jejuniis, & de Festis Tractatus, Regia via sanctæ Crucis Haefteni, aliquot Drexelii tractatus, Characteres Passionum Domini de la Chambre, earundem Usus auctore Patre Senalto; affirmare possumus, Auctorem ideam & formam sibi propositam hic sequi, & ab incæpto neutiquam discedere, Solitarios videlicet omni lectionum genere exercitandi, & in manus ejus majorem quotidie librorum numerum tradendi; modo multa legant, modo assiduam studiis impendant operam, satis est; nec amplius ab illis exposcitur: de argumentorum & materiarum electione ac discretione minor est solicitudo: miscentur & confunduntur humana divinis, sacra prophanis; nempe illud quæritur, ut Monachus nihil ignoret, quasi in votis sit ut ad disputandum de omni scibili aptus reddatur. An propter hoc Dominus Jesus in Ecclesia sua Monachos instituerit, aliorum esto judicium.

Auctores ad Humanas Litteras pertinentes adijciuntur, Cicero de Oratore, ejus Orationes pro Milone & in Catilinam, secunda ex Philippicis, De officiis una cum versione Gallica novissima, Sallustius, Titus-Livius, Cæsar, Sulpitii Severi Historia &c. Pag. 345.

Id nihil scilicet esse videtur, quam ante a me dictorum confirmatio; si enim esset animus Monachum non litteratum, sed perfectum virum reddere, ordinatiores illi lectiones, sanctiores, ejusque instituto convenientiores indicarentur. Ne multa; si velis, ut Monachus is vere sit qui esse debet, ad ea legenda & cognoscenda deducendus non est, quæ omnibus illius officiis adeo sunt contraria, & quæ nimium efficere valent, ut omnem proprii status sensum & gustum amittat.

Quod si contingat quidem, ut Monachus harum lectionum suavitatem non sentiat, inane jam redditur legendi studium, ac temporis jacturam facit, quæ sarciri non potest, is, cujus singulæ horæ computantur, ut alibi diximus, & cujus nulla pars vel minima temporis est, quam ejus sanctificationi Deus non dicaverit, vel ad suam gloriam referri nolit. Si vero earum suavitate ducatur, si elegantia sermonis, locutionum puritate, sententiarum nexu, in-

venien-

veniendi copia, dicendi vi rapiatur; jam totus in illis erit, morosus ac difficilis in aliorum scriptorum lectione reddetur, quibus idem lepor atque eadem orationis venustas deerit! Qui fiet, ut Sancti Ephræmi Exhortationes deinceps illi arrideant, & stili earum rudem simplicitatem non fastidiat? Qui fiet ut Collationes Patrum Solitariorum palato ipsius sapiant? Sanctissimæ veritates insuaves ac nullius saporis ipsi videbuntur; quidquid specie, colore, urbanitate dictionis, quæ in prophanis eminent, destitutum erit, ipse ferre non poterit.

Quod Tacitum, Titum-Livium, Sallustium, & Cæsaris Commentarios spectat; quid est quod a Monacho damnosum sibi magis ac noxium legi possit? Quid! Sine vehementiori animi concitatione, atque ab omni affectuum tumultu liber, leget-ne ille Romani Imperii originem, vices, mutationes, progressus? Summam Regum potestatem in Rempublicam versam, Creationem Consulum, Tribunorum Plebis, Dictatorum? Constantiam Scævolæ, factiones & dissidia in recenti hac Dominatione conflata, & bella civilia, Cimbrorum ac Teutonum irruptionem, eorumdem cladem a Mario illatam, bellicam Marcelli virtutem, Fabii Maximi prudentiam ac firmitatem, bella Punica, audaciam Annibalis, ejusdem transitum alpium, & ad Trasymenum, ad Trebiam, ad Cannas victorias; adeo celerem, temerariam, ac felicem C. Neronis expeditionem, Asdrubalis cladem & interitum, Annibalis fugam, turpem in Aphricam reditum, cum Scipione colloquium? Denique Provincias a Cæsare bello partas, Reipublicæ occasum, summæ potestatis usurpationem, Pharsalicum Prælium, Pompeii infortunium, cladem, fugam, & necem? Interfectionem Cæsaris, promotionem Augusti, bellum adversus Brutum, & Cassium, duorum horum Romanæ libertatis Vindicum infaustum exitum? Marcum Antonium in navali ad Actium pugna victum, ejusdem fugam, ejusdem & Cleopatræ interitum? Hæc ego, Fratres mei, ante annos quinquaginta legi, & nunc invitus memoria teneo, quod pudet fateri.

Mirum dictu, Fratres mei, quam dissipatum, quam vario judiciorum & cogitationum tumultu distractum Solitarii animum reddet tota hæc eventuum series; sive magna illa facinora suspiciat, sive alienæ sorti quodammodo sese immisceat, & partibus studeat; seu denique in ipso, ea quæ probat, & quibus movetur imitandi cupido quædam exurgat! An putas, quoties Deum sibi in animum instituere voluerit, tot modo lecta virorum gesta illius menti non occursatura? neque interceptum iri earum rerum memoria omnes illius meditationes, omnes orationes, omnes denique pias lectiones, si quando his operam dederit? ita ut importuno illapsu assiduam quidem sanctarum rerum contemplationem, in qua vivere, Deique intuitum, a quo nunquam deflectere mentis oculos debet, impediant; in vanas autem & noxias cogitationes eum misere conjiciat.

jiciat. Quo nullus prorsus est miserabilior status, in quo Solitarius reperiri possit.

Nam simul ante oculos Deum habere desiit, atque eum e suo conspectu amittere non dubitat, jam neque in corde illum habet; & nisi in viam redire studeat, parum aberit, quin in veram incidat apostasiam magis lethalem ac periculosam, quam si Professionis, cujus solum nomen retinuit, habitum abjecisset; quo enim hæc discessio occulta magis est atque interna, eo minus ab ipso sentitur: sicque malum ipse quidem corde gerit, sed medicinam afferre negligit. De hoc morbi genere loquitur S. Bernardus ubi ait: *Si pudor neget apostasiam corporis; tepor ipse paulatim ingerit apostasiam cordis.* Serm. 1. in Psal. Qui habitat.

Illud omnino vobis, Fratres mei, in hanc rem dicam, mirari me, quod Gazæus, celebris ille Cassiani Explanator, Monachus S. Benedicti, magnæ vir eruditionis & doctrinæ, nullam esse culpam statuat in distractionibus involuntariis, quæ inter orandum Monachis superveniunt, occasione variæ ac multæ lectionis, & studii scientiarum. Nimium liber religione animus hujusmodi mihi videtur, adeoque parum Monacho conveniens: *Incommodum, sive impedimentum*, ait Gazæus, *quod subinde orantibus, aut meditantibus, ex Poetarum vel Historiarum lectione provenit, dum mens eorum recordatione distrahitur, multis aliis commodis & utilitatibus abunde compensatur: Nec tantam vim habent, ut orationis, vel meditationis fructum, nisi volentibus, & consentientibus nobis auferre, vel impedire queat.* Comment. in Coll. 14. c. 12.

Quam absonum & quam absurdum est, Fratres mei, eum Monachum, qui astat mente coram Deo, pro Domini Jesu Passione, de Cæsaris & Pompeii morte cogitare; non Hierosolyme desolationem, quæ Servatori nostro lacrymas pietatis expressit, versare animo, nec eam animabus diabolo propter criminum gravitatem addictis apte accomodare, sed Thebarum obsidionem, vel Trojæ direptionem mente agitare! Ergo ne hi prophani eventus, hæ commentitiæ historiæ suum illi Deum e conspectu auferent, & meditationum illius unicus scopus fient: ipse vero tam immanem distractionem exigui momenti incommodum reputabit? Id ego quidem percipere nullo modo possum.

Profecto ab hujusmodi sententia, Fratres mei, perquam alieni fuerunt Sancti Ecclesiæ Patres. „ Magnus Basilius hæc habet: Etenim „ si qui coram Principe aliquo stat, & ipsum alloquitur, magno cum „ metu stat, & cum corporis extrinsecus, tum mentis etiam intrin„ secus attentos oculos tenet, periculi metu: quanto tandem majore „ cum metu trepidationeque censendum est oportere nos stare in con„ spectu Dei, tota mente in illum unum intenta, neque usquam alio. Constit. Monast.

„ S. Macarius ajebat, ita distractionibus animos disiici ac dissipa„ ri, quemadmodum vestimenta in pulverem a vermibus rediguntur. Epist. ad Mon.

S. Augustinus cum stupore & admiratione ait: *Tolerat Deus tot corda deprecantium, & diversas res cogitantium, omitto dicere, & noxias,* In Psal. 85.

xias, omitto dicere aliquando perversas, & inimicas Deo; ipsas superfluas cogitare injuria est ejus, cum quo loqui cœperas.

S. Hieronymus de eadem re conquerens, exclamat: *Ad orationem assisto; non orarem, si non crederem; sed si vere crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem; manibus tunderem pectus; genas lacrymis rigarem; corpore inhorrescerem; ore pallerem; jacerem ad Domini mei pedes, eousque fletu perfunderem, crine tergerem; hærerem certe trunco Crucis, nec prius amitterem, quam misericordiam impetrarem. Nunc vero creberrime in oratione mea, aut porticus deambulo, aut de fœnore computo; aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero. Ubi est Fides? Siccine putamus oraſſe Jonam? sic tres pueros? sic Danielem inter leones? sic certe Latronem in cruce? Cæterum conveniat unusquisque cor suum, & in omni vita inveniet, quam rarum sit, fidelem animam inveniri, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat.*

Hieron. advers. Lucif.

„ S. Gregorius Nazianzenus dolens, quod cum in cœlum erigi mente vellet, naturali sua gravitate terræ nihilominus adhæreret, has ciet quærelas: Multis & variis cogitationibus in corde huc & illuc versor, quæ ab errabunda mente Dominum Jesum, Dei Verbum procul abiiciunt; neque enim patitur Sponsus animæ alienis affectibus abstractæ conjungi.

Carmin. 4. de anima sua calamitatibus.

Πολλὰ μὲν ἐν κραδίῃ μελεδήματα ἔνθα καὶ ἔνθα
Στρωφᾶται κενεὰ πλαζομένοιο νόου
Χριστὸν ἑκὰς βάλλοντα, θεὸν λόγον· οὐ δέχεται γάρ
Μίγνυσθαι ψυχῇ νυμφίος ἀλλοτρίῃ.

„ Neque aliter S. Benedictus quam qui illum antecesserunt opinatus est; ac propterea alicubi sic ait: Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate & reverentia; quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate, & puritatis devotione supplicandum est; & *non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus.*

Bened. Reg. c. 20.

Ex omnibus his, Fratres mei, fit omnino exploratum, non eam fuisse Sanctorum sententiam, ut has mentis evagationes & distractiones nihil revera esse putarent; sed eas graviora animæ incommoda existimasse, quæ omni conatu vitari oporteret: orationem vero, quam dispositio interna sanctitati & dignitati illius, cui exhibetur, conveniens non comitatur neque sustinet, ejus iram concitare posse in eos, qui sic audent deprecari.

Verum quidem est, non omnes distractiones, quæ quasi nebulæ inter Deum & deprecatorem mediæ extolluntur, ipsi ut culpas imputari; hunc attentionis defectum, hanc interceptionem intentæ cogitationis non semper pœnæ obnoxiam esse, quando scilicet non

est vo-

est voluntaria, & nobis invitis accidit. Aliquæ tamen sunt distractiones, quas Deus severe judicat, quæque in ejus oculis gratiam, quam aliqui putant, minime inveniunt.

Sed ut hæc materia satis perspicue vobis explicata reddatur; dicam, Fratres, non esse ambigendum, distractiones, quæ nobis invitis subnascuntur, quæ nos improviso occupant in eo statu, in quo sumus ex ordinatione divina, & in quibusdam actionibus, quibus nos Providentiæ nutus admovit, a Deo respici ceu nostræ imbecillitatis effectus, & nostræ fragilitatis germina, denique ut transitorias labes, quæ ejusdem misericordia dignæ sunt: *Ipse cognovit figmentum nostrum: Recordatus est quoniam pulvis sumus.* Ipse novit, quid agere valeamus; neque ignorat, scopuli immobilitatem non esse ab ea creatura expectandam, quæ in se ipsa arundinis flexibilitatem retinet. Illud certissime constat, lucidissimam & purissimam meditationem cum aliqua semper obscuritate conjungi; *Omnis speculatio nostra quadam caligine non caret.*

Ps. 102. v. 14.

De Imit. Christi l. 1. c. 3.

In animum Episcopi, dum circa proprii ministerii functiones operatur, utut illæ sacræ sint, distractiones obrepunt. Cum scilicet propter munerum diversitatem & multiplicitatem extra semetipsum quodammodo versari eum necesse sit, propterea ab interiori attentione sæpissime divellitur. Dolet ille atque ingemescit coram Deo de hac incostantia, cui nihil voluntarii cæteroquin inest; dubitamus, qualiscumque sit hæc culpa, eam in divino Judicio ipsa animi illius rectitudine deleri.

Missionarius, licet ardentissimo zelo flagret, cultum Jesu Christi fideliter retinendi, immo & amplificandi, eum tamen e suo conspectu sæpius amittit, vel tunc cum eum in animum sibi instituere nititur. Subeunt nimirum illius animum negotia, quæ peregit, & quibus interfuit; facta, quæ in Confessionibus audivit, sese illi importune offerunt; atque efficiunt, ut ejus oratio puritate quam vellet, careat. Hunc nihilominus judicat Deus in sua misericordia, atque ejus infirmitatis & impotentiæ miseretur.

Idem Monasticæ Sodalitatis Præposito prorsus usuvenit, siquidem qua par est solicitudine Fratrum suorum regimini incumbat, cogitationem facile convertit ad ea, quæ in singularum moribus & actibus observavit; hujus quidem infirmitas, illius vero tentatio, alterius disciplinæ neglectus, quidquid denique interius atque exterius peragitur in illis quorum solicitus esse debet, in oratione detento occurrunt, eum occupant, avocant, & distrahunt: At Deus, cui illius recta consilia innotescunt, cum eo districte quidem aut severe non agit. In Cellerario Monasterii, & in reliquis omnibus, qui externis & legitimis negotiis sibi demandatis occupari coguntur, res prorsus itidem se habet.

Sed secus existimandum est, Fratres mei, de illo Solitario, qui se studiis scientiarum tradidit; qui v. g. Tacitum, Svetonium, T. Livium,

vium, Q. Curtium Ciceronis orationes, Cæsaris commentarios legit; qui (nihil enim vetat longius progredi) magno se committit pelago Historiæ Ecclesiasticæ, Canonum, Conciliorum, Decretalium summorum Pontificum; dum scilicet ante Deum cupiens animo consistere, variis inde abducitur imaginibus rerum, quas lectione percurrit; alieno in tempore se illi offerunt, ita ut ipsius mens ab objecto, quod e suo conspectu abire nunquam sinere deberet, longius feratur, & collectionis atque interni silentii adeo necessarii loco, ipsius oratio nihil magis sit, quam continua distractionum catena.

Illud inter hunc Solitarium, atque eos de quibus modo loquuti sumus, interest; quod illi quidem in Dei ordine manent, & officiis tantummodo satisfaciunt, quæ Deus ipsis mandavit, & a quibus eximi non possunt. Hic vero econtra se iis rebus exercet, quarum sua nihil refert, & quæ a proprio alienæ sunt instituto; in hac vero exercitatione ex propria sententia, ad suimet ingenii libitum & voluntatem detinetur. Itaque puritatis defectus ejus orationi superveniens ipsi imputatur; hunc quippe defectum sibi ipse accersivit, ac ejusdem ipse causa est; adeo ut in suo principio defectus voluntarius dicendus sit.

Cum omnes porro lectiones quibus studet, a Regula ipsi neutiquam præcipiantur, cumque teneatur ex divino mandato, quod omnibus hominibus commune est, nec non ex ejusdem Regulæ decretis, Deo preces offerre sanctas & puras; tenetur item abdicare difficile & exquisitum illud lectionum genus, ac illa scientiarum studia, quæ impediunt quominus in eo statu, in quo ut Christianus & Monachus esse debet, ante Deum se sistat. Si quod itaque officium, si quæ exercitatio huic scopo adversantur, prorsus rejici debent quasi obices, quibus ab exequendis Dei mandatis prohibetur; adeo ut hujusmodi lectio ab illo quasi tentatio quædam habenda sit.

Quod si quis, hunc Monachum proprio Superiori quoad hoc obtemperare, dicat; continuò illi reponimus, Superiores subditis ea, quæ cum primaria ipsorum obligatione pugnant, præcipere non posse tuta conscientia; cujusmodi primaria obligatio hæc est, ut Deo preces offerantur puræ, juxta Regulæ verba alibi a nobis allata: *Quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate & puritatis devotione supplicandum est.* (Cap. 20.) Superiores, nisi Dei voluntas evidenter se prodat, nihil ei tale præcipere possunt. Necesse est ut in omnibus a propria Regula agendi rationem sumant, & in animum inducant, quod sibi auctoritatis est, adhibendum esse in promovenda ejusdem Regulæ accurata observatione: (Ibid.) *Et præcipue ut præsentem Regulam in omnibus conservet.* Id nimirum a S. Benedicto Monasterii Abbati præcipitur. Et sane hujus præcepti memoriam omnino illos aboluisse necesse est, ut tam crassum & tam visibile absurdum committere possint. Aperte illos monet Sanctus Pater, fore, ut Pastor ad regimen gregis sibi commissi ita parum attentus, ut quan-

quantum Paterfamilias utilitatis inde speraverat, reddere ei non possit, negligentiæ crimini, ac pœnæ subjiciatur: *Sciatque Abbas culpæ Pastoris incumbere, quicquid in ovibus Paterfamilias utilitatis minus potuerit invenire.* Reg. c. 2.

Quo tandem pacto Superiores hujusmodi, si qui sunt, hoc Regulæ monitum cum sua rectione component; seu potius, quomodo sibi de sua rectione satisfacient in die magni Adventus & Judicii Dei, tunc cum sibi ab illo exprobrari audient, ipsius consiliis & voluntati adversos fuisse, animas, quas illis tradiderat, perdendo, & quodammodo prohibendo, ne ad absolutam illam puritatem eveherentur, ad quam eas destinarat?

Alios adhuc libros iis adjicit, quos memoravimus nonnullas scilicet *Terentii Comœdias*, *Erasmi Colloquia*, *ut stili Epistolaris* (inquit Auctor) *usus exerceatur.* Pag. 349.

Si Doctores, aut Ecclesiasticos, & illud addam, si homines prophanos instituere propositum esset, iis profecto consilium hujusmodi conducere posset. At quid Monachus, silentio & recessui addictus, ad summam pietatem vocatus, præceptis, atque usu recte scribendi opus habet? Quodnam ille ex hac re compendium capiet? Quod si forte olim acciderit, ut ad scribendum aliquo officio compellatur, ecquis viri litterati exquisitam elegantiam ab eo requiret, aut illi quandam in Epistolis negligentiam exprobrabit? An illum ex tam futili ratione incommodis, quæ ex id genus lectionibus in eum redundare poterunt, objiciemus?

Verum etiamsi omnia hactenus allata argumenta, quibus ducti prophanorum libroru mstudium in Monacho improbavimus, nos deficerent; unum superest, ad quod respondere non ita pronum est. Quamlibet opinionem, in gravi & ad vitæ rationem pertinente materia, nisi Ecclesiæ traditione, & Patrum sententiis nitatur, omnino ut novam, suspectam, & periculosam habendam esse, certum est. Hæc porro in illorum sententiam plane concurrunt, qui librorum prophanorum lectioni Monachos operam dare volunt: quæ sane gravis est & maximi momenti materia; illud enim agitur, ut Solitarii ab eo statu dejiciantur, in quo illos collocare Deo placitum est, ut sacra quiete & tranquillitate, quibus in solitudine gaudent, & quibus nihil melius, aut potius habent, priventur; ut Ecclesia utilitate fraudetur, quam ex eorum orationibus perceptura est, qui ab hominum consortio, a sæcularibus curis, & ab omni re liberi, quæ Dei præsentiam auferre potest, se eidem Deo quasi pœnitentiæ & mortificationis victimas jugiter offerunt.

Patrum silentium quod spectat, Fratres mei, æque illud certum

ac constans esse perspicitur; nulla quippe ex Regulis ab ipsis compositis lectiones id genus uspiam permisit; immo nullus ex Sanctis Patribus, qui hanc exercitationem probaverit, aut Solitariis eam exhibere posse crediderit, repertus est.

De Regulis vix est cur dubitemus; illas enim legere sufficit, ut earum super hac re silentium arguamus; quemadmodum jam dictum est. Nec affirmare vereor, post S. Antonii Regulam, quæ omnium est prima, usque ad Constitutiones S. Francisci Salesii, nullam repertum iri, ex qua suspicari aliquis possit, tale aliquid circa Studia Institutoribus & compositoribus illarum visum fuisse: sed contra evidens est, eorum sententias huic opinioni penitus adversari.

Cetera omnia, quæ hoc Capite disseruntur, vix aliud efficere valent, quam ut Solitarii magis magisque studiis implicentur. Nihil eorum prætermittitur, quæ ipsorum eruditionem, ac doctrinam augeant, omnes illis aditus referantur, omnigenæ lectiones proponuntur, quæ ad hunc finem necessariæ videntur esse. Tam latus hic patet campus, ut si illuc se conjecerint, fieri non possit, ut a terra benedictionis, in qua Institutorum, ac Patrum suorum manu & labore quodammodo consiti fuere, non recedant, aut non, ut sic dicam, divellantur. Ac tantum abest, ut in earum animarum numero computentur, de quibus ait Propheta: *Tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo;* ut sint potius quasi arbores e pingui, vivido, ac ubere solo avulsæ, ut in arida & sicca loca traducantur, ubi nullum ferre fructum possunt, quod irriguo fonte nequaquam eluantur.

Ps.1.v.3.

CA-

CAPUT XIX.

Ubi Studiorum forma describitur, quæ Theologiæ cursu absoluto peragi possunt.

Monachos, inquit Auctor, *in tres Classes dispertiendos esse. Prima illorum est, qui in studio pietatis atque in asceticis exercitationibus detineri volunt: Altera eorum, qui mediocri sunt eruditione contenti: Tertia demum eos complectitur, qui ad majus quiddam contendunt, quique a Superioribus ad graviora studia, sive ad aliquem litterarium & publico profuturum laborem destinantur.* Pag.352.

HÆc in plures Classes Monachorum divisio, valde nova mihi esse videtur, atque hactenus fere inaudita. Nunquam Sanctis in mentem venit, ut tale inter eosdem Monachos discrimen ponerent. Sanctus quidem Benedictus de generibus & vita Monachorum loquens, eorum quatuor genera esse autumat: primum Cœnobitarum nuncupat, alterum Anachoretarum, tertium Sabaitarum, quartum vero genus sub Gyrovagorum nomine designat. In Prol. Reg.

Cassianus nonnisi duo genera agnoscit: Cœnobitas, & Anachoretas, quibus duo addit illorum, qui propter vitæ depravationem, & morum licentiam, Monachorum nomen haudquaquam merebantur. Coll. 18. c.4. & 7.

S. Hieronymus statum Monasticum inter illos dividit, qui in Monasteriis vitam agunt, atque illos, qui in Solitudinibus segregantur; alios denique, qui terni in cellulis suis morabantur: cui parem fere divisionem habet S. Joannes Climacus. Epist. ad Eustoch.

Profecto hæ Divisiones ab illa discrepant, de qua in hoc Capite fit sermo; & re quidem vera plures ex Monachis sunt, qui in frequentioribus Sodalitatibus una vivunt; ac plures quoque, qui in Eremis, aut in societate, quæ trium Monachorum numerum non excedit. Sed Monachos in eodem Monasterio, in eadem Professione distingui, ac tres eorum Classes confici, cujusmodi ab Auctore Tractatus exhibentur, nemo unquam hactenus animadvertit.

Hi quidem (ait) *in studio pietatis detinentur*, *alii vero mediocri sunt eruditione contenti*, *alii denique ad graviora scientiarum Studia destinantur*. Id perinde est, ac dissensionem illuc invehere, ubi nulla prorsus debet esse dissensio, & sanctam societatem funditus concutere. Tanta quippe, juxta Sanctorum sententiam, inter illos, ex quibus Monasticum Sodalitium conflatur, consensio & communitas esse debet, ut unum sint in rebus omnibus, in exercitiis, in laboribus, in actibus regularis disciplinæ; atque ita firme invicem colligentur, ut unum omnium cor sit, animus unus, voluntas una, Basil. Const. Monast. c. 18.

 idem

idem finis, eadem ſpes; ut omnes in eundem ſcopum collineent, aſſequendæ interioris puritatis, & ad perfectam cumulatamque pietatem ſeſe erigendi.

Caſſ. col. 1. c. 8. Id illi ſibi proponunt, huc tantummodo omnia illorum deſideria ſpectant, omnes actus; id unum præ oculis habent; hæc eſt, ad quam jugiter anhelant, felicitas; unanimi conſenſu, & ſancta quadam conſpiratione omnes illuc contendunt: Cujuſmodi parilitas, & conformitas, ſeu potius unitas perfecta Sanctos Eccleſiæ Patres, ac præſertim Sanctum Baſilium compulit ut dicerent, Monachos Ibid. Angelorum vivendi ritum æmulari, ita ut quod in cælis Angeli faciunt, ſolitariæ vitæ in terris formam referre, atque exprimere tantummodo poſſit.

Pag. 352. Omnibus in eadem Congregatione, ſive in eodem Monaſterio Fratribus (modo ibi Regulæ vigeat diligens obſervatio) una & eadem propoſita eſt meta, nimirum, ut ad Deum quam proxime fieri poteſt accedant, & ſanctitatem huic rei neceſſariam acquirant: omnes in univerſum, nemine excepto, ita comparati eſſe debent; atque in hunc dumtaxat finem jejuniis, vigiliis, laboribus, meditationibus, orationibus, ſanctis lectionibus exercentur; in hunc illos finem Deus demundi medio eduxit, ab hominum prophanorum commercio ſegregavit, totque illis præſidia contulit, tot adminicula, atque utilitates, quas homines curis ſæcularibus impliciti haudquaquam noverunt.

Quid vero, cum Auctor ait, *quoſdam quidem unice pietatem ſtudere, alios ad mediocrem eruditionem contendere, alios denique ad majus quiddam dirigi, & a ſuis Præpoſitis ad grandiora ſtudia deſignari:* quid aliud, inquam, ſequitur, niſi quod omnibus integrum ſit ad metam illis propoſitam non una, ac pari ratione reſpicere, quodque litterarum ſtudium ab officio maximi momenti & vere Monachorum proprio diſpenſandi ſufficiens cauſa videatur.

Primorum conditio, quæ poſtremum fere dignitatis locum apud Auctorem habet, multum ſane duabus reliquis præſtiterit; quoniam Deus unica illorum portio fuerit; unicum illorum exercitium, divinæ Legis, ac divinorum Librorum ſeria meditatio; nec alia quacunque re occupari velint, quæ inde illos abſtrahere poſſet. Deo illi in alta cordis quiete fruentur, dum reliqui propter lectionum multiplicitatem aſſiduo & turbato mentis motu huc illuc feruntur. Divinæ Scripturæ (quod innuit quoque Tractatus Auctor) ſenſus, ad Sanctitatem efficiendam appoſitos, nempe litteralem & moralem aſſequentur; veritatibus, quibus nutriuntur Sancti, animum imbuent, *Chronologicis & Criticis difficultatibus neutiquam immorantes, quæ nihil ad finem ipſis propoſitum* (ut cogitur Auctor fateri) *conferre poſſunt*, immo, ut rectius dicamus, quæ huic fini adverſantur; quoniam mentis attentionem intercipiunt, cordis puritatem perturbant, & obſcuritatem, ac tenebras gignunt, quæ objectum;

ctum, cui jugiter adhærere debent, ab illorum oculis subducunt.

Eorum porro vicem doleo, qui ad modicam eruditionem contendunt, de quibus Auctor secundo loco verba facit: nam hi, ut communem dumtaxat scientiam assequantur, infinitæ præstantiæ bonum sibi negant. Quid ex hoc, quod mediocre appellant, studio illis redibit? Quem inde fructum percipient? Quid illi proderunt, liber de Concordia &c. D. de Marca, scripta P. Morini, Compendium Spondani, Historia Domini Godeau, & Concilia Generalia P. Lupi? An illorum nomen hæc lectio majus reddet? an illorum existimationem augebit? an inde perfectiores aut sanctiores evadent? Oportebit magis eruditis ut cedant, & omnem laudem a se promeritam ab illis deleri patiantur: Annon levius hoc & modicum Studium, quod ut Deo aut hominibus placeant, efficere non potest, sponte abdicare satius esset; atque illius loco potissimo suæ Professionis officio satisfacere, nimirum omni conatu ad absolutam pietatem cumulatamque virtutem contendere?

Hoc studium, quod abdicandum ipsis esset, inutile ad hoc futurum ajo, ut Deo placere possint; nihilo enim utilius est, quam Chronologia & Critica circa Sacram Scripturam, quas vel ipse Tractatus Auctor pro scientiis habet, quæ ad eum finem nihil conferre possunt.

Rectius itaque ab illis ageretur, si in prima Classe subsisterent, neque se a Fratribus tam vana exercitatione distinguerent; sed eorum exemplo ad illa excolenda se redigerent, quæ scilicet eo spectant, ut ad virtutem & sublimem pietatem evehantur, qua re omnia Monachorum officia vere continentur. Pag. 352.

Sed omnium maxime miseranda conditio illorum est, qui in tertia classe censentur, quoniam a proprio statu quam longissime absunt. Scopus illorum præcipuus est, doctos fieri; omnes illuc suas cogitationes dirigunt; in studio litterarum toti sunt, omne in illud tempus, omnem solitudinem impendunt, ejus gratia disputant, colloquiuntur, invicem communicant: Magnarum scientiarum commentatio externas consuetudines, prophanorum commercia, crebras collocutiones exposcit. Ita omnis vita Solitarii ad consequendam eruditionem intenti, penitus est distracta, & ad exteriora occupata; omni ille fere tempore extra se ipsum agit, & nunquam, ut sic dixerim, Dei Spiritus eum invenit domi suæ.

Denique Solitarius hujusmodi, Fratres mei, regularis secessus, & silentii incapax est, orationis, jejuniorum, vigiliarum; assistentiæ ad Officium penitus oblitus; exemptionibus eget quoad omnia fere Regulæ Capita, atque ipsius conditio vix aliud est, quam perpetua officiorum Monasticorum immunitas. Hujus rei testes instituam eos, quibus notum est, qua indulgentia in Monasteriis cum Concionatoribus, cum Scriptoribus, cum Auctoribus, cum omnibus denique doctrina præstantibus agatur.

Sed velim maxime, Fratres, ut satisfieret absurdo illi, quod

mox innuam, quodque mihi gravius videtur. Si in aliquo Monasterio (quod facile est evenire) Litteratorum numerus major sit quam aliorum parum aut nihil in doctrina exercitatorum, atque ibi ex ordinario usu & constitutis moribus vivendi ratio transigatur (cum exemptiones, ut volunt, necessariæ sint, nec satis virium suppetat hominibus ad vacandum uno eodemque tempore regularibus observationibus, atque Studiis) sequitur, ut in tali Communitate sine disciplina vivendum sit, ut ibi cessent, exercitia, & regularia opera permittantur. Relaxatio obrepet in disciplinæ locum, cujus fervor vigere deberet; pietas exulabit, quæ disciplinæ vigorem sustinet, utpote cum exterioribus officiis connexa, & ab iis vicissim fulta: ita ut consentaneum veritati fuerit dicere, a scientia, & studiorum prosecutione hæc incommoda atque has relaxationes ortum habuisse.

Quod si Litteratorum numerus haudquaquam major sit quam cæterorum; aliud incommodum haud minus eo, quod modo declaravimus, periculosum suborietur. Nempe immunitates, quæ Monachis ad graviora studia intentis permittentur, perpetuo offendiculo illis futuræ sunt, qui regularitatis pondus soli portabunt. Adversus immunitatum largitores, & iisdem donatos murmurabunt. Remissa horum disciplina ipsis cupiditatem inseret eodem ritu vivendi, & se illis æquiparandi, sin minus quoad studia, saltem quoad exemptiones. Quapropter singularis agendi ratio eorum, qui studiis se tradidere, ipsis erit quasi petra scandali, & quasi laqueus, quem vix evitare licebit.

Hinc tædia, fastidia, diffidia, factiones, murmura, mutuus inter Fratres contemptus ortum habent. Hæc conditionum imparilitas Congregationibus regularibus vastitatem & exitium apportat. Cum enim Fratrum vulgus eos, qui sibi propter doctrinam antecellunt, ita comparatos putet, ut sibi dominari velint & supra se efferri, torvis oculis eos ut plurimum intuetur, & ægre ac cum fastidio sustinet: proinde mutua charitate & concordia sensim disruptis Dominus Jesus, qui pacis & unanimitatis Deus est, ab ipsis recedit, eosque sibimetipsis relinquit; quod perinde est ac si suis cupiditatibus, pravisque affectibus subjiciantur.

Sanctus Benedictus omnibus his incommodis & detrimentis in antecessum occurit, Fratres mei; sique ejus Regulam sedulo magis studio pensitaremus, si eam sincero mentis oculo spectaremus, & accuratius opere compleremus, omnes hasce difficultates facile vitaremus. Ipse palam edicit, ut *omnes magistram sequantur Regulam,*
Reg. c. 3. *neque ab ea temere devietur a quoquam*. Atque ut tam grave præceptum planius exequamur, eique universi satisfacere valeant, nihil constituit, quod fratrum unusquisque exercendi impos videatur. Non altiora studia, nec eximiam scientiam ipse a Fratribus postulat: & Prædecessorum suorum, quos pro Magistris habet, ritui & consuetudini plane consentiens, eas tantum lectiones injungit,

git, ex quibus haurire possint necessarias notitias atque idonea præsidia, quibus egent Fratres, ut suam sanctificationem cum successu operentur. Plane sciebat, in separatione animæ a corpore non accusatum iri Monachos, neque illis crimini in divino Judicio dandum esse, quod de Teologia non disseruerint, quod altissima Mysteria non investigaverint, sed de hoc maxime rationem Deo reddituros, an pœnitentiam egerint, an proprias culpas fleverint, quemadmodum olim ait sanctitate & doctrina illustris Abbas. Hoc sanctum Benedictum impulit, ut lectiones & cognitiones discipulorum suorum eo quo diximus modo terminaret, & ad libros divinæ Scripturæ, ad Vitas Sanctorum Monachorum, atque ad Patrum scripta redigeret. Quæ procul dubio satis superque essent, si qua par est moderatione hominum ingenia uterentur, si a veritate proprii instituti nullatenus discederent, nec sapientiores, doctiores, perspicaciores Majoribus suis atque Magistris esse vellent. S. Jo. Clim. grad. 7. art. 72.

Distributioni Monachorum in tres Classes, quartam (ut ideam Auctoris sequar) addere liceret, eorum videlicet, qui Studiis operam navant, sed non valde sunt ad studia propensi, quorum non exiguus est numerus. Hi ubi studiorum cursum Junioribus erudiendis præstitutum absolverunt, & communia disciplinæ officia resumere debent, nova quadam necessitate sibi videntur ad hæc officia compelli: cumque immunitatibus assueverint, diligens regularitatis observatio ipsis intolerabilis redditur, & quasi ferreum jugum eos premit, in tantum ut secundo Regulæ tirocinio propemodum indigere videantur, ut amissam consuetudinem revocent. Interea necesse prorsus est, ut oneri se submittant, atque his officiis vel inviti satisfaciant. Quid porro consequitur? Desidiose, negligenter, & cum fastidio iisdem satisfaciunt, & omnis eorum vivendi ratio nihil magis prefesert, quam tædii & inertiæ signa; Deus qui ea sola recipit sacrificia, quæ a corde procedunt, ac voluntaria sunt; eorum omnes actus quasi victimas a pollutis manibus oblatas rejicit.

Hæc sunt, Fratres, Studiorum confectanea, hujusmodi depravationem, atque hunc disciplinæ regularis defectum immodicus scientiarum amor progignit.

Pag. 355. ## CAPUT XX.

TOtum hoc Caput, Fratres mei, eorum quæ præcesserunt, quædam est sequela. Pergit Auctor magnarum scientiarum studia constabilire, & Solitarios in altum ducere, qui passis jam velis ire videntur, & litus post se in omne tempus deserere.

Quemadmodum fere usuvenit, hominem humili loco natum, postquam ad ampliorem sublimioremque fortunam evectus est, quod olim fuit oblivisci, ac recens incrementum solum agnoscere; ita Monachus, qui se merito scientiæ excellere sentit, qui doctrinæ nomine innumeris Fratribus rudibus ac indoctis se superiorem
Ep. 142. esse arbitratur, vilitatis, simplicitatis, atque, uti cum S. Bernardo loquar, abjectionis proprii status obliviscitur; & nihil aliud in se ipso videt, quam quod sibi existimationem & pretium conciliat. Quapropter ei obscura & ignota sunt propria officia, & quidquid vi suæ Professionis exequi debet, lippus pervidet. Cum enim alia, ac reipsa sit, sua illi professio videatur, jam nihil agit, quod officiis, quæ ab illa pendent, non adversetur, quodque a via, cui insistere omnino deberet, non recedat.

Ac sane quomodo ille vitam suam juxta humilitatis formam instituet, quæ conditionis ipsius potissima est ac summa virtus? Quomodo varios illos humilitatis gradus in usum deducet, quos S. Benedictus ceu totidem leges, ad quas componenda est tota vitæ ratio, præscripsit? Quomodo assequetur, ut contemptus & opprobria tacitus ferat, & inter injurias, quæ ab hominibus sibi irrogari poterunt, pacen servet? Quomodo assequetur, ut se inferiorem & viliorem omnibus credat; quod a Regula sibi imperatur? Quomodo iis, quibus Dei jussu subditus est, sine murmure & sine mora prorsus obediet? Cum ipse omnia præcepta atque instituta, quibus totum vitæ ordinem moderari & confirmare debet, amplius non agnoscat; cum illorum omnem sensum aboleverit; cum a se ipso totus pendeat, & omnium regularum imperium excusserit, quibus subjici deberet; cum denique in Sæcularium cætibus, collocutionibus, & tumultu sæpius præsens adsit, & more illorum laudem sectetur, quam ipsi ambire non licet.

Aliquos esse in Solitariorum numero studiis intentos non negamus, a quibus Deus avertit hæc mala; sed ii, ut alibi diximus, ab ipso Deo ad exercenda studia vocantur, non a semitipsis: exiguus autem talium numerus magis est, quam quisquam putet.

Agno-

Agnoscit Auctor, *Studia, quorum materiam & præsidia hactenus exhibuit, adeo esse ampla ac sublimia, ut hujus Capitis Lectores deterreri possint, & præ librorum atque Auctorum multitudine animum despondere.*

Metus hujusmodi, Fratres mei, magnis profecto rationibus innititur. Audax enim adeo est hoc incæptum, & viribus ac statu Monachorum majus, quorum omnis vita in exercitationibus atque actibus regularibus versari debet, ut illius aggrediendi capaces quosdam invenire difficillimum sit. Quamobrem tam latam & difficilem studiorum ideam subticere satius fuisset, quam eam ostentare, & prolixe ac per partes explicare, quemadmodum ab Auctore factum est.

Verum enim vero sicuti aliqui ab hoc incæpto deterrebuntur, qui scilicet illud conficere se non posse existimabunt, ita alii rem aggredi optabunt, ac proinde officiis suis opposita consilia animo revolvent, a simplicitate, in qua vivendum ipsis esset, longe aberunt, soliciti & inquieti nimis, inanes acquirendæ scientiæ cogitationes versabunt; ita ut brevi consuetudines, & exercitia humilitatis, quibus sua illos Professio admovet, contemptui habeant, & propemodum aversentur.

Arduum esse quod hic proponitur exequi, atque iis tantummodo convenire, qui peculiari a Deo vocatione ad illud diriguntur, non dissimulat Tractatus Auctor; atque addit, si Monachus sibi soli relictus oneri non sufficiat, *quinque aut sex illorum deligendos esse, qui dextras conferant, & mutuo sibi auxilientur in hujus operis executione.* At si peculiari superna designatione opus est (de quo nemo dubitat) quomodo certum atque exploratum quis habere poterit, inventum iri homines, quos Deus ad id muneris vocet? Illud facile continget (nolent enim Operariis carere, quos sibi quovis pretio comparabunt) ut sibi multi Missionem hanc levi nimis judicio arrogent, ut congregentur, ut societates ineant, nulla Dei voce præeunte, nec religioni denique fuerit solitudinis & silentii obligationi se eximere.

Monachorum Congregationis Sancti Vitoni exemplum profertur. Apage hoc exemplum, Fratres mei! An e memoria excidit, Conventus illos, sive potius Academias, quas ante aliquot annos instituerunt, eum habuisse exitum, qui ab erigendis hujusmodi Academiis Monachos posthac retrahere debeat. * Nihil hic particulatim recensebo, quod nolim quempiam offendere. Verbo, Fratres, ipsis rerum argumentis patuit, ad immanem & perpetuam perturbationem in Monasteria invehendam, atque inde omnem disciplinam exterminandam, satis esse hujusmodi studiorum commercia instituere.

* *Jam inde a primo fundationis anno hos Conventus solvere coacti sunt ut perniciosos effectus averterent, qui inde consequi potuissent.*

Denique in tota hujus Capitis serie & decursu summa Auctoris eruditio fit conspicua, & passim arguitur latissima, qua præditus est, bonorum librorum notitia. Quod si ea, quæ ad Monachos di-

rexit,

rexit, ad solos Ecclesiasticos fuissent accommodata, atque ad eos, qui ad regimen & instructionem populorum assumuntur, nihil toto Opere contineretur, quod sui Auctoris nomine foret indignum.

CAPUT XXI.

De Lectionibus, quæ Superiores potissimum decent.

A Nullo rectius discere possumus, quæ futuræ sint Lectiones Superioribus Monasteriorum convenientes, quam a S. Benedicto, ab Institutore videlicet, & Magistro; & nullum esse dubium potest, quin ejus fuerit consilium, ut ipsius Discipuli iis Lectionibus studeant, quibus & ipse studuit, nempe quas in sua ille Regula præscribit: sunt autem hujusmodi: Sacra Scriptura Veteris & Novi Testamenti, Opera Sanctorum Patrum, quæ ejus intelligentiam planiorem reddunt, Veterum Solitariorum Collationes, Instituta, Vitæ; Ascetica S. Basilii, aliaque his similia. Eum enim docere, quæ ipsemet in more atque usu habuit, evidens est, juxta illa Lib. 2. Dial. c. 38. D. Gregorii verba: *Sanctus vir nullo modo potuit aliter docere quam vixit*. Quæ ipse fecerat edixit; suorum vero discipulorum perfectio tam illi curæ fuit, ut aliqua ex iis, quæ ad perfectionem conferunt, illum prætermisisse, neutiquam putandum sit.

Huc rediguntur, Fratres mei, sancti hujus viri studia; his occupatus necessariam quanlibet notitiam adeptus est; ex sanctis illis doctrinam hausit, & eorum frequenti profundaque meditatione meruit ut Deus eam cordi ipsius altius inscribere delectaretur. Ejusdem Dei Spiritu, quo plenus erat, ad ea tantummodo cognoscenda deducebatur, quæ sibi erant necessaria, & ne supervacaneis, vitæque, cujus formam ab illo in Ecclesia sua institui volebat, alienis, Luc. 10. v. 42. cognitionibus studeret, prohibebatur. Verba ista Domini Jesu: *Porro unum est necessarium*, magis illi præ oculis erant, quam ut omnino Pag. 376. ad litteram eadem observare noluerit, aut vana illa studia sectatus fuerit, quæ illi nunc amant, quibus ejus pietas, religio & sapientia desunt. Hæc Auctoris Tractatus verbis consonant, ubi ait: *Sacræ Scripturæ & S. P. N. Benedicti Regulæ lectione omnia Pastoris & Superioris officia compendiario continentur: nullaque est utriusque particula, ex qua ab attento & prudenti Superiore optima & egregia instituta seipsos regendi, acresque stimuli ad propria erga subditos officia solicite exequenda, peti non possint*.

Si hic substitisset Auctor, periculosissimæ tentationis materiam Monachis subtraxisset, quæ ab amore & cupiditate scientiarum oritur. Sed circa Lectiones denique, quibus Religiosus, cui regendarum animarum cura commissa est, indigere potest, duo illa hic dicere

dicere habeo. Unum est, haud valde frequens ipsius Monasterium videri posse, si prolixis & multis lectionibus dandi operam tempus illi suppetat. Nam si in omnibus regularibus exercitiis una cum Fratribus presens adesse, prout par est, non omittit; si illos, quatenus debet, alloquitur cum publicis, tum privatis admonitionibus; si se totum illis tradit, & nunquam illis aures præbere paratus non est, quoties ad eum accedunt corde aperto solicitudines suas, tentationes, anxietates & dubia proponentes; si præterea totius Monasterii moderamini invigilet, ita ut nihil ipsius aspectum vel attentionem fugiat: brevissimi sane illi erunt singuli dies, vixque supererunt exigua momenta, quæ lectione impendat.

Alterum est, fore, ut si sacris Scripturæ libris studuerit, si in meditatione Verbi Dei summam officii sui collocaverit, si Sanctorum quorum meminimus Opera legerit; hisque adjecerit ea S. Bernardi, S. Augustini, S. Ephræm, Pastorale S. Gregorii, pro otii ac temporis modulo ab aliis exercitationibus sibi concessi; fore, inquam, ut suffectura legat; nec ab illo amplius requiri fas est.

Postremo illud Superiori satis esse mihi videtur, quod nimirum nihil eorum quæ muneris sui sunt ignoret; quod quam late pateant officia sua, quantumque illis dignitatis insit, probe intelligat; quod disciplinæ zelo, atque erga Fratres opportuna ac congrua charitate non careat; quod omnes notitias, quas sibi Lectione, Oratione, & meditatione comparavit, de corde promat, ut opem eis & auxilium in tempore afferat, eosque erudiat, atque ita paratos reddat, quatenus officiis, ad quæ ex instituto compelluntur, rite satisfacere valeant. Nimium vero sæpe contingit, ut extraneæ atque alienæ scientiæ, earum videlicet rerum, quæ scire nequaquam tenetur, eum avocent & distineant, quæsitaque ex illis delectatio in causa sit, cur Fratres suos solicitudine fraudet, quam denegare illis non potest, haud secus quam panem alendis corporibus, conservandæque vitæ omnino necessarium.

Pro certa atque constanti præceptione ac regula ponitur, *satius esse doctum habere præpositum cum mediocri virtute, quam doctrinæ expertem & maxime pium.* Pag. 373.

Certissima est hæc Regula, Fratres mei, si verbis illis, *doctrinæ expertem*, innuere velit, hunc Superiorem ea, quæ ad institutum suum, ad officia & munera sua spectant, nescire. Verum si eatenus doctrinæ expers dicatur, quatenus iis cognitionibus caret, quas extraneas atque alienas ab ejus Professione esse diximus; profecto Superior magis pius, eaque præditus scientia, quæ ipsi conveniens est, docto Superiori & minus pio valde præstat: Utilior enim illius opera fratribus futura est, quoniam dictis facta conjunget; & nihil porro ingerendo rectitudinis amori, excitandisque

disque Fratribus ad rectorum actuum consuetudinem, opportunius ac fortius est, juxta S. Bernardi monitum, quam exemplum ad Ep. 201. instructionem accedens: *Sermo vivus & efficax exemplum est operis.*

Illud apprime omnibus persuasum esse debet, Superiorem modice pium ad altiora perfectionis discipulos suos nunquam evecturum, sed illos sub ipsius regimine in rebus spiritualibus languidiores futuros, nec ad ea facienda, quæ ipse non facit, illos excitatum iri; Quod si cum modica virtute magnam doctrinam copulet, hæc doctrina facile Fratrum oculis illudet, ne remissionem disciplinæ advertant, sed potius ut nihil ei exprobrare habeant, quamvis licentius egerit.



RES-

RESPONSIO
AD TRACTATUM
DE STUDIIS MONASTICIS.

PARS TERTIA
CAPUT PRIMUM.

Innuit Auctor, *duplicem scopum præcipuum Studiorum Monasticorum esse veritatis agnitionem, & charitatem, sive Justitiæ amorem.* Pag. 384.



Mnes, qui adhærere Deo profitentur, unum eundemque finem sibi proponunt, unam ante oculos metam constituunt, nimirum ut illi placeant. Non omnes tamen propositum assequuntur, idque propterea fit, quod ab aliquibus viæ illæ non ineantur, quas ingressis consequi optata liceret: de his vero illud dicendum est, quod de hominibus in universum ait D. Augustinus: *Omnis homo requiem quærit, bonam rem quærit, sed non in regione sua illam quærit.* *August. in Ps. 48.*

Nihil impedit, quominus ista ad Monachos in magna Studia se conjicientes referamus: Æquissimum est quod intendunt, si Deo placere quærunt cognitione veritatis, & amore Justitiæ: at media & instrumenta, quibus utuntur, illis exhibere, quæ cupiunt, nullatenus possunt; cum enim ad finem propositum per illa venire se putent, ab eo verius discedunt. Rem ita se habere certissime arguitur ex iis omnibus, quæ circa graviora amplioraque Studia Monachis ab Auctore proposita a nobis dicta sunt. Quoniam etenim Deus ipsos ad penitiores has scientias non vocavit, eæque ab ipsorum instituto aberrant, nec respondent menti Sanctorum, quorum Regulas amplexi sunt: recte dixerimus eos in Dei ordine haudquaquam manere, viam currere in qua omnino deerrare coguntur; tantumque abesse ut veritatis & charitatis semitam ingressi sint, ut verius eam deseruerint, ab eaque sese retraxerint.

Verbo:

Verbo: Dei voluntas, quod alias ostendimus, non fuit, ut Monachi a prima origine Studiis se traderent: cum pietas autem in Claustris defecit, cum magna ex parte extincta est, Ecclesia quæ aliqua edidit decreta ut Monachos ad studia excolenda compelleret, haud tamen illis præcepit, ut tam profundæ, tam latæ, & multiplicis scientiæ studio operam darent. Affirmarique potest, si fuissent iis scientiis contenti, quas nos innuimus, Divinarum videlicet Scripturarum intelligentia, & Sanctorum Patrum lectione, opus vero Manuale nequaquam abrogassent, tam enixe videlicet ab omnibus Monachorum Regulis, totaque Monastica Traditione commendatum; ad exequenda Ecclesiæ circa ipsos decreta satis multumque præstituros fuisse. Quin & Institutorum depravata disciplina facile ita refloruisset, hodieque subsisteret, priscumque vigorem præseferret totus Monasticus Ordo. Id ex Concilio Tridentino disci potest, a quo Studia Monachorum divinæ Scripturæ intelligentia concluduntur: *In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio Sacræ Scripturæ habeatur.*

Sess. 5. c. 1. de reform.

Prostat Edictum Caroli IX. Galliarum Regis pro reformatione Monasticarum Sodalitatum, quæ in Regno constitutæ sunt; in quo decernitur, ut Abbas seu Prior aliquem apud se retineat bonarum & sanctarum litterarum doctorem, quique Religiosos Novicios Monastica disciplina imbuat. Ut suæ sententiæ patrocinaretur, hanc auctoritatem adhibuit Tractatus Auctor, licet illi potius contraria sit, cum nihil aliud hæc Autographi verba, *les bonnes & saintes Lettres*, significare possint, quam Studia ad pietatem, hoc est divinæ Scripturæ & Sanctorum Patrum: qui sensus aperte colligitur ac definitur ex iis quæ sequuntur: *Former les Novices en discipline Monastique:* Religiosos Novicios Monastica disciplina imbuere. Ista prorsus nostræ sententiæ consonant; idem nos semper existimavimus, Monachorum videlicet hanc esse obligationem præcipuam, Sacris Litteris operam dare.

Pag. 385. *Satis profecto non est* (inquit Auctor) *hactenus ostendisse, Studiorum cultum Monachis plane congruere, easque scientias indicasse quibus licite possunt operam dare; sed insuper studendi modum tradere ipsis oportet.*

Æquius & magis ad rem dixerimus, Fratres mei, satis non esse veritates cognoscere, nisi eas ad praxim revocare, & operibus referre omni conatu studeamus. Multa scire, ubi nihil agitur, prorsus inutile est; omnes speculationes vix quidquam prosunt, nisi ad actiones redigantur: Hæ vero actiones in nostra potestate non sunt; posse hoc in nobis operatur Deus gratia sua: gratia nisi oratione non impetratur: oratio inefficax est, & quæ audiatur indi-

indigna, nisi fervens sit & pura. Quamobrem affirmare possumus, quas Monachi preces offerunt Deo, quoties fervore & puritate carent, usque ad ejus Thronum neutiquam ascendere, ac tantum abesse ut exaudiantur, ut potius de earum numero censeri debeant, quæ deprecatores reos constituunt, juxta Prophetæ verba: *Oratio ejus fiat in peccatum.* *Ps. 108. v. 8.*

Quæ cum ita se habeant, Fratres mei; quomodo Solitarii: qui ad hæc Studia incumbunt, qui multas variasque notitias in hoc Tractatu propositas assequi laborant, in animum inducere poterunt, fore, ut cum veritatis & charitatis cognitione, duas hasce virtutes in usum deducendi gratiam obtineant; quandoquidem ipsorum Orationes ex quadam necessitate distractionibus, aberrationibus, & dissipationibus vacuæ non sunt; ex quo fit ut nullius apud Deum sint pretii, nullius meriti, nullius gratiæ.

Cum enim hæ distractiones a non legitima exercitatione ortum habeant; dubitandum non est, quin Deus illas judicet, & condemnet. Monachi, qui studiis occupantur, & sic rem alienam quodammodo sibi adscifcunt, simplicitate & innocentia illorum carent, qui Dei ordinationi obtemperant, qui ipsius Dei præsentiam & cogitationem in Orationibus suis ideo tantum amittunt, si quando amittunt, quod in mortali carne vivant: proinde non eadem qua cum istis, benignitate & gratia acturus est cum illis Deus. Ne multa: omnes methodi frustra concinnantur atque exhibentur, nec ullam utilitatem afferre possunt, nisi illas Oratio fulciat & moderetur; summa vero hæc est, Monachos in eo collocare statu, in quo esse debent, ut Deum exorent: de qua re nemo cogitat.

Plurima didicisse nihil nobis proderit (inquit Auctor) *nisi ad meliorem frugem fuerimus inde redacti.* *Pag. 385.*

Istud quidem certissime verum est. Quibus tamen id est persuasum, his ita caute & prudenter agendum esse mihi videtur, ut illo vero recte utantur. Complanandæ sunt viæ; quidquid offensionem & lapsum inducere potest inde removendum; causæ distractionum eliminandæ; nec opprimenda quodammodo sunt ingenia iis scientiis, quæ homines de statione dimovent, in qua illos manere vult Deus; quæve illos attentione mentis, collectione, omnibusque internis dispositionibus sui instituti propriis facile privant.

Cogni-

Ibid. Cognitionibus, quæ nihil nobis prosunt, nisi meliores inde reddamur, annumerantur *rerum sanctarum scientia*, *Divinæ Scripturæ*, *Theologiæ*, *reconditarum in divinas Scripturas Quæstionum notitia*; *Genealogiæ*, *Capita ad Historiam pertinentia*, *Chronologia* &c.

Monachos omnibus his scientiis & notitiis acquirendis insudare, atque inde meliores evadere, impossibile ferme est; contra, si illos demas, quos Deus a via ordinaria segregare potest, rem esse periculosissimam a nobis demonstratum est, Monachos Studiis id genus exercitare; quoniam hujusmodi exercitationes novum quiddam sunt atque absurdum in Monastica disciplina, & directo pugnant cum perfectione ac puritate, ad quam per omnes actus, vitæque rationes eos tendere jubet Deus: Et in hoc erratur maxime, quod illis Critices studio, & prophanorum Auctorum lectioni incumbendi facultatem quis præbeat, ac simul velit eorum pietatem & Religionem augmentum capere, & inter tot obices in propriæ salutis via progredi.

Hujus progressus utilitas a simplicioribus studiis pendet, quæ scilicet accuratius respondent sanctitati status ipsorum, & veterum Patrum atque Institutorum consiliis, immo & ipsius Ecclesiæ menti, ut patet ex Concilio Tridentino, a quo studia Monachorum Sess. 5. c. 1. de Reform. divinæ Scripturæ intelligentia definiuntur, ut paulo superius animadvertimus.

Pag. 386. *Passim evenire*, ait Tractatus Auctor, *ut qui in Sacris Litteris plane versati esse videntur; reipsa illarum quam maxime sint expertes; alii vero, quos rudes & indoctos credimus, illas egregie calleant, eo quod ad spiritualem profectum iisdem uti sciant.*

Cum id usquequaque verum ac certum ab omnibus habeatur; quid est cur Monachos tot variis lectionibus implicemus, quæ illud denique efficiunt, ut mens perpetuo alio divertat, & Scripturas intelligendi gratiam curiosi lectores amittant? Cur illorum intellectum hac cognitionum multiplicitate complemus, & omne ejus lumen obruimus? Meminisse oporteret egregium illud monitum S. Augustini, qui in Epistola 2. ad Volusianum hæc habet: Aug. 2. Epist. ad Volus. *Tanta est Christianarum profunditas Litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: in quibus tanta latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: cum Consummaverit homo, tunc incipit.*

Cum itaque Scriptura inexhausta bona, & immensas divitias Eccli. 18. complectatur; cum diuturnissimæ vitæ cursui occupando, & avidissi-

dissimis animis explendis sufficiat; quare studium Monachorum tam sancta atque utili lectione non terminamus, addentes scripta Patrum, quæ ad illius intelligentiam conferre possunt?

Omnem curam & solicitudinem adhibendam esse, ait Tractatus Auctor, *ut Studiorum adminiculo ad charitatis scientiam perveniamus*. Pag. 386.

Si huic præceptioni adhærere volumus, Fratres mei, & si Monachorum scientia ad hanc amussim aptanda est; jam illis interdicendæ sunt omnes illæ, quæ distractioni, acediæ, curiositati, atque elationi eos obnoxios reddere possunt; ea sola ut contenti sint, qua cor intime afficitur, excitatur, incenditur, & quæ in corde gignit tantummodo desideria parendi Regulæ præceptis, quorum observatio omnibus rebus anteponenda est. Hæc est brevissima, rectissima, ac tutissima via ad obtinendam charitatem, quæ summa est atque perfectio Legis.

Huic denique studio reliqua omnia studia cedere oportet, quoniam pluribus incommodis ista subsunt, at si illi operam demus, a recto tramite aberrare non possumus. Jure merito ait Tractatus Auctor: „ Si qui unquam scientias ad charitatem, justitiæque a-„ morem dirigere tenentur, Monachos præsertim esse, qui cunctis „ miserabiliores essent hominibus, nisi Studia, quibus insudant, in charitatem velut in scopum intenderent, eoque perducerent. At non possum quin animadvertam, Fratres mei, eum facem quam præfert minime sequi, sed a suamet sententia discedere, dum Solitarios in illud scopulosum & naufragum scientiarum pelagus deducit.

CAPUT II.

Quænam acquisitioni veritatis & charitatis præcipue adversentur.

Pag. 388. Affertur in medium Ciceronis auctoritas, qui *duos innuit scopulos a veritatis indagatoribus apprime vitandos : Unum, ne incognita pro cognitis habeamus; alterum est, quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias.*

Hac auctoritate haud profecto valde opus erat, Fratres, in ea de qua agimus materia, quæ omnino ad Sanctorum sententias est exigenda : Quod ut paucis absolvamus, obices acquirendæ veritati & charitati adversos cognoscendi modus eo spectat, ut sciamus, quomodo ad legendas divinas Scripturas paratus esse animus debeat, ut quam inde jure expectare potest utilitatem ducat. Omnino quippe certum est, aliud nihil hos obices esse, quam vitia necessariis ad hujus lectionis profectum dispositionibus apposita. Hæ dispositiones, ut Sanctis quidem est visum, sunt humilitas, cordis puritas, & rectus atque optimus animus.

Humilitas, sive simplicitas in hoc sita est, quod quis non sibi fidat, neque suæ perspicaciæ suoque ingenio aut doctrinæ multum tribuat, sed unice a Deo verbi ipsius intelligentiam expectet.

Cordis puritas expellit quidquid sanctitati spiritus, a quo divinæ illæ veritates dictatæ fuerunt, contrarium esse potest; nec finit aliquid in Domo Dei remanere quod ejus suprema Majestate indignum sit.

Rectus & optimus animus facit, ut Verba Dei legens, ignem ibi fervoris & lumen claritatis tantummodo quærat, quæ necessaria sunt ut veritates a Deo sibi propositas percipiat, & in illis prompte ac tuto ambulet; sed ut omnium maxime Domini Jesu Christi gloriam, & Nominis ejus laudem & cultum intendat.

Quapropter primum offendiculum, & primus obex est superbia, vanitas, & præsumptio, cum illud quis sibi sumit, ut vi proprii intellectus scientiam earum rerum investiget & assequatur, quæ comparari nequit, nisi eam Deus tradiderit.

Secundus obex est depravatio atque inordinatio ab affectibus, & spiritualibus sive corporeis cupiditatibus orta, quæ cor inquinant, & ineptum atque indignum reddunt illapsu luminis, sine quo sensum Dei capere, ejusque documenta & mysteria intelligere, quamvis omnem conatum adhibeat, non potest.

Tertius obex est maligna voluntas, qua quis in Sacrorum Librorum lectione ad aliud sibi proponendum fertur, quam Dei gloriam; sive delectationis causa, atque ut sibi soli volupe faciat, huic lectioni

ni operam dederit; sive quodam Censoris ingenio, vel desiderio aliis præstandi, & acquirendi inter homines docti eruditique viri nomen atque existimationem. In harum qualibet Scripturas legendi ratione pravum aliquid inest; cumque sic non nisi propria utilitas quæratur, cum nihil aliud præter semetipsum ante oculos obversetur, & studii lectionisque occasio in sui delectatione firmetur; æquissimum est, ut huic prophanationi pœnas Deus irroget, excæcans eum qui hoc se crimine obstringit, & suis illum tenebris relinquens. Ita fit, ut Monachus qui rem adeo sanctam tam indignis modis tractare audet, quidvis aliud, quam quod expetierat, inveniat, errorem nimirum pro veritate, & a Deo, cui adhærere debebat, propter audaciam divellatur.

Omne quod suppetit nobis tempus (inquit Auctor) *officiorum Monasticorum executione & studio nequaquam occupatur; ac proinde identidem ad scientiarum studia reverti possumus.* Pag. 388.

Nihil est hac sententia magis adversum ei disciplinæ quæ in Sodalitiis Monachorum recte constitutis servari debet. Omnia ibi ita sunt ordinanda, ut nulla temporis vel minima pars supersit ab opere certo vacua, propriæque exercitationis expers. Actus regulares invicem se excipiunt, & alius alium ita premit atque urget, ut cuncta ibi sint plena. Illud in primis Sancti Institutores studuere, ut otiosa quævis momenta eliminarent, & ne vel minimo temporis intervallo ab agendo cessaretur. Noverant videlicet, pietatis rectique ordinis in Domibus Dei servitio dicatis perfectionem a solicito studio pendere, quod Fratribus in officio continendis, & per continuas exercitationes sustinendis collocatur.

Hinc est quod S. Benedictus, eos qui præcesserant imitatus, dies singulos serie quadam & diversitate operum regularium dispertivit, atque occupavit. Cujus rei perspicua argumenta suppetunt ex Regulæ sola lectione, in qua temporis accurata distributio testatur, dies ex Officio, ex cantu Ecclesiastico, ex labore manuum, ex refectionibus, ex bihorio denique lectionis fuisse compositos, quemadmodum Tractatus Auctor non diffitetur.

Ita nullum ab officio tempus vacabat, omnia Monasticis pensis plena erant; iique ad studia alterni reditus locum invenire non poterant, nisi ab imperatis actibus exemptiones darentur, aliique in eorum vicem surrogarentur, quod facere nunquam licet in iis locis, in quibus Religio & disciplina vigent.

Reponet aliquis, hic a me dicta cum hodierno usu pugnare; fateor: sed usus hujusmodi pro vera depravatione habendus est, & pro more contra Regulæ constitutiones inolito. Subducta fuerunt necessaria exercitia, in quibus Opus Manuale; hinc factum, ut Monachi parum occupati lectiones appetant, & pro lubito ac juxta

cujuslibet propensiones eligant. Id vero fortasse quis agit recto consilio, & accedente utilitate, at plerique frustra & cum periculo, quod quid potius agant non habent, & tædio, quo conficiuntur exercitationis penuria, se eximere studeant.

Pag.390. *Oblectatio* (inquit Auctor) *qua plures detegendo veritates & præclaras cognitiones acquirendo afficimur, culpæ obnoxia non est; sed innocens ea censetur, si modum servet, nec unquam cetera disciplinæ regularis opera remoretur.*

Veritas & præclaræ cognitiones, de quibus est hic sermo, ad ea spectant tantummodo, quæ in sectione precedenti indigitata sunt, nimirum ad Liberalia Studia, ad Mathematicas disciplinas, ad Experimenta, ad Historiam, & itinerum diaria. Cum hæ porro notitiæ humanæ sint & naturales, delectatio inde orta vix in Monacho innocens esse dicenda est, licet modum servet, & a reliquis eum officiis non abstrahat. Hujus rei ratio est, quod Monachus ad sublimem perfectionem contendere debeat; ac propterea eum ablegare oporteat a se quidquid huic scopo nequaquam collimat. Constat vero, *Studia Liberalia*, *Mathematicas disciplinas*, *Experimenta*, Historias, atque Itinerum diaria, nullam cum maxima illa absolutaque virtute, quæ ipsi est proposita, rationem habere. Neque nullam modo cum ea rationem habent, sed omnino efficere possunt, ut ab ea quam longissime absit, & divellatur; alio quippe ejus animum inclinant; alias species & imagines excitant, & alio prorsus modo illius pectus cient.

Abdicanda est ergo Solitario viro hujusmodi delectatio, quæ nullam illi utilitatem affert, tamque illi nocua esse potest. Et licet a suis eum officiis nequaquam abstraheret, parum illud est, nisi ad eadem officia illum impellat, inclinet, paratum reddat, & quodammodo manducat. Perfectionis etenim amor ingens & sincerus nihil patitur ad optatum finem inutile. Quod si aliquid hujusmodi in suæ vitæ ratione aliquando deprehendit Monachus sancto illo affectu percitus, dolet atque ingemiscit, eo quod se in eo statu conspiciat qui sibi inconveniens est, quasi homo in violento quodam statu manens. Modica & communis pietas cum delectationibus id genus simul esse posset, neque sibi illas religioni ducerent homines prophani: At Solitarii sancti instituti tenaces omnem illis aditum præcludunt, nec illas unquam admittunt. *Altissima est professio vestra*, ait quidam sanctus Monachus Solitarios alloquens: *Cælos transit, par Angelis est, Angelicæ similis puritati. Non enim solum vovistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, & omnis consummationis finem. Non est vestrum circa communia præcepta languere, neque hoc solum attendere quid præcipiat Deus; sed quid velit, probantes quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.*

Epist. ad Fratr. de Monte Dei c. 2.

Alio-

Aliorum enim est Deo servire, vestrum adhærere. Aliorum est Deum credere, scire, amare, revereri: vestrum est sapere, intelligere, cognoscere, frui.

Et re quidem vera quemadmodum Angelorum nulla est indifferens actio; ita Monachi, qui eorum imitatores sunt, juxta Sanctorum sententiam, rejicere debent quidquid ipsis inutile est ad hoc ut ineffabili illi pulchritudini propius accedant, quam totus ipsorum animus, atque universæ ipsorum actiones respiciunt; & quidquid in hunc finem minime conspirat, eorum solicitudinem nequaquam meretur.

Neque ita opinati & loquuti sunt tantummodo Patres Solitudinum incolæ, aut Sancti Basilius, Ephræm, aliique hujusmodi; sed & nostra fere memoria S. Franciscus de Sales, cujus eadem mens fuit, quique eodem modo hac de re disseruit, cum ait: „ Religionem postulare, ut res sua vocatione dignas Religiosus agat, nimirum ut sibimetipsi, atque rebus omnibus moriatur, cum iis quæ „ nobis placent, tum quæ vel malæ sunt vel inutiles. Quæ sunt „ denique res istæ inutiles, nisi quæ ad nostram salutem, atque ad „ officiorum nostrorum exercitium nihil plane conferunt..... Idem „ sanctus vir nullos fines statuit perfectionis, quam proponit Monialibus, quarum ipse fundator est. Vult eas Angelos imitari de „ Deo & propter Deum vivendo per omnimodam sui ipsius atque „ omnium animæ facultatum consecrationem summo illi omnium „ rerum Domino.... Alibi ait: Nunquam iis esse e conspectu amittendum Jesum Crucifixum, nec liberum illis jam esse corde suo, „ oculis, & verbis uti, nisi ad Dei cultum, & ex ejus instinctu; „ jam non licere illis naturales propensiones propriumque ingenium „ sequi, cum nonnisi Deo vivere & spirare debeant. Quod autem, „ interius ita comparatæ sint, elucere debet (inquit) exterius in omnibus eorum verbis & operibus. Hæc est Sancti illius viri sententia, qui numquam postulatus est, quod sermonis nimius fuerit, & res de quibus ageret, immodice amplificaverit.

Entret. 20. *Esprit des Filles de la Visit.* *Art. 9.*

Fatetur Auctor, his lectionibus sive una sive pluribus, quarum delectationem adeo legitimam & innoxiam: ceteroquin esse putat, *omnes animæ facultates ceu quadam vi abripi & cieri, ac insitum juventutis ardorem excitari: vix hoc genus lectionis posse intermitti ubi cæpta est: Historiæ eleganter digestæ texturam esse quoddam fascinum, cui nequit obsisti.* Abunde hæc sane sunt, Fratres, ut hujusmodi lectiones perpetuo interdicantur Monachis, quorum occupatio, sive ut rectius dicamus, primaria obligatio in hoc sita est, ut prævertant, extinguant, destruant, premant tales animi perturbationes, quæ habendæ sunt ceu totidem obices perniciosi, quibus Asceta itinere pietatis, quo Dei nutu incæpit, repente impeditus subsistere cogitur: adeo ut in posteriora faciem convertat, & ineluctabiliter ab iis se removeri sentiat, quæ ipsius religiosa Professio requirit. Asceticam vi-

Pag. 390.

vendi formam ideo solum amplexus est, ut seipsum vinceret, ut omnibus affectibus suis dominaretur, ut vel minimos naturæ motus destrueret; nihilo vero minus interea vacabit iis lectionibus, quæ naturam roborant, quæ illam pascunt, & omnino in illo accendunt quæ extinguenda sunt?

Dictu quidem facile est, Fratres mei, has lectiones hunc perniciosum effectum non gignere, quoties voluptatem, quam quis inde percipit, moderatur. Sed quis æqua adeo lance rem hanc metiri potest, ut non vergat aliquando, & deteriorem in partem minime feratur. Quomodo Juvenes (ad hos enim, quod sæpius Auctor palam fecit, Tractatus de Studiis dirigitur) tam validis & lethalibus tentationibus obnoxios reddi patimur? Qua illos ratione tueri se posse credimus, & in crepidinem adductos sese reprimere? *Lectio hujusmodi animum abripit, irritat, tenet, fascinat*, his verbis, & loquendi modis utitur Auctor; & credat nihilominus, Solitarium, cujus adhuc imbecilla est virtus, & modo incipiens, aut qui nonnunquam omni virtute caret, satis virium habiturum, ut tam violentos impetus domet atque cohibeat?

Quam multi ex Solitariis ea, quæ nunquam antea noverant, & quæ ignorare præstitisset, ex hac lectione discent? Quam multi iis dispositionibus se exuentes, quæ consilio hominis Sæculo valedicentis respondent, & abjecto sæcularis vanitatis horrore, plane aliter sese comparabunt, & in vitæ dissolutionis actus præcipites ruent, quos effugissent, si fuissent in Sæculo morati? Annon sic facile corruperis innocuos animos, qui teneri adhuc & molles, primo vel levissimo impetu afficiuntur, & id quo semel imbuti sunt diutius servant, ita ut irrito labore hos affectus abolere tentaveris. Grande magis animarum pretium est, quam ut in tantum discrimen eas adducere, & tot incommodis objicere liceat; annon recte quis dixerit, id perinde esse, ac si illis abyssus foderemus, si laqueos necteremus, & scopulis objectis eorum cursum impediremus?

Sed in hac re non immorabor diutius, certus etenim sum, ea quæ dixi, sufficere, ut quilibet ipsis oculis intueatur, quid ex Auctoris sententia consequi possit, & quanti intersit ab ea discedere.

Pag. 302. Citatur locus ex libro Speciminum moralium, qui hæc habet: *Cum tantum mens in veritatis contemplationem occupatur, tædio confestim afficitur; objectorum siquidem varietate maxime gaudens, nova quamprimum intelligere parat, unde etiam præteritorum memoria in ipsa facile labitur. Cum vero concepta veritas ad interiora cordis illabitur, tunc animus ipsi firmius adhæret, nec unquam ab illa sejungitur.*

Nihil hac sententia verius, Fratres mei, nihil certius, nihil quod plura documenta contineat. Hinc fit perspicuum, quanta soli-

ſolicitudine & cura parandum cor ſit atque excolendum, ut ſic dixerim, ut capax reddatur utilitatem & fructum eruendi ex illis veritatibus, quas a Deo docetur vel ipſiusmet Verbo in Sacris Voluminibus vel per Sanctorum Patrum ſcripta. Hinc efficitur, a corde eliminandum eſſe quidquid ipſi ariditatem communicat, quidquid ipſum diſſipare, atque ita afficere poteſt, ut ea appetat quæ ſanctitati Profeſſionis ſuæ minus conveniunt; denique horrorem ipſi incutiendum earum lectionum, quæ *animos abripiunt, irritant, tenent, ac faſcinant*, quæ obſtant, quominus eas veritates retineat & ſervet, quarum praxis omnem ipſius vitæ rationem inſtituere debet.

Si ad normam hujus præceptionis Monaſteria regerentur, videre ibi non eſſet Studia, litterarias exercitationes, curioſas artes & ſcientias; ſed illarum tantummodo ſtudio omnes ſe traderent, quæ de Monaſticis officiis agunt; juniores ea ſolum addiſcerent, quibus ad exequenda hæc officia magis inſtructi redderentur; puri & innoxii illorum animi quaſi ager benedictionis, a quo Pater familias copioſam meſſem expectat, bene antea præpararentur; & quilibet de hoc unice ſolicitus eſſet, ut ne concepta ab illo ſpes ullatenus falleretur.

Quotieſcumque ergo (inquit Auctor) *verba vitæ perlegeris, ea attente conſidera, non enim vitam legentibus tribuunt, niſi ſerio perpendantur.* Pag. 392.

Et hoc veriſſimum eſt, Fratres; ſed rei ſumma hic volvitur, ut mentes & corda eo loco collocentur, in quo tam grave monitum utile ſibi reddere valeant. Nempe, ut paulo ante innuimus, expurganda ſunt, & in anteceſſum præparanda lectionibus, documentis, exercitationibus, quibus nihil inſit quod vel minimum ea diſſipare poſſit; ſed quæ potius ea ad ſe redire, atque in ſe colligi faciant; quæ affectus ingerant humilitati & ſimplicitati ſuæ Profeſſionis congruos; ut ſcilicet libera, & vanis ſcientiarum ſtudiis non diviſa aut diſtracta, a recipiendis veritatis verbis, quæ vitam ſolis attentis & piis auditoribus communicant, nequaquam impediantur.

Non ex veritatum copia, ſed ex ipſius nudæ veritatis amore atque intimo ſenſu veram animæ ſalutem gigni, ait Tractatus Auctor. Ibid.

Id perſuaſum habere debent omnes, quotquot pietate & judicio non carent: atque illud Filii Dei verbum: *Turbaris erga plurima, Porro unum eſt neceſſarium*, uſque ad ſæculorum exitum complebitur, licet tam parum audiatur, & plerique hominum cujuslibet conditionis & ſtatus perinde agant, quaſi confuſione & multiplicitate turbari gauderent. Quiſque ſe latius exerit, amplectitur, & ſibi tribuit quæcumque tribui poſſunt; coarctare ſe, atque ſibi in Luc. 10. v. 41. 42.

iis, quæ sufficiunt satisfacere pectus humanum ægre patitur; omnino enim insatiabilis est mortalium cupiditas, expleri appetit quidem, sed nunquam expletur.

Hæc immoderatio ipsa Monachorum Claustra pervasit; & quamquam ibi omnes Jesu Christi verbum tanquam unicam vitæ atque actionum suarum regulam sequi palam profiteantur; nihilominus Monachi sola Scripturarum intelligentia, & Librorum, qui ad explananda illarum Mysteria facem præferunt, lectione, aliisque vitæ asceticæ præsidiis minime contenti; cum studium hoc sanctum, illud quippe sic appellitabo, certius omni alio studio salutem operetur; Monachi, inquam, satius ducunt in latissimas cognitiones se coniicere; necessarium esse sibi fingunt, a prisca simplicitate emergere; librorum varietate & multiplicitate titillantur, huic tentationi ultro cedunt, perinde ac si potius scientia, quam sanctitas præcipuum status illorum ornamentum & decus habenda foret. Hunc agendi modum Auctor probat, licet fateri cogatur, *unicum vitæ verbum vitam posse communicare*. Cur ergo junioribus Solitariis tam magni momenti veritas proponitur, si non est animus, ut eam ad praxim revocent? Cur illa tam dilucide explicatur in alium finem, quam ut illam ament, magni æstiment, & sequantur? Profecto videtur hæc salutis & benedictionis via ideo tantummodo ipsis monstrari, ut eam se novisse quidem, sed neglexisse aliquando tandem magnopere doleant: *Virtutem videant, intabescantque relicta.*



C A-

CAPUT III.

Pag. 395.

Docet S. Bernardus (inquit Auctor) *tria esse caute servanda ad hoc, ut scientia afferat utilitatem; primo ut in studiis ordinem tueamur; deinde ut studii prosecutionem prudenti moderatione dirigamus; tertio ut recte finem studiorum constituamus.*

NIhil est monito Sancti Bernardi circa Lectiones Monachorum sapientius, nihil item religiosius. Sed quantacumque utilitas ex hujus magni viri sententia percipi possit, frustra omnia fuerint, nisi ita comparati simus, quemadmodum superius innuimus de modo, quo legenda est Sacra Scriptura, differentes; hoc est nisi puri corde, recti animis, & humiles spiritu fuerimus.

Sed quæ ratio erit, ut jam a nobis dictum est, hanc puritatem, quæ præcipua est ad lectionem dispositio, obtinendi, dum cor ea lectionum multiplicitate, ad quam Solitarius compellitur, prorsus avocatur, distrahitur, & quodammodo laceratur? Annon id perinde est, ac eum in medias flammas conjicere, & nihilominus nolle ut comburatur?

Necessariam esse hanc puritatem fatetur ipse Tractatus Auctor; sed ejus acquirendæ præsidia & rationes subtrahit, cum Monachos vult profundis scientiarum studiis totos se tradere. Eos quidem hortatur, ut ante lectionem orent, quo illa recte utantur, idque Sancti Thomæ Aquinatis exemplo. Sed quam inconcinne ista comparantur! Quæ similitudo Monachi proprio nutu studentis, aut ex aliorum levi judicio & voluntate, qui plerumque de divino incerti concilio illum a sui instituti officiis divellunt; cum hoc Ecclesiæ Doctore ad docendum, gravissimasque Religionis veritates toti Ecclesiæ explicandas divinitus misso! Quidni ejus Oratio a Deo audiretur, cujus anima divinæ voluntati subjecta, inde non recesserat, ubi fuerat a Deo constituta? Neque enim species, seu imagines, quas adeo variarum rerum commentatio in ejus animo servabat, impedire poterant, quominus ejus oratio audiretur. Sed non ita agit Deus erga illos, qui a semetipsis vocantur, aut vocatione, quæ Dei non est, aguntur.

Quod animi rectitudinem, & humilitatem spectat, vos, Fratres ad ea quæ superius jam dicta sunt, remittimus.

Studium & lectio (inquit Auctor) *animum ad Orationem præparare debent, neque illi esse impedimento.* Pag. 395

Duo in hanc rem dici possunt, Fratres. Primum est non ita Sanctis visum fuisse. S. Bernardus, qui Studiis superno quodam instinctu

ctu adductus operam dabat, queritur & gemit quodammodo pro-
Epist. 89. pter distractiones, quas occupatio litteraria ipsi inducebat: *Dum vero absens cogito, inquit, dictito, scriptito, mittoque quod præsens legas, rogo ubi otium, ubi silentii quies? Sed hæc, inquies, omnia facere potes in silentio. Mirum, si ex sententia hoc respondeas.*

Itaque consentanea huic loco dicemus, si statuamus, has mentis irrequietas & enormes cogitationes, atque hæc diverticula, quæ a Studiis cum aliqua contentione peractis necessario consequuntur, non obstare quominus Deus eorum orationem audiat, qui in his occupantur tantummodo ex Dei vocatione. Sed novum est, neque hactenus a quoquam assertum; puritatem, de qua loquimur, animique libertatem & quietem a studiis gigni posse.

Deinde, Oratio non est quædam de Theologica materia disputatio, neque in ratiocinando & disserendo de aliqua veritate, aut opinione controversa posita est: utiles quidem esse possunt hujusmodi speculationes, sed plane discrepant ab ea Oratione, de qua hic est sermo, quamque Deus in illis animabus efformat, quæ se puras & ab omnibus imaginibus & phantasmatibus liberas ejus oculis sistunt.

Quod attinet ad libros Humanarum Litterarum, & ad prophanorum lectiones, quæ Monachis tam facile permittuntur, velut Sallustii, Ciceronis, T. Livii, Taciti, Commentariorum Cæsaris; Nunquam audivi hactenus, Fratres mei, par esse, ut eorum lectionem, ceu introductionem ad orandum, consideremus.

Pag. 394. 395. 396. Citat Auctor *Gillebertum & Guillelmum Sancti Theoderici; qui diversis licet modis utrique ajunt, Lectionem præparare ad Orationem.*

Verum id quidem est, Fratres mei; sed lectio, de qua ipsi verba faciunt, est lectio spiritualis & pii dumtaxat argumenti. *Debet*
Serm. 7. *lectio*, ait Gillebertus, *orationi servire, præparare affectum, non horas præripere, nec succidere moras. Cum legis, erudiris de Christo, orans vero, familiare cum ipso feris colloquium: Et quanto suavioris est gratiæ cum illo, quam de illo loqui! Si quædam spiritualium detrimenta sustinent visitationum, propter orandi vanitatem, qui lectioni vehementius vacant; quid dicemus de his, quos aut indisciplinatæ collocutiones dissolvunt, vel anxiæ quæstiones scindunt?*

Quis non videt, Fratres, non nisi de lectionibus sanctis quæ eruditionem de Christo continent, hic agi? Oportet sane eas admodum puras & sublimes esse, quoniam cum Oratione comparantur. Sed no-
Ibid. tatu digna sunt, quæ ibidem subdit Gillebertus: *Monachorum non esse colloquium, sed silentium; non quæstiones, sed quietem sectari.*

Guillelmus Sancti Theodorici Abbas eandem omnino sententiam fovet, de quo ne ulla vobis supersit dubitatio, en ejus verba ex Tractatu de vita Solitaria: „ Spiritualis ipsa natura, ad ea quæ in-
„ spi-

„ spiritualibus præeminent, hoc est ad Deum & divina erigere semper amat semetipsum, non superbe sapiendo, sed pie amando, & sobrie, & juste, & pie vivendo: qui quanto altius est quo nititur, tanto fortioribus exercitiorum studiis exercendus est, & quæ eum non perfundant, sed intingant, sicque afficiant, ut perficiant. Studia vero hæc, etsi litteris aliquando adjuvantur, & utuntur; non tamen litteratoria sunt, non cavillantia, non discrepantia, non garrula; sed spiritualia, pacifica & humilia, & humilibus consentientia. Quæ etsi foris exercentur, intus potius aguntur in spiritu mentis, ubi renovatur homo de die in diem, inducens novum hominem, qui secundum Deum creatus est in sanctitate & justitia veritatis.

Postquam denique de verbo ad verbum ea Guillelmus retulit, quæ Apostolus 2. ad Cor. Cap. *6.* exaggerat de multa sua patientia, de variis persecutionibus adversus se excitatis de carcere, de catenis, de tribulationibus, de laboribus, de vigiliis, de spiritus & de carnis mortificationibus; sic ait: „ Hæc & hujusmodi sunt Studia sancta, exercitia Apostolica, in quibus discutit se animus, & invenit, & emendat, mundans se ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficiens sanctificationem in timore Dei. Studia hæc silentium amant, quietem desiderant cordis in labore corporis, paupertatem spiritus, & pacem in exterioribus pressuris, & bonam conscientiam in omni puritate cordis & corporis.

Et quando quidem sancti hujus viri autoritas profertur, ad rem erit, Fratres mei, ut sciatis, me in hac materia idem ac eum sentire, & nihil a me affirmari, quod ipse non scripserit. „ Amorem ergo Dei (inquit) in homine ex gratia genitum, lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat & illuminat. Animali vero & novo in Christo homini ad excitanda ejus interiora melius & tutius proponuntur legenda & meditanda Redemptoris nostri exteriora: & ostenditur in eis exemplum humilitatis, provocatio charitatis, & affectus pietatis: & de Scripturis sanctis, & de Sanctorum Tractatibus Patrum moralia quæque & planiora. Proponenda sunt ei gesta & passiones Sanctorum: ubi nec laborandum ei sit in planitie historiali, & semper aliquid occurrat quod novitium animum excitet ad amorem Dei & contemptum sui.

„ Porro aliæ historiæ delectant quidem, cum leguntur, sed non ædificant: quin potius mentem inficiunt: & in tempore orationis vel spiritualis meditationis inutilia quæque vel noxia faciunt scaturire de memoria. Lectionis quippe modum similis meditatio sequi solet. Difficilium etiam lectio scripturarum fatigat non reficit teneriorem animum: frangit intentionem, hebetat sensum vel ingenium.

Sed dicetis fortasse, Guillelmum hic ad Monachos Novicios loqui. Quam in rem duo sunt, quæ reponere possumus. Primum quidem, hunc quoque de Studiis Tractatum in gratiam dumtaxat junio-

juniorum Monachorum fuisse conscriptum, ut passim profitetur Auctor. Alterum vero, præceptionem esse generalem, ut ex postremis illis verbis colligitur: *Porro aliæ historiæ delectant* &c. Et inter omnes Sanctos convenit, Lectiones quam maxime pias & castas ab iis esse peragendas, quorum potissimum munus est orare; nam quidquid lectum est, recurrit menti & sese offer tempore orationis. Hinc dictum illud veterum Solitariorum apud Cassianum, homines tales esse in Oratione, quales ante illam fuerint.

Coll. 9. c. 2.

Pag. 395. *Forte dixeris* (subdit Tractatus Auctor) *hæc quidem monita in spiritualium lectione librorum locum habere, secus vero cum de scientiis mere speculabilibus agitur, ut sunt Philosophia, Historia, aut Mathesis: Verum etsi non inficier, sacras piasque lectiones ad Orationem, cordisque compunctionem magis conducere, quam scientias mere speculativas: nihilominus ex istis etiam humana mens identidem poterit ad Deum contemplandum assurgere.*

Multa, Fratres mei, quæ huc spectant, suppetunt dicenda.

In primis horum utriusque pii Scriptoris sententia, quæ ipsorum religione & pietate prorsus est digna, abuti Auctor videtur, dum eam adhibet ad tuendam opinionem, quæ illis nunquam in mentem venit, ut modo demonstravimus.

Deinde, cum velit, Philosophiam, Historiam & Methematicas Disciplinas conferre, atque inservire ad Orationem; commentationem de hiis materiis *mentem animumque præparare ad orandum*, quæ ipsissima sunt Auctoris verba: Idem erit dicendum, atque sentiendum de Geographia, de Chronologia, de Jurisprudentia, de Medicina, de Chimica, de reliquis omnibus Artibus, scientiis, quæ nihil non honesti habent, *eo quod cum veritas quæcumque a Deo sit, ad Deum quoque ferre homines possit; ideoque illa quemadmodum rebus omnibus creatis uti possumus, ut in Deum erigamur*, ita ibidem loquitur Tractatus Auctor. Nimirum, ut videtur, nullum est studium, nulla lectio, nulla litteraria exercitatio, cui se Monachus tradere non possit, ut se ad Orationem comparet. Quod perinde est, ac eum maximæ perturbationi, distractioni, atque depravationi objicere, cum illi ceteroquin nihil necessarium magis sit animi collectione & quiete. Isthæc sententia Sanctorum consiliis adversatur, spiritum Orationis evertit, atque ipsam Orationem ea puritate, & dignitate privat, sine qua nullius est virtutis, nullius meriti nullius efficaciæ.

Nihil est quod districte magis præceperint Sancti, quam ut pura & ab omni aliena cogitatione vacua esset Oratio; quapropter quidquid vel levissimis nebulis animum inumbrare potest, diligentissime ab eo cavendum esse crediderunt: *Oratio si pura est*, inquit Augustinus, *si casta fuerit, cœlos penetrat, vacua non redibit.*

Lib. 1. Instit.

Apparet passim apud Cassianum, quanto studio quantaque cura vete-

veteres Solitarii mentis animique oculos avertere niterentur ab omnibus rebus, quæ ipsorum orationes minus castas reddere, & distractiones inducere possent in ea actione versantibus, quæ ab homine Deo dicato cumulatam sanctitatem postulat.

Vult S. Ephræm, ut cum timore & tremore ad orandum accedamus, ut præcipuos conatus nostros impendamus ad omnem humanam cogitationem, ad omnes terrenas curas abjiciendas. Esto (inquit) in oratione quasi de Cælo Angelus, & te totum in hoc adhibe, ut sancta sit, pura, & irreprensibilis deprecatio. *De Agone.*

S. Benedictus haud poterat magis perspicuis verbis quid ipsi hac de re videretur explicare, quam edicens discipulis suis, ut *cum omni humilitate & puritatis devotione Domino Deo universorum supplicarent; scirentque non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum se exaudiri.* *Reg. cap. 20.*

Sit oratio pura, inquit S. Ambrosius, *sit simplex*, *dilucida*, *atque manifesta. O sancta anima*, ait S. Bernardus religiosos viros alloquens, *sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos, secede ab amicis & intimis, etiam & ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere Sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam, præsentibus cæteris.* *Ambros. de Offic. l.2.c.22. In Cant. Serm.40. num. 4.*

Hæc fuit Sanctorum de præparatione animæ religiosæ & Deo votis obstrictæ ad orationem, sententia. Eam Solitudines quærere voluerunt, & adeo ab omnibus creaturis segregatam, ut illæ ab hac penitus divina exercitatione ipsam divellere aut alio abstrahere non possent. Multum sane aberat, ut studia, sive lectiones rerum ad Philosophiam, ad Historiam, & Mathematicas disciplinas spectantium, corda ad Orationem præparare posse putarent.

Palam vobis ediximus, Fratres, per hanc sententiam Orationis spiritum extingui, & omni illam virtute destitui; hac super re plura addere non est animus, cum de perspicua certaque veritate agatur; idque vobis argumentis ineluctabilibus demonstraverim. Sed illud omnino animadvertendum est, si Monachis denique persuadeatur lectiones id genus preparationi cordis ad preces Deo offerendas inservire, futurum, ut jam nihil frequentius manibus illorum, qui lectione delectantur, versetur, quam libri illi, quorum usus interdicendus ipsis perpetuo esset; de libris dico, ad Historiam, ad Mathematicas, ad curiosas scientias, ad Philosophiam pertinentibus. Quidquid honestati & castitati recta non adversabitur, ipsis jam conveniens erit; interea vanis cognitionibus intellectum opplebunt, & usque ad animam eadem contagio procedet. At quomodo anima ita deformata, ac tam enormi perturbatione impedita Deo se sistet, & vel unam cogitationem, vel unicam aspirationem Deo ipsi gratam concipere, aut excitare poterit? Nulla hac brevior, nulla certior via est ad pietatem, & Religionem e Claustris eliminandam.

Cum

Cum enim illam Deus per Orationis canales effundat & communicet, his obstructis, effluvia defitura sunt; sicque sanctæ illæ Domus, quas flumina gratiæ non amplius perluent, adeo necessaria refrigeratione privatæ, igne passionum consumentur.

Denique mihi nemo unqnam persuaserit, Fratres mei, Studium Historiæ, Philosophiæ, Mathematicarum disciplinarum, Lectionem Ciceronis, Sallustii, Taciti, T. Livii, Commentariorum Cæsaris, quæ Monachis Auctor permittit aut commendat, haberi posse tanquam introductiones ad Orationem. Atque ego quidem fateor, me nunquam non vehementer commotum fuisse, quoties magnos illos eventus legerem, quos prophanorum Historiæ prodiderunt. Quoties e. g. colloquium illum duorum præclarissimorum ducum Scipionis & Annibalis apud T. Livium legi, & alium ab alio discedere vidi antequam de conditionibus pacis, quæ hujus congressus causa fuerat, inter ipsos convenire posset, omnem pacis spem formidando hosti
Lib. 30. Scipione auferente, atque ita ad eum loquente: *Bellum parate, quoniam pacem pati non potuistis:* Hac, inquam, circumstantia tam nova, tamque mirabili tenebar magnopere, & dies totos eam mente agitabam. Cumque reputarem, qui animorum motus, quæ anxietas utriusque exercitus fuerit in articulo temporis, quo mox de orbis fortuna certandum erat, ac pronunciandum; quod ab Historico his verbis explicatur: *In castra, ut est ventum, pronunciant ambo, arma expedirent milites animosque ad supremum certamen pararent non in unum diem, sed in perpetuum, si felicitas adesset victoris. Roma, an Carthago jura gentibus daret, ante crastinam noctem scituros.* Ego modo cum victore faciebam, modo victi infortunio & miseratione tangebar: Sique inde jam me ad Orationem conferre oportuisset, absonas profecto & enormes meditationes mente volvissem.

Sed inquiet aliquis, id meæ tribuendum esse imbecillitati; quod non inficior: Sed eam me puto cum multis habere communem.

Res haud aliter se habet, Fratres mei, quoad pleraque gesta, atque eventa, quæ ab Historicis recensentur; atque hujusmodi lectiones hominibus ad Orationem natis & ad Solitudinem nullatenus convenire fatendum est. Affirmari idem quoque potest de studio Philosophiæ & Mathematicarum disciplinarum; de quibus non eodem modo judicare, manifestissimus error esset.

CA-

CAPUT IV.

Putat Auctor, *Studium scientiarum in laboris, atque adeo in pœnitentiæ locum esse posse iis, qui pœnitentiam profitentur.* Pag.397.

NEmini, ut mihi quidem videtur, illorum qui Studiis operam dederunt, persuasum unquam fiet, Studium in pœnitentiæ parte esse censendum. Qui illi se tradunt, tantam inde voluptatem percipiunt, totque nos illecebris trahit hæc exercitatio, ut nulla sit, cui pœnitentiæ nomen minus, quam ipsi conveniat, quod ne illis quidem exercitationibus adhibetur, quæ multum quidem laboris, jucunditatis vero nihil in se habent. Studiis homines dies exigunt, noctes vigilant, adversæ valetudini se objiciunt, quæ plerumque nimia assiduitate studendi minuitur. Studii cupiditas omnino immorigera est & nulli aurem præbet; qui studium amat, aliud nihil quærit, nisi ut sibi volupe faciat, suamque expleat cupiditatem. Sors ipsius, divitiæ & solatium in libris, quos possidet, posita sunt; & voluptatem quam ex ipsis sentit reliquis omnibus mundi deliciis præfert.

Cum de eodem argumento jam ad vos alias verba fecerim, unum illud hic dicam, tria præcipua in manuali & Monastico labore inveniri, quæ studium supplere non potest; nimirum pœnitentiam, humilitatem, auctoritatem.

Primum satis exploratum est. Quid enim pœnitentiam certius abigit quam voluptas, quæ blande permulcet, quæ ingenio arridet, quæ naturæ propensioni obsecundat, eamque sensu gustuque, quem inde percipit, tenet? Sed hæc Studium prorsus efficit, quod evidenter vobis ostendere facillimum est. Intuemini verum e. g. scientiarum Ecclesiasticarum studio intentum. Si divinas Scripturas attente legerit, quid in hoc thesauro immensas divitias, atque infinita bona complexo, non deprehendet? In illo, inquam, sacro mana, de quo scriptum est: *Omne delectamentum in se habentem*, & Sap. 16.
omnis saporis suavitatem. Id sane percipiebat S. Augustinus, cum v.20.21.
exclamaret: *Domine, sint castæ deliciæ meæ Scripturæ tuæ.*

In Lectione porro Operum Sanctorum Patrum quid non rimatur, quid non detegit? Instituta illa morum vere Christiana, sanctas illas veritates, quas pertractarunt, & tanta Sancti Spiritus unctione, tanta eloquentia & arte explicarunt. Quid magis ad permovendos animos, & blande afficiendos aptius expeti potest? Cum vero ad rerum Ecclesiasticarum studium procedit, non est ambigendum, quin illa eventuum multiplicitas, ea factorum dictorumque varietas, ex quibus Historia conflatur, jucundissimam illi, atque pulcherrimam imaginem exhibeat.

Scho-

Scholasticus Professioni suæ totum se tradit; summam in hoc fere collocat felicitatem, ut syllogismorum & ratiocinationis peritia emineat, ut in Scholæ argutiis polleat.

Idem de suis Theorematibus & Demonstrationibus opinatur Mathematicus.

Grammaticus vero in lectione græcorum & latinorum Poetarum sibi indulget & satisfacit; omnem in prophanæ antiquitatis investigatione curam, atque omne studium impendit, & fabula magis quam veritas cor illius habet. Nihil hic dico, quod generali plane experientia non nitatur. Atque ex his omnibus, litterarum disciplinam, atque exercitationem pœnitentiæ vicem subire non posse, certo colligitur.

Quod ad humilitatem, atque animi demissionem spectat, duo tantummodo verba ex multis quæ alio loco hac de materia loquens habui, vobis hic repetam, quoniam occasione compellor. Manualis labor animos deprimit, vilioribus adæquat, de gradu quodammodo dejicit, denique humiles reddit. Econtra Studium inflat, extollit, decus, laudem, atque existimationem affert. Quæ ergo mutua utriusque comparatio recte institui potest? & quo tandem pacto laboris vicem obtinere poterunt Litterarum Studia?

Postremo auctoritatem quod attinet, omnes Monachorum & Solitariorum nobiliores Regulæ, omnes clariores Reformationes a S. Antonio usque ad nostra tempora manuale opus præceperunt. Carmelitanis discalceatis, atque item Fuliensibus in eorum institutionibus manuale opus mandatur, quamquam apud utrosque paulo post initia obsoleverit. Nempe ista exercitatio constanti inter Monachos traditione confirmatur, a mille fere & quadringentis annis. Id vero de scientiarum studio dici non potest: & mirandum sane est, laboris manualis usum pium, tantaque auctoritate suffultum a multis tam facile & nulla fere animi religione aboleri. Ne multa; quandocumque dici audietis, Studium Litterarum manuali labori surrogari posse, hoc ut meram animi fictionem potius quam verum Axioma velim habeatis.

Pag. 397. Negat Auctor, *facilem & suavem esse vitam, quæ studio litterarum transigitur, ea enim* (inquit) *omnium laboriosissima est, atque durissima.*

Duo sunt, quæ in hanc rem apte responderi possunt. Primo vitam quæ studendo transigitur duram esse & laboriosam, iis qui a natura ad hoc vitæ genus minime sunt facti, verissimum est. Et quoniam hi frustra & sine ullo fructu ad studia compelluntur, id perinde est, ac perdendæ diei occasionem illis præbere, quam

rebus

rebus potioribus impendere utiliter possent. Cujus jacturæ Superiores, qui hujusmodi Religiosos studiis admovent, olim districtam rationem Deo reddituros dubitandum non est.

Deinde qui litterarum amore ducuntur, & in eas a natura propensi sunt, miro quodam modo se illarum illecebris trahi sentiunt, & suas in illis delicias collocant; quod agnoscit ipse quoque Tractatus Auctor, cum ait: „ Delectantur liberalibus studiis, Mathe- *Pag.390.*
„ maticis disciplinis, Experimentis, Historia, itinerum descriptio-
„ nibus. Harum rerum una vel plures, vel simul omnes animum
„ penitus abripiunt, & juventutis ardorem excitant, quæ præ vo-
„ luptate legendi jam non est apud se. Historiæ egregie concinna-
„ tæ nexus est quoddam fascinum quod vinci non potest. Delectat
„ quoque varietas &c.

Ex libris nonnullos, inquit Auctor, *omnino pravos & corruptos, alios* *Pag.398.* *vero aliqua tantum ex parte tales esse; illorum quidem lectionem tanquam lethale venenum esse fugiendam; hos vero caute & circumspecte legendos.*

Sanctorum sententiæ multo convenientius, atque sollicitudini quæ adhibenda est, ut omnis lapsus & scandali occasio Solitariis præripiatur, magis consentaneum foret, pravorum librorum lectionem Monachis omnino interdicere; neque enim ignotum ulli esse potest, quot illorum periclitati fuerint eo quod illa didicerint, quæ ignorare debebant. Quid nos cogit, ut lectiones illis permittamus veneno, partim saltem, imbutas, cujuscumque tandem generis fuerint? Et cur non veremur, ne dum bona & utilia a noxiis discernere illos volumus, forte decipiantur, & lolium pro tritico improspere accipiant?

Illius innumeræ multitudinis Monachorum, qui Origenis errores olim amplexi sunt, quive Eutychetis impiis Dogmatibus consenserunt, fors deploranda nonne justum metum incutere nobis deberet, ne Monachi quos instituimus par infortunium subeant? Quid est cur in illorum manus libros tradamus, quibus nihil quidem eorum vitæ conservandæ necessarium, multa vero efficiendæ illorum morti aptissima continentur? Si ad hoc Monachi ex officio & professione sua vocarentur, ut armis doctrinæ Hæreticos oppugnarent, ut de Fidei materiis disputarent, atque ut errores inimicorum veritatis refellerent; subesset forte ratio, cur illis suppetere libros erronearum opinionum plenos vellemus, aut pateremur; quod nempe horum librorum notitia ad cognoscendam veritatem non parum faciat. Verum cum id muneris illorum non sit, quo fundamento, qua ratione licere putetur periculosis exercitationibus eos implicare, omnino non video.

S. Isidorus Hispalensis de lectionibus Monasticis hæc habet: *Gentilium autem libros, vel hæreticorum volumina Monachus legere caveat;*

In Reg. c. 9. *melius est enim perniciosa eorum dogmata ignorare, quam per experientiam in laqueum erroris incurrere.*

Pag. 399. *Inutilibus lectionibus, quæ ad Deum referri nequeunt, quæ scilicet ad virtutem & nostri status officia non ferunt, esse abstinendum* monet Tractatus Auctor: *hanc tamen regulam non ita esse extendendam, ut religioni cuiquam sit iis rebus quandoque studere, quæ recta ad Deum, nec ad nostri instituti onera referuntur.*

Prima assertionis hujus pars, Fratres mei, adeo æqua est, adeo sancta, & ab omnibus Regulis confirmata, ut mirum sit, Auctorem ad oppositam omnino sententiam continuo inde transire. Inter Solitarii vitam, & hominis profani hoc interest, quod illius quidem omne tempus, atque omnia temporis momenta ad aliquid præcipue sint dicata, & recta ad Deum, propriaque officia referantur. Proinde Sancti omnibus illorum exercitiis regulam & methodum quandam præstituere, & alia aliis sibi mutuo ita presse succedere voluerunt, ut nullum intervallum, nulla distantia interseratur. Sola autem Sancti Benedicti auctoritas tam novæ, atque absonæ opinioni, tamque a Monastica perfectione alienæ fidem abrogat: Ait quippe Benedict. Reg. c. 7. 1. grad. humil. Sanctus Pater: Monachus *timorem Dei sibi ante oculos semper ponens, oblivionem omnino fugiat; & semper sit memor omnium quæ præcepit Deus, & qualiter contemnentes Deum in geenam pro peccatis incidunt; & vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est, animo suo semper revolvat.*

Haud sane poterat clarius magisque conceptis verbis a Sancto viro explicari onus quod incumbit Monacho erga eum oculos jugiter convertendi, cujus servitio se penitus mancipavit. Et quamquam illius vita ex Orationibus & Psalmodia haud tota conflata sit, affirmari tamen potest, reliqua omnia exercitia recta ad Deum procedere, neque vel unum illorum esse, quod ad summum illud bonum tanquam ad verum sui objectum non tendat: quod enim superest actionum in diei curriculo peragendarum, in lectione, in manuali labore, & refectionis hora positum est.

Atqui nemo nescit, Fratres, lectionem unice ad Deum referri, quoniam in Sacra Scriptura versatur, atque in Operibus Sanctorum Patrum, veterumque Monachorum, qui non nisi de eorum officiis, & de ratione adhibenda, ut eorum vita ipsorum consiliis & decretis respondeat, verba faciunt.

Manualem laborem quod spectat, aliud nihil ille est quam unius ex Regulæ mandatis executio, & Legi Institutoris morigerum obsequium; porro vix quidquam est, per quod certius ad Deum ferantur, quam per submissam observationem Regulæ, cui nomen dedere.

Refectio corporum in sumtione cibi ad eumdem omnino finem colli-

collineat; siquidem alimenta illud efficiunt ut sustentetur vita quam a Deo accepimus, cujus curam gerimus propter eum, quæque illius gloriæ, & ædificationi Ecclesiæ suæ, tota est dicata.

Hinc compertum vobis sit, Fratres mei, quantum Sanctus Pater noster Benedictus absuerit, ut putaret, Monachum religioni sibi ducere non debere studiorum prosecutionem, quæ studia scilicet neque Deum, neque ipsius officia pro objecto habent. Atque omnis illius Regula illud omnium maxime præsefert, intentam nempe sollicitudinem impediendi, quominus discipuli sui Dei præsentiam e conspectu aliquando amitterent.

In hunc finem minimos illorum actus ordinat, & ita recte se gerere discipulos suos jubet tum quoad externorum sensuum, tum quoad intimi cordis dispositiones, ut nunquam Deus illos occupet ab eo statu devios, in quo illis manendum est, ne forte illos in mala, aut noxia circumstantia deprehendens, jure olim exprobrare illis possit infidelitatem, negligentiamque punire. *Ne nos declinantes in malum, & inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus; & parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est, & expectat nos converti in melius, dicat nobis in futuro: Hæc fecisti, & tacui.* Reg. c. 7. in grad. humil.

Satis esse, inquit Auctor, *ut Monachorum studia aliquid utilitatis respiciant, puta, historiæ notitiam, eloquendi industriam, seu recte scribendi peritiam.* Pag. 399

Lata nimis sunt hujusmodi studia, quam ut illis conveniant hominibus, quorum vita adeo est contracta & angusta, quod perinde est, ac si dixeris, sancta. Sanctitas enim aliud nihil est quam coarctatio, sive ab omni eo quod commune est, atque impurum, separatio; congruenter Domini verbis, qui in Evangelio ait: *Arcta via est quæ ducit ad vitam.* Quid porro erit exercitiorum, quod exhinc Monachos occupare non possit, si animum ad ea omnia, quibus aliquid utilitatis inest, adjungere ipsis liceat? Si diceres, quibus aliquid utilitatis relate ad Monasticorum officiorum complementum, illud denique nonnihil esset; sed plane diversa est Auctoris sententia, ut perspicue colligitur ex supra recensitis illius verbis: *Nulli Monachorum religioni sit iis rebus quandoque studere, quæ recta ad Deum, & ad proprii instituti onera minime referuntur.* Matth. 7. v. 14.

Hoc pacto nunquam loquuti sunt Sancti, qui aliam sane opinionem fovebant de sancti hujus Instituti perfectione, illud æquiparantes, ut alias animadvertimus, Angelorum conditioni; cumque conceptis verbis dixerint, a Solitariis ea in terra fieri, quæ in cœlis Angeli faciunt.

Multum profecto aberat Sanctus Basilius, ut sancto hoc instituto tam parum digna sentiret, tum cum ejus imaginem & formam tot scriptorum suorum locis delineavit; „ professus denique sibi non Constit. Monast. cap. 18.

„ esse eam dicendi facultatem quæ argumenti dignitatem adæquare „ possit; & ceteroquin Solitarios Jesu Christi, Apostolorum, atque „ Angelorum imitatores esse.

De perfect. Vit. Monast. Grad. 2. art. 4. S. Ephræm de Monastica societate hæc habet: *Sicut enim Sanctorum Angelorum acies; ita est multitudo Monachorum unanimiter viventium, & mentem suam ad Deum semper elevatam habentium.*

„ Solitarius (inquit S. Jo: Climacus) in materiali & corrupto „ corpore, immaterialium spirituum ordinem & statum absolute refert. Monachus est, qui solum ad Deum acie mentis intentus, „ illum semper orat in omni tempore & loco & opere.

Quid vero non præclarum mente revolvit S.Bernardus, tunc cum Solitarios Prophetis, Apostolis, Martyribus, Angelis comparavit? Tam eximia tamque sublimis vitæ Solitariæ notio nihil in se habet quod respondeat sententiæ illorum, qui Monachos ad studia non recta ad Deum tendentia incumbere sine ulla animi anxietate posse arbitrantur; *satis vero esse, ut aliquid utilitatis hæc studia referantur, puta ad historiæ notitiam, ad recte scribendi, atque emendate loquendi industriam*. Revera enim Apostoli, Prophetæ, Martyres, Angeli occupationes hujusmodi haudquaquam novere. Quid est opus Monacho historiarum cognitione? Cui bono aut usui esse illi poterit recte scribendi emendateque loquendi scientia? Monacho, inquam, qui perpetuo destinatur silentio, nisi forte Deus ab hoc statu illum exemerit extraordinaria quadam Providentia.

Pag.339. *Neque illa scrupolose* (inquit Auctor) *condemnanda est voluptas, quam passim in nobis studendo experimur; eaque imbecillitati nostræ quasi a Deo permissa censeri potest, ne mens improbo studiorum labore nimium gravaretur; neque etiam improbandæ sunt honestæ quædam Lectiones, quæ animum aliquantulum recreant, in quibus numerantur Itinerum diaria, elegantes & politæ Orationes, Heroica Poemata, dummodo honestæ animi remissionis limites non transiliantur.*

Sancti, qui nihil tale unquam mentem volverunt, has animi remissiones, hæc avocamenta Solitariis non permisere. Nullam esse temporis particulam existimarunt, quæ sancte occupari non deberet: atque in uno & solo Deo quærenda illis fuisse crediderunt solatia animique relaxationes, quæ extra illum quæri, atque inveniri licere nonnulli falso putant. Adeo veriti sunt, ne Deus ab animis & mentibus Solitariorum aliquantisper discederet, ut nullas exercitationes, quæ illos a Dei præsentia divellere, atque avocare possint, unquam passi fuerint, aut sua auctoritate confirmaverint. Nihil vero est ad malum hoc efficiendum aptius, quam curiosæ Historiarum, Itinerariorum &c. lectiones, quæ, ipso Auctore Tractatus judice, *mentem abripiunt, juventutis ardorem irritant, & cor arefaciunt*; quæ illud scilicet tam pravis affectibus imbuunt, seu potius

Pag.390.

tius tam diris plagis lædunt, ut vix saluti recipiendæ locus sit.

Si quando Monachus, cui religionis & pietatis sensus inest, hac animi relaxatione, de qua loquimur, egeat, annon legere illi sat erit in hunc finem Sanctorum Historias, Vitas Patrum, qui in Solitudinibus manserunt, Acta denique Martyrum? Nunquid non in hac factorum, eventorumque, varietate reperiet, quod ipsum recreare possit, & vires ingenii valida diutinaque contentione imminutas reficere? Innoxio hujusmodi præsidio uti ei licet; quid ergo alia ipsi proponimus, quæ sine periculo adhibere non poterit?

Facile est quidem innuere Solitario, cui diaria Itinerum scriptaque eloquentium virorum & Poetarum legendi voluptas indulgetur, honestæ animi remissionis fines transiliendos non esse; haud æque tamen facile est monitum hoc ex usu perficere. Semel enim inditus est ingeniis animisque motus, pro arbitrio inhibere vix possumus; & in acri vehementique voluptate modum servare arduum plerumque esse solet. Quid! Ergo *animus lectionibus hujusmodi abstratus, occupatus, illectus*, omnes hos impetus reprimere valebit? Hoc nimis multo a veri specie abest: neque est in hoc prudentia semere eum periculo objicere.

Ut verbo dicam, Fratres mei: de Monachorum professione fere ratiocinari solent homines, ad eorum præsentem statum respicientes; consilia illis exhibent circumstantiis, in quibus illos nunc deprehendunt, consentanea; quæque nihil cæteroquin habent quod eorum legitimo statui respondeat: eorum infirmitati indulgent, neque de antiquis viribus restituendis solliciti sunt. Sed in hac re ulterius progrediuntur; quidam enim ut remissionem disciplinæ, in qua Monachis vivitur, aliquo prætextu velent, demonstrare conantur, eodem ritu veteres Monachos vixisse. Nempe quod volunt, ut ab illis studia scientiarum excolantur, atque ut Prædicationi animum adplicent, utrumque ajunt a Veteribus Solitariis, atque a Monasticæ vitæ initiis factitatum fuisse; atque omnem lapidem movent, ut quæ hodie in more posita sunt, antiquitus usurpata credantur; quod perinde est, ac si veritatem infirmare tentent, ut consuetudinem sustineant; Pattres de gradu dejicere, ut honorem filiis afferant; cœlum deprimere, ut terræ defectus & labes abscondant.

Cur ex animo fateri denique nolunt, mutata esse tempora? ab antiquis moribus descitum esse? Monasticam professionem olim adeo florentem de prisco nitore, atque originaria pulchritudine decidisse. *Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam;* deerravimus ab itinere, rectam viam jam non agnoscimus, nec per eam quisquam currit: Et quoniam a tam profundis vulneribus erigi vix possumus, malum lenire, atque elevare tentamus, ut majori incremento obstemus. Hinc fit ut Monachis studia & scientiæ passim permittantur. Si id fateri vellent, sincere agerent quidem; neque aliud jam superesset expendendum, nisi utrum medicina hujusmodi id ef-

ficere possit quod expectatur; an alia vero quædam suppetat, in usum revocanda, quæ naturam magis sequatur, quæque statum Monastici veritati magis conveniat.

CAPUT V. & Ultimum.

Num Monachi pro suorum meta studiorum publicas Conciones, aut privatas lucubrationes sibi statuere possint.

Pag.400. *Perspicuum per se videri*, inquit Auctor, *neque ullis difficultatibus involutum, quod hic proponitur. Teste enim S. Bernardo, pro studiorum suorum meta unusquisque non modo Dei gloriam & spirituale sui emolumentum, sed etiam proximi utilitatem sibi instituere potest. Prædicatio autem, atque Operum compositio ad publicam utilitatem referuntur.*

NUllam esse in hac Quæstione difficultatem satis constat, non ex ratione quidem hic ab Auctore allata, sed potius quod Monachi concionandi officio nunquam destinati fuerint; ita ut in nullo Monasticarum Regularum loco detur invenire, consilium Institutoribus vel minima ex parte fuisse, ut hæc illis provincia demandaretur. Lex hæc quidem est in universum manifesta, a qua nonnullos singillatim semper excipio. Rem porro ita se habere, ex Regularum Codicibus, ex Sanctorum sententia, atque ex Constitutionibus Ecclesiasticis liquet.

Quod ad Regulas attinet, licet cuicumque eas invisere, & oculorum testimonio convinci. Nulla ex illis est, quæ Prædicationem non dico præcipiat, sed ex qua argui possit, hoc ministerium Solitariis conveniens esse. Benedictina, quæ apud S. Benedicti discipulos primum obtinere meretur locum, silentium perpetuum mandat, & quædam tantummodo de piis argumentis colloquia Fratribus permittit, qui cumulatam virtutem fuerint jam adepti, atque id ipsum Bened. Reg. c. 6. raro: *Perfectis Discipulis propter taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur licentia, quia scriptum est, in multiloquio non effugies peccatum.*

Et sane fieri non poterat, ut quæ ipse circa varios humilitatis gradus præscribit, exacte discipuli ejus servarent, si ei exercitationi quam raro humilitas comitatur, operam dare debuissent. Quomodo se omnium hominum vilissimos existimabunt? quomodo se infra cunctorum pedes collocabunt? Quomodo adversus omne injuriarum & contumeliarum genus, quæ sibi infligantur, immoti & mansueti erunt? Quomodo se agendis quandoque rebus approbatione dignis ineptos se judicabunt? Quomodo ex animo, atque ex in-
Psal. 21. v. 7. timo cordis sensu dicent: *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis;* cum se viderint id muneris sustinere,

quod

quod non nisi eximiis ingenio, doctrina & pietate viris committi solet?

Quod vero ad judicium Sanctorum attinet, idem illos sensisse patebit, quod senserunt ii, quorum opera uti Deo placuit in Monachorum Ordinibus instituendis.

„ S. Dionysius, ut jam a nobis animadversum est, docet, eos qui „ Solitarie vivendi formam professi sunt, non esse constitutos ut alio- „ rum Doctores; sed manendum illis esse in solitario & sancto in- „ stituto, ita ut ipsi sectentur Presbyteros, & ab his congruam sibi „ scientiam accipiant. *De Hier. Eccl. cap. 6.*

Sancti Basilius, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chrysostomus, Augustinus, qui præ ceteris de Monachorum officiis latius disputarunt, Prædicationem Verbi Dei in eorum exercitationibus nunquam recensuerunt.

S. Ephræm, qui ex peculiari vocatione catechizandis rudibus atque instruendis operam navavit, utpote Edessenæ Ecclesiæ Diaconus, nunquam protulit, id muneris Monachorum esse proprium, licet de eorum officiis accuratissime latissimeque egerit.

Quæ de sententiis super hac re a Sancto Hieronymo, atque a S. Leone perhibitis alibi retulimus, jam nostis, Fratres, neque est cur hic repetamus.

S. Joannes Climacus non convenire ait flentibus de rebus Theologicis disputare; „hujusmodi disputationibus lacrymas exsiccari solere. Sed omnia, quæ ex magno hoc sanctoque viro in hoc argumentum depronsimus, denuo hic inculcare inutile & supervacaneum foret. *Grad. 7. art. 25.*

S. Bernardus, cujus auctoritate Auctor Tractatus utitur, hæc ait: *Ex his nempe claret & certum est, quod publice prædicare nec Monacho convenit, nec Novitio expedit, nec non misso licet.... Quidquid tale animo suggeratur, sive sit illud tua cogitatio, sive immissio per angelum malum, dolosam agnosce vulpeculam, id est malum sub specie boni.* *Serm. 64. in Cant.*

Denique Ecclesiæ auctoritatem quod spectat, jam vobis, Fratres, Synodi Chalcedonensis Canones, S. Leonis, Alexandri & Eugenii Decretales in medium adduximus.

Quæ ex S. Bernardo citantur, quæque ut ab eo dicta exhibentur, nimirum pro studiorum suorum meta non solum propriam, sed & proximi utilitatem quemquam sibi proponere posse, nihil plane evincunt. Maxima sancti hujus viri prudentia, atque sapientia postulat, ut plane credamus eum hanc utilitatem ad singulorum conditionem & statum retulisse; neque Monachorum ad studia publico aliquatenus utilia applicationem probasse. Norat satis, certum quemdam a Dei providentia in omnibus rebus ordinem fuisse constitutum, qui non nisi gravissimis verissimisque de causis perturbari debet: Huc faciunt illa D. Pauli: *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Et Monachi ergo suum in domo Dei locum sortiti *Ad Eph. 4. v. 11.*

funt; Deus illis certam assignavit sedem: omnia ipsorum officia ad locum in quo illos collocavit referenda sunt.

Affirmari itaque confidenter potest, non eam fuisse Melliflui mentem, ut *proximi utilitate* omnes bonorum & commodorum species, nullo delectu, nulla discretione habitis, complecti voluerit; sed contra ad ea sola eum respexisse, quæ Monachus in Solitudine vitam agens aliis communicare potest, quin de proprii instituti finibus exeat, aut aliquid agat a suæ professionis scopo alienum. Legit, exempli gratia, studet, vel ut Fratres ædificet in Collationibus regularibus loquens, vel ut prosit extraneis, si forte aliquando ex officio sibi commisso aliquod cum illis commercium agitare cogatur: Sed verborum Sancti Bernardi sensum tam late sumere, ut eum ad sermones & publicas Catecheses extendas, perinde est, ac si quæ fuerit animi illius forma, qui certus mos, quæ religio, minime advertas, eique sententiam appingas, quæ in illius mentem nunquam sane venit.

Pag. 401. *Periculosum fore*, inquit Auctor, *si id genus studia junioribus Monachis committantur, antequam se ipsos iis veritatibus perfecte imbuerint, quas aliis tradituri sunt.*

Ad id vero illud in primis quod respondeam habeo; nimirum quamquam initio juniores Monachi ad hæc studia nequaquam admoveantur, impediri tamen vix posse, quin se ad illa designatos antea sciant, & suam quoque vicem olim affuturam, quando sibi uti reliquis exercitationes hujusmodi tradentur: quod abunde est, ut adversos humilitati spiritus induant, atque ut simplicitatem, in qua vivere tenentur, exuant, hoc est ut ruant fundamenta, in quibus Monachi omnem suam religionem, omnem vitæ suæ rationem firmare debent. Quo quid Monacho luctuosius accidere potest?

Deinde illud hic non inutile erit animadvertere, Tractatum de Studiis unice ad juniores Monachatus alumnos esse directum, quod sæpius ipse Auctor fassus est.

Tertio, perquam raro videre est hodie viros ad eum virtutis gradum evectos, ut veritatibus quas aliis verbo tradituri sunt ipsos jam plenos esse credibile sit. Pauci admodum ad id perfectionis assurgunt: Et si pietatis ista absolutio expectetur, antequam in suggestum ascendere permittantur; plures equidem suggestus vacabunt; itemque simul erunt ex Monachis multi qui omne tempus suum omnem operam frustra impenderint, ut ea munera aggrediantur quibus digni non fuerint. Quod idem est, ac vitam omnem exigere cum nullo aliorum profectu, & non sine sui detrimento.

Denique ut fiat vobis exploratum, ea quæ hic affirmamus non esse mentis nostræ figmentum, sed cum veritate penitus consentire,

fat

sat fuerit Auctoris ipsius in rem hanc verba referre, quibus mala ab id genus exercitiis provenientia intra Claustrorum septa compendio ob oculos ponit. „ Ex iis, inquit, quæ concionandi aut elu-„ cubrandi gratia multo labore ac studio congeruntur, vix ullus in „ studiosos spiritualis profectus redundat. Videlicet ubi primum ve-„ ritates aliquas mente conceperunt, actutum eas in alios effundere „ cogitant. Toti sunt in sententiis inveniendis apteque disponendis, „ quas auditoribus aut Lectoribus ingerant, & suggestum ac Thea-„ trum intra se quodammodo statuunt, unde jam in antecessum „ venditant quæ mox edenda aut recitanda parant. Hocque, vel „ simili modo apud se loquuntur: Hujus sententiæ erit hic locus, „ ut hæc vel illa virtus commendetur, ut hoc vel illud vitium „ dejiciatur, ut in hac vel illa circumstantia sermo habeatur: En „ quod his vel illis personis congruet. &c. Unde liquet, quod „ dum alienæ videntur saluti prospicere, semet plane negligunt, „ cor aridum remanet, iisque virtutibus vacuum, quas aliis per-„ suadere gestiunt. Hoc autem junioribus præcipue est valde fami-„ liare, quorum vis imaginandi acrior est, quique fini proposito „ fortius intendunt; præsertim si quid præclarum & nobile illi insit „ quod eos attrahat atque excitet.

Quod si inevitabiles fere sunt noxii hujusmodi effectus, quod Auctor diffiteri non potest; quid ergo periculis committemus homines, qui non modo ad hæc munera, unde mala illa oriuntur, nullam vocationem habent; sed qui ideo a sæculo potissimum recesserunt, (siquidem sapienti rectoque consilio id ab illis gestum est) ut hæc munera evitarent? Quomodo illos iis exercitationibus implicabimus, in quibus tot alios extremam perniciem invenisse novimus? Cur illos de recessus gremio abducemus, & a sacris asylis avellemus, quamquam esse innumeros non ignoremus, qui specie salutem proximorum operandi, suam ipsorum condemnationem, heu! nimium moliti sunt? quid est quod affectentur sibique sumant ministeria Ecclesiasticorum, quos Deus equidem ad verbum suum annunciandum, docendasque populos veritates suas misit? Denique cur (nam & hoc cogor adjicere) cur *mittent falcem in messem alienam*, cum fere contingat ut id non nisi cum suo detrimento faciant?

Quapropter, Fratres mei, ægre intelligere possum, quo tandem pacto certus omnino sit Tractatus Auctor, (quemamodum in fine Operis sui satis ostendit) variis periculis sese Monachos objicere, dum studia scientiarum aggrediuntur, atque in iis sese exercent, quæ ipsos ad publica ministeria idoneos reddere posse putant; & simul interea velit, eos ad illa animum adjicere. Quomodo licuit ei ista proferre: *Si animæ salus Monachis quam maxime cordi esset, aliorum* Pag.402. *saluti consulere contenti forent adminiculo precum bonique exempli, quæ apud Deum plerumque validiora sunt ad proximi salutem provehendam, quam Libri & Sermones:* deinde vero methodos huic sententiæ

plane

plane adversas docere atque indicare? Quomodo fateri potest, *sæpius usuvenire, ut charitatis velo cupiditas prodeundi, & ceteris præstandi obtegatur*; nihilo vero minus, volumen integrum conficere atque edere hujusmodi cupiditati, quam improbare cogitur, excitandæ aptissimum? An illa doctorum virorum, quorum elogia texit, multitudo; ille Academiarum Scholarumque, quas diligenter recenset, magnus numerus; omnes illæ scientiæ, omnes notitiæ, omnisque generis Scriptores quorum latissimum elenchum exhibet; non plurimum valent ad excitandam atque extimulandam sciendi libidinem in adolescentibus Religiosis, atque ad illorum omnia officia obliteranda; hoc est, ad extinguendum amorem humilitatis, simplicitatis, secessus, silentii, interioris atque exterioris mortificationis, Orationis, manualis laboris; atque ut illis denique persuadeatur, ideo se esse Monachos, ut eruditionem, famam, existimationem & laudem sibi comparent?

Non possum non peculiariter animadvertere, Fratres mei, postremos hosce Tractatus versus: „ Scribamus ergo (inquit Auctor) elucubremus quatenus lubet, concionemur, atque in aliorum utilitatem laboremus; at nisi ita affecti fuerimus ut in nobis regnet charitas, & cœlestis doctrina, incassum laboramus, & vix aliud vigiliæ & curæ nostræ nobis referent quam exitium & damnationem.

Quandoquidem verissima sane est hæc sententia, Ego quidem prorsus non capio, quomodo vir ascetici instituti tenax animum ad scribendum adjicere; aut in publico orationem habere possit, nisi forte evidens Dei jussum illum compulerit, cui reluctari salva quam illi debet obedientia non potest? Quæ satis idonea ratio eum cogit ut tam gravi periculo sese committat? Quid enim illum certum facit, ita se esse ad hanc rem comparatum ut par est, ne mala, quæ sibi portenduntur, infelix subeat? Nonne potius ipsi suspicari valde licet, fore ut hæc mala vix effugiat, ex hoc jam quod silentium & solitudinem abdicaverit, & publico sese commiserit legitima missione haudquaquam compulsus? Quod si quatenus æquum est de sua ille salute sollicitus esset, nunquid illud munus ultro susciperet, ex quo tam magna illi pernicies provenire potest?

Id me præcipue maxime omnium movet, Fratres mei, ut meum non adjiciam calculum sententiæ illorum, qui volunt Monachos in harum scientiarum pelagus sese conjicere, quæ gravissimarum tentationum occasio iis sunt, quasque Auctor tam vivis coloribus & lineamentis depingit. Illorum misereor, quos vel animi levitas, vel naturalis cupido ad hæc Studia trahit; sed infeliciores eos judico, qui, quos regere ex officio debent, ad id genus studia temere admovent.

Si utrorumque ob oculos diutius versarentur pulcherrima illa S. Hieronymi verba, quæ tam opportune ipse Auctor Tractatus adnotat, quæque non possum non hic per extensum referre; profecto aliud

aliud nihil cogitarent expeterentque., nisi usque ad exitum vitam agere congruenter divinæ circa ipsos ordinationi; nimirum in accurata omnium veritatum quas Regula complectitur executione; & nihil magis vererentur quam ne angustos fines transilirent, quos ipsis Patres constituere. En Sancti hujus Doctoris verba: *Quotidie morimur: & tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur. Quot puncta Notarii, tot meorum damna sunt temporum. Scribimus atque rescribimus, transeunt maria epistolæ: & scindente sulcum carina per singulos fluctus ætatis nostræ momenta minuuntur. Solum habemus lucri, quod Christi nobis amore sociamur.* *Hieron. in Epitaph. Nepotiani.*

Quid agere ergo fas est homines, qui quotidie se mori putant, quique vitam suam pro continuo decremento habent; nisi ut a se abjiciant quod se in cursu graviores reddere potest, atque obstare ne celeritate & levitate illorum currant, qui nulli terrenarum rerum adhærescunt, sed ad cœlestia semper aspirant? Quid, inquam, illos fas est agere; nisi ut se intra suorum officiorum fines contineant, & quidquid occurrit quod se ab illis divellat, caute rejiciant? Quid illi Monacho olim boni superérit, quod legendo, scribendo, prædicando, libros componendo, *vanas* lectiones sectando (vanas siquidem omnes appello quotquot illum nec sanctiorem nec meliorem reddiderunt) vitam omnem exegerit; nisi propter tempus, quod ipsi ad alios usus concessum fuerat, misere dilapidatum æterna tristitia?

Utinam ego de hoc numero non sim, atque ea quæ dumtaxat ob veritatis cultum aggredi me putavi, implicita aut permixta non inveniantur quibusdam circumstantiis, quæ quidquid recti in cogitationibus & consiliis meis esse poterat, in Dei oculis plane subvertant. *Valde laboriosum est*, ait S. Gregorius, *custodire, ne mala homo facere audeat, ne in bonis actibus per intentionem titubet, & inter bona opera sinistra cogitatio illudat.* *Greg. l. 11. Moral.*

Certe illa cogitatio, quæ me ad hunc de Studiis Tractatum discutiendum atque expendendum impulit, orta est dumtaxat ab ejus professionis amore divinitus mihi indito, quam feliciter mihi successit amplecti per divinæ quandam Providentiæ rationem. Difficile mihi fuit ea non improbare, quæ sanctæ hujus vitæ instituto noxia esse arbitratus sum, neque potui non tradere chartæ quidquid Deus in animum injecerat bonæ cogitationis ad ejusdem defensionem. Principio, Fratres, neminem præter vos ante oculos habui. Id mihi solum propositum fuerat, avertere quominus ab eruditissimo Opere improvidi deciperemini, nomenve aut existimatio scriptoris vobis fucum faceret. Sed postea longius mente processi, neque prorsus inutile putavi, rationes nostras iis quoque innotescere, cum quibus ego iisdem nexibus atque officiis conjunctus sum.

Illud vero mihi in primis animum subiit hoc Opus legenti, animadvertere videlicet, quod ceu quoddam vulnus & maculam toti

Mona-

Monastico Ordini Auctor inflixerit, dum se totum in eam conjecit curam persuadendi & demonstrandi, antiquos Cœnobitas scientiarum studio operam dedisse; ac propterea illis quodammodo abstulerit laudem humilitatis, simplicitatis, abditæ illius & pauperrimæ vitæ quæ illos priscorum temporum ornamentum & exemplum reddiderunt, & propter quas illi hodiedum admirationi & solatio nostro sæculo fiunt.

Sancti Ecclesiæ Patres Monachos & Solitarios quasi pro Apostolorum successoribus habuere: *Apostolicam vitam professi sumus, Apostolorum perfectioni nomina dedimus*, ait S. Bernardus. Eos porro imitantur non in verbi Prædicatione, non in rectione animarum; sed in omnium mundanarum rerum abdicatione, in simplicitate, in humilitate, quam professi sunt, in puritate, in Fidei vigore, in præcipuo Christi cultu & amore. Et sicuti divinis illis duodecim viris injuria fieret, si quis illos ut eruditos & litteratos traduceret, doctrinam illis tribuens, qua reipsa caruerunt, & credendi ansam præbens, mundi ad fidem conversionem humanæ scientiæ, acquisitæque studio doctrinæ acceptam referendam esse, cum eorum sanctitati & Dei spiritui, qui in illis loquebatur, verius tribuenda sit: *Non in persuasibilibus* (inquit D. Paulus) *humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis*: Sicuti, inquam, eorum Apostolatus gloriam minueret, si quis naturales dotes putaret ad magna illa incepta prospere confecta, ad illa cœlestis favoris signa contulisse, quæ illos comitata sunt ubicumque divina illos jussio deduxit; Ita Ordinem Monasticum deprimit, & de gradu dejicit quisquis mundo persuadere studet, veteres Monachos scientias excoluisse, atque his potiorem partem tribuendam esse magnorum facinorum, quæ illi gesserunt ad provehendum Christi nomen; tunc cum Fidei nefarios hostes adorti prostravere, tam hæreticos, quam Idolorum cultores, non studiose elaboratis sermonibus, non affectata eloquentia, sed propriæ fidei constantia, zeli & religionis magnitudine, simplicitate, & vitæ sanctimonia.

Serm. 27. de diversis.

1. Cor. c. 2. v. 4.

Quemadmodum Deus Apostolis miraculorum gratiam impertivit, quam eorum functionibus adaptaverat, ita ut prodigia ab illorum manibus edita veritates ab ore prolatas confirmarent: *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*; ita quoque parem Monachis auctoritatem minime denegavit. Visi hi passim sunt, ut jam alio loco animadvertimus, dæmonia ejicere, ægros sanare, mortuos excitare: voluitque, ut quod illorum opera & ministerio ad mundi salutem operatus est, non nisi suæ Omnipotentiæ tribui posset. Mira illi placuit facinora exequi per simplices, omnisque expertes scientiæ viros, qui ea sola doctrina pollebant, quam ex divinis hauserant Scripturis.

Marc. 16. v. 20.

Id porro S. Joannis Climachi verbis magis magisque roboratur:

„ Quis-

„ Quisnam illorum (de sæcularibus & prosanis hominibus loquens
„ ait) miraculorum patrator fuit? Quisnam illorum vitam mortuis
„ restituit? Quisnam dæmonia ejecit? A nullo illorum unquam ali-
„ quid tale gestum; miranda hæc Opera Solitariis Deus ceu pro-
„ posita quædam virtutibus eorum præmia reservavit, quorum non
„ est capax mundus.

Annon illius reluctamur imperiis, & summam caputque hujus instituti immutamus, si studia Solitariis tribuimus, si illorum moribus atque exemplis hujusmodi exercitationes asserimus, quæ ordini & loco, quem illis Deus in Ecclesia sua assignavit, tam parum conveniunt? Omne illorum meritum, omnem laudem Deus in altissima humilitate, in vera spiritus paupertate collocaverat, quas virtutes scilicet hodierni Solitarii haud secus quam prophani homines, vix, aut ne vix quidem amplectuntur. Cur ergo nos hoc illorum meritum in scientia collocabimus, quæ a priscis neglecta, ignorata & pro nihilo habita fuit?

Et de prima plaga Ordini Monastico inflicta hæc hactenus. Secunda vero eo spectat, quod studiis scientiarum in Claustra introductis, abit jam mentis collectio, inolescit distractio; Domus pacis & secessus, in tumultuantes Academias convertuntur; quieti hujus ac tranquilli habitaculi incolæ, in novos homines mutantur, in disputationum clamore atque obstinatione educatos. Cui nunc jam aptari poterunt verba illa Sancti Spiritus, *Sedebit Solitarius & tacebit*; ex quo loca ista tranquillitati & silentio olim dicata, quid quiescere & tacere sit omnino dedidicerunt? Quis enim nescit, omnia ibi in perpetuo motu agitari, confabulationes & colloquia misceri, ubicumque studia & scientias Monachi profitentur, seu verius ubi docti & litterati fieri contendunt. *Thren. 3. v. 28.*

Tertia plaga in extinctione spiritus Orationis per scientiam posita est; Monachi siquidem ad scientiarum studia intenti, quorum ceteroquin totius vitæ cursus assidua esse debet Oratio, ut huic aliquantulum dent operam, inidonei fiunt. Quomodo enim ille vir, cujus capiti diutinæ lectionis fervor accessit, cujus imaginandi vis rerum innumeris & confusis speciebus impleta est, illam animi libertatem, puritatem, & quandam veluti nuditatem inveniet, in qua Dei oculis eum sese sistere oportet, ut orationis charisma & spiritum obtineat? Vim illi facient mentis phantasmata, & omnes illius conatus irritos reddent. Distrahetur, avocabitur, dispergetur etiam invitus, si tamen invitum hæc illum pati dici possit, cum hujusmodi distractiones, quæ illum vexant, a libera & ultronea exercitatione ortum ducant.

Quarta plaga recta impetit humilitatem, quæ virtus Monachorum est maxime propria. Quomodo enim integra consistet inter tot exercitia, quæ illam imminuere atque abolere tantopere possunt? Si huic vel illi Monacho, qui se studiis tradidit, succedat ex sententia; jam omnes quotquot sibi inferiores sunt, contemnere incipit: Sin minus,

vel

vel si qui ipso doctiores sunt, nihil est quod non aggrediatur ut illos denique adæquet, aut præcellat; quidquid ille competitorum offendit, illius invidiam extimulat. Denique quo pacto humilitas simul esse cum Studiis poterit, quandoquidem hæc animos extollunt, illa deprimit?

Quinta plaga in hoc sita est, quod in Monasterio in quo Studiorum & scientiarum cultus floret, Regulares observationes suum vigorem deperdunt. Jam ibi non juxta Regularum præscripta vivitur, sed exemptiones regulam faciunt; quotquot studiis operam navant, ab aliqua horarum Canonicarum parte eximuntur; tempora ad satisfaciendum huic oneri privatim constituta, sine ulla prorsus hæsitatione mutantur; a vigiliis quoque dispensatur. Silentium quod spectat, de illo servando vix aut ne vix quidem laboratur; qui aliis instituendis præsunt peculiaribus & suis etiam immunitatibus gaudent. Ita Claustrum in Collegium mutatur, in quo pro religiosa illa modestia pro illa tam probi exempli verecundia, quæ cordis cogitationum quasi custos & servatrix esse debet, licentia clamores, tumultus passim dominantur.

Sexta plaga eo spectat, quod Regna & Reges iis adminiculis fraudantur, quæ a Monachorum orationibus olim sibi comparabant; tunc scilicet cum hi coram Deo corda effundentes, ejusque misericordiam in recessu solitudinum suarum ferventissimis precibus sollicitantes urgentesque, illius justitiam plerumque exarmabant, & protectionem Regibus necessariam ab ejus bonitate impetrabant.

Septima plaga facit, ut Populi in Monasteriis salutaria exempla amplius non videant, quæ olim in totam Ecclesiam resultabant; cum scilicet quisque ex eorum vitæ ratione vivendi apud se normam conjectabat; & cum florens ibi morum sanctitas bonum Christi odorem late fundebat, cui acceptare ferebatur profanorum ad bonam frugem conversio.

Octava plaga in abrogatione manualis laboris sita est; hoc est, in introductione otii atque inertiæ; siquidem ex Fratribus quicumque ampliori lectioni sustinendæ inepti fuerint, sublato regulari manuum opere, desidem vitam agent, nec ad illud attendent Jesu Christi judicium: *Et inutilem servum projicite in tenebras exteriores.* *Matth. 25. v. 30.*

Nona adducit solicitudinem ac studium afferendi Privilegia & Exemptiones, quæ, ut accurate loquamur, nihil aliud sunt quam Juris Ecclesiastici abolitio, sanctεque constituti in Christiana Ecclesia ordinis perversio; quæ illud denique efficere natæ sunt, ut Solitarii humilitatem, simplicitatem, & quietem, eorum professionis adeo propriam, amittant, recepturi earum loco dignitates & ministeria, quæ ipsis neutiquam debentur.

Tandem, Fratres mei, decima ac postrema plaga, reliquarum deterrima, hæc est, quod late diffusi studii methodo constituta, vitæ Monasticæ professio Deo summopere accepta deformatur, at-

que

que illi proprii decoris & ornatus, propter quem mundi oculis speciosa olim visa fuit, potissima pars eripitur, nempe solitudo, silentium, secessus, humilitas, mortificatio, labor, simplicitas, oratio; atque omnibus illa armis exuitur, quibus ad defendendam Ecclesiam & propugnandam veritatem quondam usa fuit.

Res nunquam ad id perturbationis & corruptelæ devenisset, si modestiæ ac moderationis ratio substitisset, in qua Patres Congregationis S. Mauri sese triginta ante annos continebant, tunc cum certum librorum numerum in lucem emiserunt, quibus *Bibliothecæ Asceticæ* nomen ab illis impositum, & quibus nihil aliud comprehendebatur quam nonnulla Patrum scripta, quorum lectione Monachi facilius cognoscerent proprii instituti rationes & officia; ac unde haurirent veritates sibi ut Christianis & ut Monachis necessarias. Sed nequaquam mirum est, eumdem agendi scopum atque eadem consilia quoad hoc non fuisse servata, cum raro admodum res in eodem loco constanter permaneant, aut diutius mutationes arceantur, quæ omnino vitari non possunt, quasque in omnibus vel moratissimis & sanctissimis Institutis irrepsisse novimus.

Hæc sunt, Fratres, quæ me ad scribendum impulere; cumque liceret mihi cum Propheta dicere: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*: fateor, me mihi silentium imperare nequisse, dum hisce oculis hunc locum subverti cernerem, & funditus convelli, ita ut ejus omnimoda appareat ruina. *Ps. 25. v. 8.*

Dixerit profecto quispiam, mihi in animo esse, ut Monachi in ignoratione rerum omnium vivant. Absit. Fateor, necesse esse ut Monachi aliquam scientiæ partem attigerint; cavendum tamen est, ne eorum scientia vitæ institutum, quod professi sunt, disturbet aut pervertat. Hujusmodi itaque esse debet, ut eos non reddat imbecilliores, aut in officiorum suorum neglectum trahat, sed contra ferventiores, accuratiores, & Regulæ ac disciplinæ tenaciores exhibeat. Sed ut exacte vobis innotescat, quid ego de studiis & Lectionibus Solitariorum, qui nempe solitudini ex instituto addicuntur, sentiam; nonnulla in hanc rem hic subjicio.

Viro, qui se Deo peculiariter vovet, acquirenda est in primis absoluta cumulataque ejus status, quem sequi meditatur, notitia. Sit nobis exempli vice ad hujus rei explanationem Sancti Benedicti Institutum. Qui illud amplexus est, consilii sui executionem auspicabitur a lectione Regulæ additis quibusdam Commentariis, quibus illi genuinus Regulæ sensus patefiat, omnesque veritates & officia in idonea luce collocentur. Huc perquam belle facit Explanatio Regulæ typis vulgata anno 1689. Cum hac lectionem quoque conjunget Vitarum Patrum qui in Eremo vixerunt, cum ea vix ulla aptior videatur ad præclaram & sublimem ipsi ingerendam de sua professione notionem, atque ad eum inflammandum ad ejus vitæ amorem, quam aggressus est. Leget deinde Tractatum de Professione Religiosa P. Rodri-

driguez, Virum Religiosum P. S. Jure, libros de Sanctitate & Officiis Vitæ Monasticæ. Optimum quoque factu erit, ut veritates & documenta ex hisce recentioribus percepta, in scriptis Veterum retractet, puta in Asceticis Sancti Basilii, in Institutionibus & Collationibus Cassiani, apud S. Joannem Climacum &c.

Sancti Ephræmi Operum lectio magnum afferet momentum ad injiciendum illius animo terrenarum rerum contemptum, ad ingerendum cœlestium amorem, ad eum in peccatorum suorum consideratione, in profundæ humilitatis sensu, in compunctione cordis, in assidua Judiciorum Dei meditatione detinendum. Leget Sanctorum Vitas, præsertim quæ sinceriores præ ceteris & puriores sunt. Intra trium ad summum mensium spatium sufficienter imbuetur cognitione Dogmatum & Veritatum ad Fidem spectantium; idque fiet lectione Catechismi Concilii Tridentini, ejus quem concinnavit P. Bellarinus, aut alterius cujuspiam ejusdem modi. Tradet se lectioni divinarum Scripturarum, quarum textum attente & humiliter leget, persuasum habens, Deum humilibus animis sese communicare. His addet sacri hujusce Textus Explanationes a recentioribus compositas, nec non & specimina Moralia in Evangelia & Epistolas totius anni. Orationis methodum ex aliis libris discet, puta ex Meditationibus Patris Haineuve, Patris du Pont, ex iis quæ ejusdem argumenti habet P. Ludovicus de Granata.

Cum vero omnino edoctus esse debeat in morum præceptis a Christo traditis, & præclaris illis veritatibus usque ad ima cordis imbutus, quæ in ejus Verbo, & Sanctorum Traditione continentur, propterea lectioni vacabit enarrationum S. Augustini in Psalmos, Sermonum ejusdem *De verbis Apostoli*, & in Epistolam S. Joannis, Operum illius *De Doctrina Christiana*, *de Moribus Ecclesiæ*; ab iis dumtaxat abstinens quæ de materiis contentiosis & ad Monachos nequaquam pertinentibus composuit. Suppetunt præterea homiliæ S. Joannis Chrysostomi, Moralia S. Gregorii, hujus homiliæ, S. Bernardi & S. Theresiæ Opera.

Asceticos plures libros mittimus, qui in omnium manibus versantur; quique licet vulgatiores & magis triti, non minus tamen Lectoribus prosunt.

Adhærendum est omnium maxime sacris divinæ Scripturæ libris, quæ veterum Solitariorum præcipua & fere sola lectio erat, testante experientia in iis contineri quidquid ad sanctificationem, & vitæ totius rationem necessarium esse potest; & vix aliam præter hanc lectionem commendat S. Ephræm.

Lib. de Pæn. & conf. fac. Jam hæc, Fratres mei, abunde nimis esse mihi videntur, non modo ad illos instituendos, qui vitæ Solitariæ destinantur, sed etiam ad eos idonea eruditione informandos, quibus Deus populorum regimen committit. Qui autem pro virili partes ex his lectionibus profecerit, ad primas dignitatum sedes accedere potest, altioribusque muneribus cum successu fungi. Ut verbo dicam; Facessant

cessant libri, in quibus de rebus vanis, de controversiis, & quæstionibus agitur, qui sanctissimarum Congregationum pacem turbant, ingenia dissecant, factiones & partes excitant. Inde quoque ablegentur Libri Casuum Conscientiæ; ex quibus omnino multa discent Monachi, quæ ignorare debent.

Instaurationem vero quod spectat disciplinæ Monasteriorum, quæ a prisca pietate deciderunt, quæque præscriptarum sibi Regularum neque sententiam neque verba custodierunt. Error est, si putes ea scientiarum adminiculo refici & renovari posse. Monastica Sodalitia, quæ infeliciter lapsa sunt, iisdem rationibus relevari debent, quibus primitus constituta fuerunt. Ea nimirum Domus sanctæ sunt, quas primis fundamentis denuo inædificare atque apte in area veteri collocare oportet. De hoc nos commonefecit Tridentinum Concilium, cum ait: *Ut omnes Regulares, tam viri, quam mulieres, ad Regulæ quam professi sunt præscriptum, vitam instituant & componant*. Et Carolus IX. anno 1560. præcipit Superioribus & Generalibus Ordinum in Galliarum Regno, „ ut ad omnimodam Reformationem Monasteriorum juxta prisca Instituta, propriasque Regulas sollicite incumbant: & plane alienus ab hoc ut velit sublimiorum ampliorumque scientiarum studia a Regularibus tractari, decernit tantummodo ut bonæ & sanctæ Litteræ in Monasteriis tradantur, „ & moribus ac disciplina monastica tyrones imbuantur. *Sess. 25. c. 1. de Reform.*

Si quis itaque nosse cupit quid necesse sit ad utilem operam navandam Reformationi alicujus Congregationis Monasticæ, tuta hæc est atque unica methodus, discere cujusmodi olim fuerit ea Congregatio; quæ ibi primitus officia, qui mores viguerint, quas potissimum exercitationes initio ejus Monachi sectati sint, denique qui illos spiritus egerit; ac deinceps omni studio in illud incumbere, ut in eum statum a quo discessit, revocetur.

Ordo S. Benedicti, quem in exempli locum assumpsimus, constitutus a principio fuit in omnimoda solitudine, in silentio quod perpetuum licet appelles, *Omni tempore silentio debent studere Monachi*, in profundæ humilitatis custodia, in magnis laboribus, & vigiliis, in rigorosa abstinentia, in ferventi oratione, quibus ad solatium & nutrimentum animorum adjectæ sunt quædam spirituales Lectiones. Enitendum est igitur, ut harum rerum usus revocetur, ut hæc exercitia instaurentur, si magni hujus Ordinis reformationem utili labore provehere cupimus. Et ceteræ omnes rationes quæ iniri in hunc finem poterunt a prima constitutione diversæ, renovationem, quam intendimus, nunquam efficient; sed novum inde opus surget prioris operis sanctitate, soliditate, bonoque exemplo carens. Neque affirmare vereor, sollicitam curam quam nonnulli præseferunt Studiorum usum in Monasteria invehendi, magnopere obesse, quominus hæc Observantia in pristinum suæ Institutionis statum & vigorem reducatur. Cujus rei ea ratio est, *Bened. Reg. c. 42*

Fratres, quod Studia omnes illas pietatis, disciplinæ & regularitatis exercitationes subvertant, quibus ceu partibus & membris ingens hoc Observantiæ Corpus conflatum est, cujus fundamenta impetuntur. Quod jam superius vobis demonstravimus, cum de decem plagis a scientiarum Studio Monastico Ordini inflictis verba facerem.

Optarem sane, ut potissimæ rationes, quibus innituntur qui Studia inter Monachos constituere volunt, animo non occupato excuterentur, earumque consecutiones & sequelæ pensitarentur: facile pateret, nihil inde utilitatis duci posse ad bonum in regularibus Institutionibus redintegrandum aut retinendum.

Omnino quatuor rationes numero, quibus illos puto in hanc sententiam adductos fuisse, ut vellent Monachos ad scientias provehere; quemadmodum ex Tractatu de Studiis colligitur.

Prima ratio inde petita est, quod tempus impendendum sit, & inutilitas desidiaque e Monasteriis ableganda.

Secunda eo spectat ut caveamus, ne Monachi in ignorationem scientiarum prolapsi, in depravationem quoque morum decidant, quæ omnino ab illa consequitur.

Tertia, quod Ecclesiæ Constitutionibus hac super re obtemperandum sit.

Quarta, ut Regulares idonei fiant ad sermones in publico habendos, iis nempe locis in quibus erudiendorum populorum provincia Regularibus demandatur.

Et prima quidem ratio nihil veri habet, nihil solidi; in superioribus enim demonstratum est Studia adeo inutilitatem & desidiam non tollere, ut potius illam inducant; quia pauci Monachorum student, reliqui otiantur, aut libros lectitant ut tædium excutiant, & quorum lectio nonunquam illis ipsa inutilitate nocentior est.

Secunda haudquaquam firmiori nititur fundamento. Nullum enim Monachi detrimentum capere possunt ex earum rerum ignoratione, quas scire non tenentur: satis illis est ut ea probe didicerint, quorum notitia opus habent ut Regulares, ut Christiani, atque etiam ut Presbyteri, si qui sunt hoc gradu insigniti. Haud puto quemquam dicturum, notitias id genus non omnino contineri in Divinis Scripturis, atque in Sanctorum Patrum Libris, quorum Lectionem Solitariis permittimus: Et modo in his hæreant, & rite comparati ad Scripturarum & Patrum Studium incumbant, eorum pietas & Religio firma consistet, nec ulla ex parte imminuetur.

Tertia, haud secus quam duæ præcedentes, nihil plane evincit. Neque enim ambigendum est quin Ecclesiæ menti penitus satisfecerint in meditatione divinæ Scripturæ, & seria atque assidua lectione Operum Sanctorum Patrum, quæ ipsis in manus tradimus.

Quarta nihilo majoris momenti esse videtur. An putet quispiam, idoneam eruditionem & doctrinam qua Monachus opus habet in iis

locis in quibus populorum instructor esse debet, non abunde illi suppetituram ex Verbo Dei, modo illud ut par est legat & meditetur, atque ex Sanctorum Patrum Scriptis? Meminerint Solitarii, in hoc esse quamdam tolerationem & patientiam, quod ipsi in Ecclesia os aperire & verba facere finantur; se ut discant natos, non ut alios doceant, ut alibi jam animadvertimus. In explanatione Evangelii hæreant, illique addant Sanctorum Patrum atque Ecclesiasticorum Doctorum sententias. An illos necesse est in elocutione & pronunciatione Sermonum * Concionatores primi nominis adæquare? Quod etsi facere valerent, ab ea moderatione & verecundia quæ humilitati & simplicitati status ipsorum respondet, quominus id facerent penitus prohiberentur, arctioribusque cancellis continerentur.

* P. Bourdalou.

Omnibus his argumentis, seu potius veritatibus pensitatis, difficile est non fateri scientiam ineptum esse instrumentum quo quis ad reficiendam Monasteriorum disciplinam utatur: Neque præclarum hoc Opus confici posse, nisi reviviscant denuo & ad praxin reducantur varia illa prisca exercitia, quæ veluti obsoleverunt, quæque inutilia a plerisque existimantur contra Sanctorum, quibus ea visa sunt necessaria, sententiam.

Denique ad reformandam Monasticam congregationem sufficiet ita res componere atque ordinare, ut nullum vacuum sit tempus a piis actibus quæ in illius institutione præscripti fuere; ut diversæ exercitationes, quarum aliæ alias excipient, impediant quominus fastidia, lassitudines, tædia, otium irrepant: Cumque pauci diuturni Studii capaces sint, nihil magis est necessarium quam tempus quod Studio juxta quosdam impendendum esset, inter Manuale opus & spirituales lectiones partiri.

De Manuali Opere tanquam de actione omnino Monachorum propria loquor. Donec illud exercitium viguit, Monasteria pietatem retinuerunt, & vere quis dixerit cœlestem quendam favorem cum eo conjungi. Id Monasticorum Ordinum institutoribus, qui Dei instrumenta & ministri extitere, adeo persuasum fuit, ut nihil sit quod impensius mandaverint, quemadmodum demonstravimus. Et sane commoda & utilitates quæ in illo insunt, ita illius sunt propriæ, ut qua tandem de causa tam ab omnibus in universum negligatur, percipere nequeam. Vix dubitandum est, quin hæc tentatio quædam sit, a Dæmone excitata ad impediendam tam sanctæ professionis redintegrationem, & ne Monachi antiquas vires, primumque vigorem resumant, quo muniti quondam, toties feliciter usi sunt ad ejus conatus reprimendos, ad subvertenda ejus consilia, atque omnia ejus molimina dejicienda.

Postquam autem res ad pristinum statum redierint, exercitia, quæ Parentum sanctitatem effecerunt, Filios quoque sanctificatura, nullatenus est dubitandum; omnino enim in quo illorum felicitas sita fuit, hos quoque idem felices reddet: & Deus agnoscens

opus suum, ac tale cernens, quale fuerat cum ex ipsius manibus prodiret, benignis illud oculis aspiciet, suisque misericordiis & benedictionibus cumulabit.

Ita Solitudo veterem fœcunditatem & pulchritudinem recuperabit; tuncque, juxta Prophetæ verbum, Justorum, hoc est Monachorum congruenter Legi Dei viventium Tabernacula exaudientur lætitiæ & laudum præconiis & clamoribus personantia: *Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum.* Psal. 117. v. 15.

Pag. 405. *Tractatum suum claudit Auctor enumeratione multarum difficultatum, & quæstionum, quæ in Conciliorum, Patrum, Historiæque Ecclesiasticæ lectione occurrunt; nec non & selectiorum librorum ac præclariorum editionum Catalogo, ad Ecclesiasticam Bibliothecam concinnandam.*

Ut a difficultatibus incipiam; quam denique Monachi utilitatem ab id genus quæstionibus ducere possint, non video. Illud omnino certum est, hunc Elenchum in multorum Monachorum manus venturum, qui Libris ad has difficultates enodandas necessariis destituti, mente agitabunt enormes sententias, eruntque in iis argumentis dubii incertique, in quibus hæsitare vix licet. De gloriosa Genitricis Dei Assumptione, (Pag. 405.) v. g. de Romana S. Petri Cathedra, itemque de ipsius martyrio sinistre cogitabunt. Atque ut in malum pronior semper humana mens est, (Ibid.) & de facili novas & absurdas imbibit opiniones, adducentur ut credant, Episcopum non esse solum Sacramenti Confirmationis ministrum; (Ibid.) Diaconos olim Missæ Sacrificium obtulisse & celebrasse; Hanc Ecclesiæ definitionem, quæ publica est, (Pag. 406.) & ab omnibus Fidelibus recepta & confirmata, non esse quadantenus veram; Licere Presbyteris post suam Ordinationem uxorem ducere; Angelos cum mulieribus rem habuisse; Dominum Jesum facie fædum & deformem fuisse; (Pag. 407. 411.) Animas esse corporeas; Christum pati non potuisse; Divinitatem deseruisse ejus corpus triduo ejus mortis; Eum Judicii diem ignorasse; Mariam Virginem ab Extremi Judicii severitate immunem haudquaquam futuram; Eam aliquando inani gloria tactam fuisse, idque visum S. Joanni Chrysostomo.

Denique Religiosi facile decipi harum difficultatum objectu, animumque corrumpere, & intellectum pervertere possunt sexcentis absurdis opinionibus, & falsis illationibus; præterea de Christianæ Religionis Capitibus, & de potissimis veritatibus dubitare discent: Verbo absolvam, quæstiones id genus movere nec enodare, perinde est ac laqueos illis injicere, & offendiculis illorum iter impedire.

Quod ad illos attinet, quibus eas librorum adminiculo extricare licebit, haud meliore illi conditione fruentur; tantum, tamque exquisitum laborem, tam profundum studium aggredi non poterunt

sine

sine imminutione & detrimento regularium officiorum quibus ex professione sua sese subjicere debent. Studiosa indagatio mentem eorum nimium detinebit, pietatique officiet, atque eam tantum non extinguet. Et nisi Deus Monachos exemerit ab illorum præcipua obligatione, quæ in conversione morum secundum Regulam S. Benedicti sita est, quod conceptis verbis in votorum suorum nuncupatione polliciti sunt; quam denique excusationem habebunt apud Judicem Christum, quod vias inierint penitus adversas illis, quas sanctus illorum Parens monstraverat?

Librorum Catalogum quod spectat. *Pag.425.*

Multa quidem in illum animadverti possunt, Fratres mei; sed hic nos quædam tantummodo subjicere contenti erimus. In primis vero Bibliotheca hujusmodi Monachis convenire neutiquam potest, sive librorum numerum reputetis, sive eorum qualitatem. Qui in hunc Catalogum incident, & tantam librorum & voluminum vim sibi comparare haud poterunt, habendi illos desiderio nihilo minus flagrabunt: Quam cupiditatem cum ipsis non licuerit explere, ægre illud ferent anxii nimis & inquieti: Quapropter hæc enumeratio nihil illis nisi molestiam & sollicitudinem facesset & cordis eorum pacem ac tranquillitatem turbare aptissima videtur.

Deinde, etiamsi in quibusdam Monasteriis larga suppetat librorum suppellex, atque ibi in hoc ingens Studiorum pelagus sese conjicere Religiosi possint; quis inde percipietur fructus? Quæ redundabit utilitas? quandoquidem impensa animorum opera, quam hæc Studia poscunt, cum Monachorum officiis simul consistere nequit, nec illorum tempus utrique rei sufficit: Verbo dicam: Fieri non potest ut vere Monachi sint, nimirum ut Monachorum functiones peragant, dum omnibus hisce Studiis se tradunt, quæ omne ipsorum tempus sibi vendicant, si serio tractentur.

Quod si a communibus Regulæ officiis sese submoveant, atque immunitates ambiant, quo sibi ad Studia incumbere vacet; jam in omnium periculosissimam tentationem labentur; jam illos transversos aget scientiarum amor, propriique status, ac omnium munerum quæ ab illo pendent, contemptum, tædium, & abalienationem ingeret; jam liberioris conditionis cupido illis incesset, per quam sibi liceat sine ulla animi anxietate vel religione unum illud studere & persequi, ut docti evadant: Hæc est compendiosissima & certissima ratio, qua Claustra religiosis legibus solventur, Monachi proprii officii sensu penitus exuantur fiantque Ecclesiastici, licet proprio Ecclesiasticorum spiritu, virtute & merito careant.

Adhæc nihil inutilius mihi videtur, quam Monachis, imo & Ecclesiasticis Biblia Sixti V. indicare, cum ea inveniri non possint, neque si omnem adhibeant curam ea sibi aliunde comparare, aut a


Bibliothecis mutuo accipere, in quibus *cara* sunt *&* *rara*. Sed cur subit animum in Monachorum manus tradere Libellum Jamesii hæretici, qui inscribitur *Bellum Papale*, eaque continet quæ ipsis noxia esse possunt, & ab ipsis ignorari debent. Inevitabilia plane sunt incommoda & pericula, quibus objiciuntur in hujus libri lectione, cujus Auctor maligne exhibet varietates & discrimina eorum Bibliorum a Bibliis Clementis V. An ignoramus hunc libellum proscriptum atque interdictum fuisse? Quid ultra quærimus, ut eum a Monachis perpetuo rejiciendum, ejusque usum in omne tempus ipsis abdicandum statuamus; ipsis, inquam, qui præ ceteris non modo Ecclesiæ jussa promptiori animo exequi, sed & ejusdem Ecclesiæ desideriis obsecundare tenentur.

Quod ad *Biblia Desmaresii* attinet, satis in hoc causæ est, cur ea aversemur, eorumque lectionem nobis interdicamus; quod ab hæreticis Versio illa fuerit elaborata. Elegantior quidem eorum est editio: sed Notæ & Observationes veneno ubique scatent, atque ibi omnis occasio arripitur detrahendi gravissimis sanctissimisque veritatibus, easque oppugnandi, errores vero & mendacia constabiliendi. Quæ ratio, quæ necessitas urgebit aliquando, ut eam Monachi legant, atque in hac re ab ea quam Ecclesiæ debent submissione sese removeant.

Postremo si in Monachorum quidem gratiam hunc Catalogum Auctor concinnavit, ad eorum mentes perturbandas & confundendas aptior mihi videtur, quam ad illustrandas & erudiendas. Quid Sanctum illorum Institutum cum veterum ac recentiorum Philosophorum scriptis, cum prophanis historiis, cum Jure Canonico, cum Civili, cum farragine illa Voluminum ad Scholasticam Theologiam, ad Controversias, ad tricas Chronologiæ, ad Geographiam, ad Itinerum descriptiones pertinentium commune habet?

At si Ecclesiasticis ampliorem hunc Catalogum exhibuit; quid erat cur eum Tractatui in Monachorum, & præcipue juniorum, quorum nullus adhuc est in virtute profectus, gratiam unice conscripto apponeret? Hæc est sane ratio, qua illi in ipso curriculi sui exordio repente atque in omne fortasse tempus reprimantur & subsistant. Hoc denique pacto iis affectibus, consiliis, & dispositionibus imbuentur, quæ cum puritate, cum animi libertate, & perfectione, quas Deus ab hominibus sibi consecratis exposcit, omnino pugnant.

FINIS.



IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
Quæ in hoc Volumine Responsionis continentur.

A

B

C

Cassia-

D

Eccle-

C

Cassia-

Eccle-

S. Hie-

Libri

Nico-

Poe-

Soli-

Finis Indicis rerum præcipuarum.